




NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08232083 3





M. T. CICERONIS
OPERVM
TOMVS II.

DE OFFICIIS LIBER III.
CATO MAIOR, LÆLIVS, ET PARADOXA.

M. T. CICERONIS DE OFFICIIS

LIBRI TRES.


CATO MAIOR, LÆLIVS, ET PARADOXA.

EX RECENSIONE IO. GEORGII GRÆVII

CVM NOTIS VARIORVM

Editio noviſſima poſt Grævianam locupletior.

TOMVS II.



NEAPOLI MDCCLXXVII.

Typis, ac ſumtibus IOSEPH MARIÆ PORCELLI Bibliopolæ

AVCTORITATE PVBLICA.

M. T. CICERONIS
DE OFFICIIS
AD MARCUM FILIUM
LIBER TERTIUS.

PUblium Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus sit, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit fere ejus æqualis, numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset. Magnifica vero vox, & magno viro ac sapiente digna; quæ declarat, illum & in otio de negotiis cogitare, & in solitudine secum loqui solitum: ut neque cessaret umquam; & interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duæ res, quæ languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium & solitudo. Vellem nobis hoc idem vere dicere liceret: sed si minus imitatione tantam ingenii præstantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus: nam & a repub. forensibusque negotiis armis impiis vique prohibiti otium persequimur: & ob eam causam, urbe relicta, rura peragrantes, sæpe soli sumus. Sed nec

otium

AFricanus appellatus est) *Appellatus sit*, Langius, & nostri libri MSi, & Nonius in *Æquales*, & *Appellare*. FR. FABRIT.

Magnifica vero vox) Vide insignem Ennii locum apud Manutium, quem tamen ex Betulei adnotationibus descripsit. GRÆVIUS.

Magnifica vero vox) Hic *vero* est adverbium, & significat *ex vero*, sive *vere*. Rarus est hic usus vocis: sed ita Noster in I. 24. de Leg. *Vero facis, & merito*. PEARCE.

Urbe relicta rura peragrantes) Dictio, *rura*, in optimo libro non est; ut forte *peregrinantes* scriptum fuerit; nam *peregrinari* est ab urbe abesse, quasi peragrare. Tusc. V. *Cui cum peregrinanti, comitibus non secutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum illo pane jucundius*. Ubi vulgo contra omnes vet. codices, *peragranti Ægyptum*. G. LANG. *Urbe relicta, rura peragrantes*) Sic omnes quidem libri nostri habent, *rura peragrantes*, ut & vulgati; placet tamen mihi Langii conjectura, qui, cum in uno ex suis codicibus antiquis anim advertisset, abesse vocem, *rura*, conjecit legendum esse, *peregrinantes*. LAMBIN. *Urbe relicta peregrinantes*) Sic edidit Lambinus secutus conjecturam Langii, qui cum animadvertisset, in uno ex suis codicibus antiquis abesse vocem *rura*, conjecit legendum esse, *peregrinantes*. Verum quia & cetera 4. exemplaria Langiana & Lambiniana omnia,

otium hoc cum Africani otio, nec hæc ſolitudo cum illa comparanda eſt. Ille enim requieſcens a reip. pulcherrimis muneribus otium ſibi ſumebat aliquando, & a cœtu hominum frequentiaque interdum, tamquam in portum ſe in ſolitudinem recipiebat; noſtrum autem otium negotii inopia, non requieſcendi ſtudio, conſtitutum eſt: exſtincto enim ſenatu, deletiſque judiciis, quid eſt, quod dignum nobis aut in curia, aut in foro agere poſſimus? Itaque qui in maxima celebritate, atque in oculis civium quondam viximus, nunc fugientes conſpectum ſceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, & ſæpe ſoli ſumus. Sed quia ſic ab hominibus doctis accepimus, non ſolum ex malis eligere minima oportere; ſed etiam excerpere ex his ipſis, ſi quid ineſſet boni; propterea & otio fruor non illo quidem, quo debeat is, qui quondam peperiſſet otium civitati; nec eam ſolitudinem languere patior, quam mihi adfert neceſſitas, non voluntas. Quamquam Africanus majorem laudem vel meo judicio aſſequebatur: nulla enim ejus ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum

omnia, & noſtra cum vulgatis habent *Vrbe relicta rura peregrantes*, & Cicero non peregre, ſed ruri in ſuis villis vivebat, conjecturam illam repudio. Fr. Fabrit. Nihil mutandum cum Langio, & Lambino. Nam ſic fere de Tiberio Tacitus III. Annal. *littori & lacus Campaniæ tum maxime peragrantem*. Gvilielm.

Atque in oculis civium) Liber opt. non habet dictionem, *civium*. Eſt autem elegans, *in oculis eſſe*, pro admirationi eſſe, & obſervari; poſtea *viximus* in omnibus MSis, Car. Lang. Non audiendus hic Langius, *in oculis civium*, eſt in conſpectu civium. Cic. pro Plancio: *Feci ut poſtea quotidie me præſentem viderent; habitavi in oculis*, (ſcilicet civium) *preſſi forum*. Sic alibi in Verr. *Quæ in foro palam Syracuſis in ore, atque oculis provinciæ geſta ſunt*. Iuſtin. XXXI, 2. *Cum tota die in oculis principum, negotique Romani in foro Carthaginienſium obverſatus in ſupremum fuiſſet*. Sic legendum. Grav.

Abdimus nos quantum licet, & ſæpe ſoli ſumus) Hinc ad Atticum in ep. 15. lib. XII. ſcribit: *In hac ſolitudine careo omnium colloquio, cumque me in ſilvam abſtruſi denſam & aſperam, non exeo inde ad veſperum, ſecundum te, nihil eſt mihi amicius ſolitudine, in ea mihi omnis ſermo eſt cum litteris*. Et in ep. 20. ejuſdem libri; *Mihi ſolitudo, & receſſus provincia eſt*. Idem.

Vel meo judicio) Id eſt, non ſolum aliorum, ſed & meo judicio. *Vel*, ſignificat, *etiam*, idque in multis libris antiquis non legitur. Fr. Fabritius. Si cum vulgatis legamus *vel meo judicio*, ſenſus erit; ita judico, quamvis contra me judico, cum Africani in hac re laudem majorem mea eſſe ſtatuo; quia ille nihil in ſolitudine ſua ſcripſit, ſed cogitando ſolum mentem exercuit. Vocem tamen *vel* delendam cenſeo cum Victorio, multiſque MSis, inter quos ſunt quinque mei. Pearce.

Nulla tamen ejus) Pro, tamen in

IV.

nullum solitudinis munus exstat, ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, investigationeque earum rerum, quas cogitando consequebatur, nec otiosum, nec solum umquam fuisse. Nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita a solitudine abstrahamur, ad hanc scribendi operam omne studium curamque convertimus; itaque plura brevi tempore eversa, quam multis annis stante rep. scripsimus.

2. Sed cum tota philosophia, mi Cicero, frugifera & fructuosa, nec ulla pars ejus inculta ac deserta sit: tum nullus feracior in ea locus est, nec uberior, quam de officiis, a quibus constanter, honesteque vivendi præcepta ducuntur. Quare quamquam a Cratippo nostro, principe hujus memoriæ philosophorum, hæc te assidue audire, atque accipere confido; tamen conducere arbitror, talibus aures tuas vocibus undique circumsonare: nec eas, si fieri possit, quidquam aliud audire. Quod cum omnibus est faciendum, qui vitam honestam ingredi cogitant, tum haud scio, an nemini potius, quam tibi: sustines enim non parvam exspectationem imitandæ industriæ nostræ, magnam

IV. MSis exemplaribus *enim* reperio, & paullo post: *debeat* pro *debet*, C. LANG.

Quas cogitando consequebatur) Citat hunc locum Nonius Marcellus in *Consequi*, quod hic pro *sequi* usurpari admonet. Sic lib. II. de Finib. *Etsi nullum consecuturum emolumentum videat*. Et lib. IV. *In quibus propter earum exiguitatem obscuratio consequitur*, quod in quibusdam libris sine causa est immutatum. FR. FABRIT.

Quam de officiis) Ad hunc locum spectans Lactantius in Div. Inst. VI. 2. ait: *Apud Ciceronem Catulus in Hortensio Philosophiam rebus omnibus præferens, malle se dicit, vel unum parvum de officiis libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio. Quæ sententia non utique Catuli, qui fortasse illud non dixit, sed Ciceronis est putanda, qui scripsit. Credo, ut libellos, quos de Officiis erat scripturus, commendaret: in quibus ipsis nihil esse testatur in omni philosophia melius, & fructuosius, quam præcepta vitæ dare*. PEARCE.

A Cratippo vestro) Sic edidit Langius, pro quo in aliis, & MSis nostris est, *A Cratippo nostro*. Similis varietas est infra, ubi quidam libri, *A Peripateticis vestris*, alii *nostris* habent. *Cratippus familiaris noster*, ait lib. I. de Divinat. FR. FABRIT. Non dicitur *nostro*, quasi Cicero esset Peripateticus, qualis Cratippus: sed hoc eum sensum habet; quem plenius significat Cicero in I. 3. de Divin. modo a Fabritio laud. Eodem sensu dicit, *Cratippus noster*, ib. in II. 49. & 53. PEARCE.

Aures tuas vocibus undique circumsonare) *Circumsonare* est *undique sonare*; abundat igitur vox *undique*. Sed magis notandum videtur usitatius dici, *voces circumsonant aures tuas*, quam (ut hîc) *tuæ aures vocibus circumsonant*. At vix aliter Livius in XXXIX. 10. ubi dicitur *locus circumsonare ululatibus, cantuque symphoniæ*. IDEM.

magnam honorum, nonnullam fortasse nominis. Suscepisti[1] onus præterea grave & Athenarum, & Cratippi: ad quos cum tamquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est, dedecorantem & urbis auctoritatem, & magistri. Quare quantum conniti animo potes, quantum labore contendere (si discendi labor est potius, quam voluptas,) tantum fac ut efficias: neve committas, ut, cum omnia suppeditata sint a nobis, tute tibi defuisse videare. Sed hæc hactenus; multa enim sæpe ad te cohortandi gratia scripsimus: nunc ad reliquam partem propositæ divisionis revertamur. Panætius igitur, qui sine controversia de officiis accuratissime disputavit, quemque nos, correctione quadam adhibita, potissimum secuti sumus, tribus generibus propositis; in quibus

[1] *Suscepisti onus preterea grave Athenarum*) *Onus* vocat illam exspectationem, quam de se concitavit propter profectionem Atheniensem, & magistrum præstantissimum, cui dat operam. Sic pompam lictorum, & nomen imperii onus vocat Cic. II. ad Fam. 16. *Accedit etiam molesta hæc pompa lictorum meorum, nomenque imperii, quo appellor. Eo si onere carerem, quamvis parvis Italiæ latebris contentus essem*. Sic & Seneca IV. de Benef. 27. paupertatis onus vocat nobilitatem, ut recte locum illum vindicat a pravo Gronovius in notis, quem vide. GREVIUS.

Ad quos) MSus Pal. pr. habet *ad quæ*, male: nam verba *ad quos* respiciunt ad *Athenas*, & *Cratippum*: Cratippus masculini est generis; relativum igitur *quos*, quamvis tam ad urbem, quam ad philosophum spectat, tamen ejusdem est generis, utpote potioris & dignioris. Sic in cap. 1, Lib. I. *propter summam & doctoris auctoritatem, & urbis, quorum alter &c.* Vbi dicitur *quorum* quamvis vox *urbis* proxime præcesserat, quia vox doctoris generis est masculini. PEARCE.

Tamquam ad mercaturam) Quidam libri *mercatum*. Sic Plaut. & Cicero ipse in Tuscul. vocat cœtum, & conventum mercatorum. Sed Nonii tempore, *mercaturam* legebatur. C. LANG.

Cum tamquam ad mercaturam) Malim legi *ad mercatum*: tametsi & nostri libri sic habeant, & Nonius ita legat. LAMBIN. *Tamquam ad mercaturam*) Sic habent nostri libri omnes, & Nonii duobus locis; quare etsi Langius in quibusdam libris *mercatum* legi annotet, nihil tamen mutandum censeo. FR. FABRIT.

Inanem redire turpissimum est) Allusit, ut opinor, ad Homericum versum in lib. I. Iliad. Αισχρον τοι δηρον τε μενειν, κενεον τ' απονεεσθαι. *Turpe, diuque manere, inanemque redire*. F. VRSIN.

Potissimum secuti sumus) Cicero in Ep. ad Att. XVI. 2. *Τα περι του καθηκοντος, quatenus Panætius, absolvi duobus; illius tres sunt. Sed, cum initio divisisset ita, tria genera exquirendi officia esse; unum, cum deliberemus, honestum, an turpe sit; alterum, utile, an inutile; tertium cum hæc inter se pugnare videantur, quomodo judicandum sit: qualis caussa Reguli, redire, honestum, manere, utile. De duobus primis præclare disseruit, de tertio pollicetur se deinceps; sed nihil scripsit. Eum locum Posidonius persecutus*. Hæc qui cum iis, quæ hic sequuntur, conferunt, facile videbunt non solum quam huic loco illustrando inserviant, sed etiam quanto contractius omnia apud bonos scriptores dicantur in epistoli-

quibus deliberare homines, & consultare de officio solerent, uno, cum dubitarent, honestum ne id esset, de quo ageretur, an turpe: altero, utile ne an inutile: tertio, si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quomodo ea discerni oporteret. De duobus generibus primis tribus libris explicavit: de tertio autem genere deinceps se scripsit dicturum, nec id exsolvit, quod promiserat. Quod eo magis miror, quia scriptum a discipulo ejus Posidonio est, triginta annis vixisse Panætium, posteaquam eos libros edidisset; quem locum miror a Posidonio breviter esse tactum in quibusdam commentariis; præsertim cum scribat, nullum esse locum in tota philosophia tam necessarium. Minime vero assentior iis, qui negant, eum locum a Panætio prætermissum, sed consulto relictum, nec omnino scribendum fuisse: quia numquam posset utilitas cum honestate pugnare: de quo alterum potest habere dubitationem, adhibendum ne fuerit hoc genus, quod in divisione Panætii tertium est, an plane omittendum: alterum dubitari non potest, quin a Panætio susceptum sit, sed relictum: nam qui e divisione

stolico scribendi genere, quam in oratione perpetua. PEARCE.

Si discendi labor est) Admonet Erasmus, *discendi*, nove dictum esse pro *discere*. Sic infra. *Quæ major utilitas, quam regnandi, esse possit*. Quinctilianus lib. VII. *Est enim certa servitus ad singula verba se adstringendi*. FR. FABRIT. Est ellipsis: *utilitas* enim repetendum mente, perinde ac si Cicero scripsisset, *si discendi labor est labor*, aut Quinctil. *est certa servitus, ad verba se adstringendi servitus*. GRÆV.

Breviter esse tactum) Sic habent libri veteres: vulgati autem *tractatum*: quos sequi malueram, quia videtur mihi Cicero, si vocem, *tactum*, posuisset, adverbium, *leviter*, adjuncturus fuisse potius, quam, *breviter*: contra, *tractatum breviter*, convenientius dici puto, quam, *tractatum leviter*: verum tamen sequamur libros vet. LAMBIN. *Breviter esse tactum*) Sic primus ex libris veteribus Petrus Victorius emendavit, itaque in suis Lambinus, & ego in meis invenio: unus tantum cum vulgatis habet *tractatum*, idque Interpretes agnoscunt. *Tactum* autem *breviter* est, paucis verbis attactum, non explicatum: ut lib. II. de Oratore, *Illud tertium, quod a Crasso tactum est*. FR. FABRIT.

Prætermissum sed consulto relictum) Hinc Lexicographi colligunt id dici *prætermitti*, quod aut ignorantia, aut oblivione, aut negligentia præteritur: *omitti* vero, quod de industria relinquitur. Vix aliter Cicero eadem voce usus est in II. 29. de Orat. *Ut si quid ab Antonio aut prætermissum aut relictum sit, explices*. At *prætermittere* sæpe idem est quod *omittere*; quo sensu in II. 24. de Offic. dicitur *voluptates esse prætermittendas*. PEARCE.

Sed consulto relictum) Supple *ajunt*, vel *dicunt*; nam cum præcesserat *negant*, in sequenti sententia, quæ opponitur, verbum affirmativæ significationis subintelligendum est. Vide quæ notavi ad I. 51. de Orat. IDEM.

Quod

sione tripartita duas partes absolverit, huic necesse est restare tertiam. Præterea in extremo libro tertio de hac parte pollicetur se deinceps esse dicturum. Accedit eodem testis locuples Posidonius, qui etiam scribit in quadam epistola, Publium Rutilium Rufum dicere solere, qui Panætium audierat, ut nemo pictor esset inventus, qui Coæ Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret (oris enim pulcritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat:) sic ea, quæ Panætius prætermisisset, & non perfecisset, propter eorum, quæ perfecisset, præstantiam, neminem esse persecutum.

3. Quamobrem de judicio Panætii dubitari non potest: recte ne autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adjunxerit, an secus, de eo fortasse dubitari potest. Nam

Quod a Panætio susceptum sit, sed derelictum) Libri veteres habent, *sed relictum*; sed librariorum erratum esse puto: quamquam, *relictum*, non rejicio. LAMBIN.

Testis locuples) Ex Nonio, *locupletis*, reposui. C. LANG. Quamvis apud Nonium legatur, *locupletis*; veteres codices tamen sequi malui: cum præsertim dici possit, erratum esse librariorum in Nonio, quia diserte non dicat, *locupletis*, positum esse a veteribus in casu recto, pro, *locuples*: LAMBIN. Langius, *locupletis*, edidit, atque id se ex Nonio reposuisse ait: Adducitur locus a Nonio, ubi docet, Locupletes non magnarum opum tantummodo, sed & ad quamlibet rem firmos, & certos dici. Vbi non solum in libris ab Hadriano Iunio medico doctissimo, sed & a Cratandro Basileæ editis, *Testis locuples*, legitur: nec aliter legi potest, aut debet. FR. FABRIT.

Qui Veneris eam partem) In vetustissimo apud me libro scriptum est: *qui iconis Veneris eam partem*; ut dubium non sit, quin *Coæ Veneris* legi debeat. F. VRSIN. *Qui Veneris eam partem*) *Qui Coæ Veneris* edidit Victorius, atque ita esse in libris scriptis Balduinus testatur: nostri quoque, etsi non omnes sine mendo, id nomen habent. Vide Plinium lib. XXXV. c. 10. FR. FABRIT. Ita etiam in Pal. primo. GRAV.

Reliqui corporis imitandi) Hîc *imitari* idem valet, quod similiter sive tam pulcre pingere. PEARCE.

Prætermisisset & non perfecisset) Ita fere MSi. Sed, quæ dicitur *prætermisisse*, satis dicitur *non perfecisse*. Aut igitur cum uno Mureti MSo & quinque Manutii dele voces *& non perfecisset*: aut ex mea conjectura lege, *promisisset & non perfecisset*. In priore cap. Panætius dicitur non *exsolvisse*, *quod promiserat*. Verba *promisisset*, & *prætermisisset*, in MSis contracte scripta, ita similia sunt, ut facile confundantur. IDEM.

Quæ fecisset) *Quæ perfecisset*, Victorius & nostri libri scripti, in quibus etiam, *Persecutum*, ut est in Manutianis, legitur. FR. FABRIT.

De eo fortasse dubitari potest) Libri nostri habent, *disputari potest*: ego tamen nihil muto. LAMBIN. *Dubitari potest*) *Disputari potest*, est in tribus libris scriptis nostris, eodemque modo Anemœcius in uno, & Lambinus in suis omnibus invenit. FR. FABRIT. Cum *disputari* habeatur quoque in Palat. in duobus Guilielmii, in plurimis Aldinis, nec non editionum principe, quid ni id admittamus? GRAVIVS. Nec ego facile oppugnem scripturam fultam tot codicum antiquo-

Nam sive honestum solum bonum est, ut Stoicis placet: sive quod honestum est, id ita summum bonum est, quemadmodum Peripateticis vestris videtur, ut omnia ex altera parte collocata, vix minimi momenti instar habeant: dubitandum non est, quin numquam possit utilitas cum honestate contendere. Itaque accepimus, Socratem exsecrari solitum eos, qui primum hæc natura cohærentia opinione distraxissent. Cui quidem ita sunt Stoici assensi, ut quidquid honestum esset, id utile esse censerent: nec utile quidquam, quod non honestum. Quod si is esset Panætius, qui virtutem propterea colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis esset; ut ii, qui res expetendas vel voluptate, vel indolentia metiuntur: liceret ei dicere, utilitatem aliquando cum honestate pugnare. Sed, cum sit is, qui id solum bonum judicet, quod honestum sit: quæ autem

quorum auctoritate, & scio ut possit explicari, & defendi. Quia tamen veteribus *disputare* non accipitur in hac notione, quæ nunc in ore est omnium, nimirum pro contendere verbis cum uno aut pluribus de aliqua re; sed generaliter est disserere sine ulla contentione, sive sermonem habere de aliquo loco, aut argumento, valde vereor, ne ex margine & interpretatione τὸ *dubitari* irrepserit, *disputari*. Sane in Pithœano est *dubitari*, uti in editis plerisque. GRÆVIUS.

Omnia ex altera parte collocata vix minimi momenti instar habeant) Alludit ad Critolai lancem, de qua vide V. Tusc. 17. & V. de Fin. 30. IDEM.

Quin numquam possit utilitas cum honestate contendere) *Vmquam* legitur in libro antiquo, & ita emendatum est in codice viri doctissimi. F. URSINUS.

Quod ea efficiens utilitatis esset) *Efficiens* pro *effectrix*, vel elliptice pro *efficiens caussa*. Eodem modo *virtus dicitur efficiens esse voluptatis*, c. 33. *Cupiens voluptatum*, & similia (inquit Erasmus) satis in usu sunt: hoc ut minus usitatum annotare visum est. PEARCE.

Vel voluptate vel indolentia) I. e. vel Epicurei, vel discipuli Hieronymi Rhodii. IDEM.

Vel indolentia metiuntur) *Indigentia* in quibusdam vulgatis, & MSis mendose legitur. *Indolentia*, est doloris vacuitas, quam Ciceronem nove dixisse, quod sine dolore sit, Nonius scribit. FR. FABRIT. Græcorum vocem ἀναλγησία Cicero ficto a se verbo *indolentia* expressit, de qua multis disputat Cic. II. de Fin. 4. & sequentibus. GRÆV.

Qui id solum bonum judicet, quod honestum sit) Est hoc proprium & verum Stoicorum dogma, qui nullum bonum esse docebant, nisi quod bonos faciat, reliqua honores, ignominiam, opes, paupertatem, voluptatem, nec bona esse, nec mala. Seneca ep. 120. *Hæc duo* (bonum & honestum) *apud alios diversa, apud nos tantum divisa: ista duo quidem facimus, sed ex uno; nihil est bonum, nisi quod honestum est, quod honestum, est utique bonum. Bonum putant aliqui esse, quod utile est: itaque hoc & divitiis, & equo, & vino, & calceo nomen imponunt: tanta est apud illos vilitas boni, & adeo usque ad sordida descendit. Nihil nobis bonum videtur, quo quis & male uti potest. Vides autem divitiis, nobilitate, viribus, quam multi male utantur.* Vide & epist. 76. 85. & passim alibi, nec non Lipsii manuductionem ad Stoicam Philosoph. dissertatione 20. in qua

qua

autem huic repugnent specie quadam utilitatis, eorumque accessione meliorem vitam fieri, nec decessione pejorem: non videtur ejusmodi debuisse deliberationem introducere, in qua, quod utile videretur, cum eo, quod honestum est, compararetur. Etenim quod summum bonum a Stoicis dicitur, convenienter naturæ vivere, id habet hanc (ut opinor) sententiam, cum virtute congruere semper: cetera autem, quæ secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent. Quod cum ita sit, putant quidam, hanc comparationem non recte introdu-

qua & Hebræos, & Christianos recte sic sensisse ex Clemente Alexandrino, & Ambrosio docet. IDEM.

Deliberationem introducere) Inducere Langius, & optimus liber noster. FR. FABRIT.

Cum eo quod honestum est compararetur) Cum præcesserit *videretur*, Cl. Chapmannus legendum esse censet, *honestum esset*. At mihi placet lectio MSi Reg. quarti, *In qua, quod utile videtur, cum eo, quod honestum est, comparatur*: vel potius (ut in MSis Mill. & Mead. secund.) *comparetur*. PEARCE.

Convenienter naturâ vivere) Quid sit congruenter naturæ vivere, seu secundum naturam vivere, in quo beatam vitam positam esse docebant non soli Stoici, sed plerique Philosophi, & quanta fuerit sententiarum diversitas de hoc capite, vide apud Lips. Manud. ad Stoicam Philosophiam lib. II. cap. 14. & sequentibus. GRÆV.

Cum virtute congruere semper) Diogen. Laertius in vita Zenonis: Πρῶτος Ζήνων εν τῳ περι ανθρωπυ φυσεως τελος ειπε, το ὁμολογυμένως τῃ φυσει ζῃν, ὁπερ εςι κατ' αρετην ζῃν. αγει γαρ προς ταυτην ἡμας ἡ φυσις. ὁμοιως δε και Κλεανθης εν τῳ περι ἡδονης, και Ποσειδωνιος, και Ἑκατων εν τοις περι τελων. *Primus Zeno in libro de hominis natura, finem dixit convenienter naturæ vivere, quod est, secundum virtutem vivere: ad hanc enim nos natura impellit; similiter Cleanthes, in libro de voluptate, & Posidonius & Hecato in libris de Finibus*. Vide ibi plura; & quæ ad ea notavit vir eruditissimus & politissimus Ægidius Menagius: vide quoque Lipsium dicto loco. IDEM.

Cetera autem, quæ secundum naturam essent) Illa nec bona, nec mala esse Stoici censebant, sed indifferentia, ex quibus alia quædam sint secundum naturam, ut valetudo, integritas sensuum, divitiæ, gloria; alia naturæ contraria, ut morbus, imbecillitas, mutilatio, de quibus disputat Cic. I. Academ. c. 10. vide & Lipsium Manuduct. ad Stoic. Philosoph. II. 23. ubi hanc Stoicorum doctrinam de bonis egregie tuetur. IDEM.

Ita legere) Sic infra: *legere voluptates*. Et IV. de Finibus: *Illa autem morbum, egestatem, dolorem, non appello mala; sed, si lubet, rejectanea. Itaque illa non dico me expetere, sed legere; nec optare, sed sumere; contraria autem non fugere, sed quasi secernere*. Diversum est *negligere*, hoc est prætermittere, quod vel data opera fit: ut in Adelph.

Furtumne factum existumetis, an locum
Reprehensum, qui præteritus neglegentia est?

id est, volente, sciente auctore: paullo supra, *etenim quod summum a Stoicis dicitur*, veteres aliquot libri habent. C. LANG. Clarius quid sit, quod dicitur legere virtus, explicat IV. de Fin. 15. *Introduci enim virtus nullo modo potest, nisi omnia quæ leget, quæque ejiciet, unam referantur ad summam*. Pro quo alibi dicit *sumere*. V. de Fin. 13. *Omnia quæ sumenda, quæque legenda, quæque optanda sunt*. Vide

troductam ; nec omnino de eo genere quidquam præcipiendum fuisse. Atque illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis, neque a virtute divelli umquam potest: in iis autem, in quibus sapientia perfecta non est, ipsum illud quidem perfectum honestum nullo modo; similitudines honesti esse possunt. Hæc enim omnia officia, de quibus his libris disputamus, media Stoici appellant: ea communia sunt, & late patent; quæ & ingenii bonitate multi assequuntur, & progressione discendi. Illud autem officium, quod rectum iidem appellant, perfectum atque absolutum est, &, ut iidem dicunt, omnes numeros habet; nec, præter sapientem, cadere in quemquam potest. Cum autem aliquid actum est, in quo media officia compareant, id cumulate videtur esse perfectum; propterea que vulgus quid

de & I. Academ. c. 10. Græci vocant λῆψιν, ut constat ex Plutarcho. Græv. Peculiarem philosophis vim hîc habet vox *legere*, quæ significat, id sumere, quod occurrit, sine ulla eorum bonorum, quæ secundum naturam sunt, appetitione: quod nos docet Cicero (notante Langio) in IV. 26. de Fin. Pearce.

Illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur) Quod κατόρθωμα Græci vocant, vide lib. I. cap. 3. & quæ ibi notantur. Græv.

Id in sapientibus est solis) Sapientibus scilicet Stoicis, qui nusquam gentium terrarumque sunt, neque fuerunt, nec erunt, quamvis hoc ultimum negent. Vide Senec. de Constant. Sap. cap. 7. & Lipsium manuduct. ad Stoicam Philosoph. lib. II. cap. 8. Idem.

In iis autem, in quibus sapientia perfecta non est) Quos vocant viros bonos. Senec. ep. 42. *Scis quem nunc virum bonum dicam? hujus secundæ notæ. Nam ille alter fortasse tamquam Phœnix semel anno quingentesimo nascitur.* Idem.

Ipsum illud quidem honestum) Sic edidit Langius. MSi codices nostri omnes cum Manutianis & Victorianis legunt, *Ipsum illud quidem perfectum honestum*, quod probo. Fr. Fabrit.

Media Stoici appellant) Τὰ καθήκοντα, qualia etiam esse illa præcepta Epicteti, quæ in Enchiridion Arrianus contulit, non perfectis, qui vita rationi consentanea non contenti diis quasi velint pares esse, tradita, sed illis viris bonis, qui convenienter naturæ, seu rationi velint vivere, & corpore pro instrumento uti: Vide Simplicii prooemium commentarii in Enchiridion Epicteti, & superius ad lib. I. cap. 3. Græv.

In quo media officia compareant) Sic esse legendum, recte Amerbacius, & Nannius lib. IX. Miscell. ex vetustis libris admonuerunt, quod verbum duo ex nostris retinent, idemque a Victorio, & Langio est editum. *Compareant* autem est appareant, cernantur, ut aliis locis multis apud Ciceronem, & apud Lucretium lib. VI. *Nec tamen omnino temere illis solitus ulla Comparebat avis*, quod Thucydides lib. II. dixit: ὄρνιθες οὐχ ἑωρῶντο. *Comparantur*, quod est in libris vulgatis, nullum locum habet; non enim vulgus hoc judicium comparatione officiorum mediorum facit, sed cum medium aliquod officium videt, quia, quantum hoc a perfectione absit, non videt, putat id ipsum omnes numeros habere. Fr. Fabrit.

Cumulate) I.e. cum partes ejus non sint singulatim examinatæ: si solum totum

quid absit a perfecto non fere intelligit : quatenus autem intelligit, nihil putat prætermissum: quod item in poematis, & picturis usu evenit, in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti, laudentque ea, quæ laudanda non sint, ob eam, credo, caussam, quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui iidem, quid in unaquaque re vitii sit, nequeant judicare; itaque cum sunt docti a peritis, facile desistunt sententia.

4. Hæc igitur officia, de quibus his libris disserimus, quasi secunda quædam honesta esse dicunt, non sapientum modo propria, sed cum omni hominum genere communia: itaque his omnes, in quibus est virtutis indoles, commoventur. Nec vero cum duo Decii, aut duo Scipiones, fortes viri commemorantur, aut cum Fabricius, Aristidesve justi nominantur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his

totum spectes, videtur esse perfectum. PEARCE.

Proptereaque vulgus) Ita hodie vulgo editur. Sed legendum est cum omnibus fere MSis, & editionibus *propterea quod vulgus* &c. Rationem enim Cicero reddit, cur, *cum aliquid actum sit, in quo solum media officia compareant, id videatur esse perfectum*. Hoc fit, *propterea quod vulgus* vix umquam intelligit, quid inde absit, faciatque ut non sit perfectum. IDEM.

Quod item in poematis, & picturis) Sic edendum curavi, rationem, & duorum V. C. auctoritatem secutus. Nam alii sic habent, *Quod autem in poem.* plane mendose. LAMBIN. *Quod item in poematis*) *Poematibus*, habent libri multi, etiam manuscripti: sed Nonius, *Poematis*, legit. Sosipater quoque scribit, Ciceronem pro Gallio, *poematorum*, & in Oratore, *poematis* dixisse, quomodo oportere dici Varro censuit undecimo ad Ciceronem, ut idem testatur. FR. FABRIT.

Desistunt facile sententia) Sic edidit Langius, itaque habent libri antiqui meliores, & Nonius, ubi docet, *doctum* & *peritum* a Tullio discreta esse, ut sit *peritum* plus, quam quod *doctum*. Sic quoque lib. I. de Finib. *Numquam, inquit, ullius oratione victi sententia desistemus*. In Victorianis, Manutianis, & aliis vulgatis cum præpositione legitur: *Desistunt facile a sententia*, quod etiam est usitatum, ut &, *Desistere de sententia*. IDEM.

Fabritius Aristidesve justus nominatur) *Justi nominantur*, est in optimo libro manuscripto, & editione Victoriana. (nec non Grævii secundo). Fuit autem Fabritius talis Romæ, qualis Aristides Athenis, ut infra in hoc libro ait. Optimus quoque liber habet, *A sapientibus*, quomodo Langius ex Parcensi edidit, & Hieronymus Wolfius mavult. Alii cum vulgatis legunt: *Tamquam a sapiente*. IDEM. Hic ausus sum sequi auctoritatem unius Palatini primi, cum hactenus legeretur, *aut Aristides*; quod quia auribus minus gratum sit, quam illud, quis dubitet? GRUTERUS. At cum *Fabricius* & *Aristides* disjunctione *ve* vel *aut* separantur, non recte sequi videntur voces pluralis numeri, *justi nominantur*. Vide notam meam ad I. 41. Sex MSi mei & omnes Oxonienses habent *aut Aristides*, & omnes fere *justus nominatur*: quomodo etiam hic locus legitur in Oxon. editione Lactantii Div. Inst. VI. 6. Fortasse scripsit Cicero, *& cum Fabricius, aut Ari-*

his justitiæ, tamquam a sapientibus, petitur exemplum: nemo enim horum sic sapiens est, ut sapientem volumus intelligi. Nec ii, qui sapientes habiti & nominati, M. Cato, & C. Lælius, sapientes fuerunt; ne illi quidem septem: sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quamdam gerebant speciemque sapientum. Quocirca nec id, quod vere honestum est, fas est cum utilitatis repugnantia comparari: nec id quidem, quod communiter appellamus honestum, quod colitur ab iis, qui bonos se viros haberi volunt, cum emolumentis umquam est comparandum: tamque id honestum, quod in nostram intelligentiam cadit, tuendum conservandumque est nobis, quam id, quod proprie dicitur, vereque est honestum sapientibus; aliter enim teneri non potest; si, quia est ad [illegible], virtus

Aristides justus nominatur. PEARCE.

A sapientibus) Liber Parcensis sic habet, alii omnes, *tamquam a sapiente*. C. LANG.

Nec ii qui sapientes habiti, & nominati) Sic Palatini, sic Pithœana excerpta, nec non editiones principes, & Moguntina, sic & meus secundus; omisso *τῷ sunt*, quos sequor. GRÆV.

M. Cato & C. Lælius sapientes fuerunt) Sic Socratem, Diogenem, aliosque nonnullos longe quidem processisse in via virtutis, ad ipsum sapientiæ culmen nondum pervenisse, quamvis non longe ab illo abfuerint, Posidonius affirmat apud Diogenem Laertium in Zenone. Hi dicebantur, proficientes, studiosi, sectatores sapientiæ. *Nostrum vitium est*, inquit Seneca de Vita beata c. 24. *qui quod dicitur de sapiente, exigimus & a proficiente*. Vide ep. 71. & 75. & Lipsium manuduct. ad Stoic. Philos. lib. II. cap. 9. IDEM.

Cum utilis repugnantia) *Cum utilis repugnantia*, dictum est, ut Manutius annotat, pro cum utili repugnante, in duobus manuscriptis est, *Cum utilitatis repugnantia*, quomodo Atremœcius quoque in suo reperit. Petrus Nannius scribit in vetusto libro esse, *Cum utilitatis ratione*. FR. FABRIT. Inquinata lectio sic forte refingenda ex vet. libro Nannii: *Quocirca nec id quod vere honestum esse, cum utilitatis ratione comparari; nec id quidem quod communiter appellamus, honestum*. Alterum tamen servatur in Palat. & Augustano. GRÆVIUS.

Nec id, quod communiter) Reposui ex meo secundo, *nec id quidem, quod communiter*. GRÆV.

Aliter enim teneri non potest) Non possumus aliter in sapientiæ via consistere, excidemus etiam plane sapientiæ sectatorum numero: actum est cum iis, qui sapientiæ sunt studiosi, si, cum jam profecerunt, propositæ utilitatis & emolumenti spe a recte agendo, & officio colendo avocari se patiuntur; si avertuntur ab officii & honesti cultu utilitate. *Teneri non potest* est tale loquendi genus, quale id quod sæpe apud Livium occurrit; *sisti non potest*, quod est, respublica salva esse non potest, periit, actum est de republica; de quo vide, quæ v. magni Gronovius notat ad Livii lib. IV. cap. 12. Nam qui putant jungenda esse *teneri progressio non potest*, falluntur. Hoc enim loquendi genus *tenere progressionem* non fert Latinæ linguæ genius. IDEM. Sed video Pet. Marsum & Fr. Maturantium jungere verba *teneri* & *progressio*: & cum apud Ciceronem occurrit non raro *tenere cursum*, & *prosequi progressionem*, cur non ad eumdem modum potuit dicere *teneri*

quid absit a perfecto non fere intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat prætermissum: quod item in poematis, & picturis usu evenit, in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti, laudentque ea, quæ laudanda non sint, ob eam, credo, caussam, quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui iidem, quid in unaquaque re vitii sit, nequeant judicare: itaque cum sunt docti a peritis, facile desistunt sententia.

4. Hæc igitur officia, de quibus his libris disserimus, quasi secunda quædam honesta esse dicunt, non sapientum modo propria, sed cum omni hominum genere communia: itaque his omnes, in quibus est virtutis indoles, commoventur. Nec vero cum duo Decii, aut duo Scipiones, fortes viri commemorantur, aut cum Fabricius, Aristidesve justi nominantur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his

totum spectes, videtur esse perfectum. PEARCE.

Proptereaque vulgus) Ita hodie vulgo editur. Sed legendum est cum omnibus fere MSis, & editionibus *propterea quod vulgus* &c. Rationem enim Cicero reddit, cur, *cum aliquid actum sit, in quo solum media officia compareant, id videatur esse perfectum*. Hoc fit, *propterea quod vulgus* vix umquam intelligit, quid inde absit, faciatque ut non sit perfectum. IDEM.

Quod item in poematis, & picturis) Sic edendum curavi, rationem, & duorum V. C. auctoritatem secutus; Nam alii sic habent, *Quod autem in poem.* plane mendose. LAMBIN. *Quod item in poematis*). *Poematibus*, habent libri multi, etiam manuscripti: sed Nonius, *Poematis*, legit. Sosipater quoque scribit, Ciceronem pro Gallio, *poematorum*, & in Oratore, *poematis* dixisse, quomodo oportere dici Varro censuit undecimo ad Ciceronem, ut idem testatur. FR. FABRIT.

Desistunt facile sententia) Sic edidit Langius, itaque habent libri antiqui meliores, & Nonius, ubi docet, *doctum* & *peritum* a Tullio discreta esse, ut sit *peritum* plus, quam quod *doctum*. Sic quoque lib. I. de Finib. *Numquam*, inquit, *ullius oratione victi sententia desistemus*. In Victorianis, Manutianis, & aliis vulgatis cum præpositione legitur: *Desistunt facile a sententia*, quod etiam est usitatum, ut &, *Desistere de sententia*. IDEM.

Fabritius Aristidesve justus nominatur) *Iusti nominantur*, est in optimo libro manuscripto, & editione Victoriana. (nec non Grævii secundo). Fuit autem Fabritius talis Romæ, qualis Aristides Athenis, ut infra in hoc libro ait. Optimus quoque liber habet, *A sapientibus*, quomodo Langius ex Parcensi edidit, & Hieronymus Wolfius mavult. Alii cum vulgatis legunt: *Tamquam a sapiente*. IDEM. Hic ausus sum sequi auctoritatem unius Palatini primi, cum hactenus legeretur, *aut Aristides*; quod quia auribus minus gratum sit, quam illud, quis dubitet? GRUTERUS. At cum *Fabricius* & *Aristides* disjunctione *ve* vel *aut* separantur, non recte sequi videntur voces pluralis numeri, *justi nominantur*. Vide notam meam ad I. 41. Sex MSi mei & omnes Oxonienses habent *aut Aristides*, & omnes fere *justus nominatur*: quomodo etiam hic locus legitur in Oxon. editione Lactantii Div. Inst. VI. 6. Fortasse scripsit Cicero, *& cum Fabricius, aut Ari-*

his justitiae, tamquam a sapientibus, petitur exemplum; nemo enim horum sic sapiens est, ut sapientem volumus intelligi. Nec ii, qui sapientes habiti & nominati, M. Cato, & C. Laelius, sapientes fuerunt; ne illi quidem septem: sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quamdam gerebant speciemque sapientum. Quocirca nec id, quod vere honestum est, fas est cum utilitatis repugnantia comparari: nec id quidem, quod communiter appellamus honestum, quod colitur ab iis, qui bonos se viros haberi volunt, cum emolumentis umquam est comparandum: tamque id honestum, quod in nostram intelligentiam cadit, tuendum conservandumque est nobis, quam id, quod proprie dicitur, vereque est honestum sapientibus; aliter enim teneri non potest, si qua est ad [illegible] virtutis

Aristides justus nominatur. PEARCE.

A sapientibus) Liber Parcensis sic habet, alii omnes, *tamquam a sapiente*. C. LANG.

Nec ii qui sapientes habiti, & nominati) Sic Palatini, sic Pithoeana excerpta, nec non editiones principes, & Moguntina, sic & meus secundus; omisso τῷ *sunt*, quos sequor. GRAEV.

M. Cato & C. Laelius sapientes fuerunt) Sic Socratem, Diogenem, aliosque nonnullos longe quidem processisse in via virtutis, ad ipsum sapientiae culmen nondum pervenisse, quamvis non longe ab illo abfuerint, Posidonius affirmat apud Diogenem Laertium in Zenone. Hi dicebantur, proficientes, studiosi, sectatores sapientiae. *Nostrum vitium est*, inquit Seneca de Vita beata c. 24. *qui quod dicitur de sapiente, exigimus & a proficiente*. Vide ep. 71. & 75. & Lipsium manuduct. ad Stoic. Philos. lib. II. cap. 9. IDEM.

Cum utilis repugnantia) *Cum utilis repugnantia*, dictum est, ut Manutius annotat, pro cum utili repugnante, in duobus manuscriptis est, *Cum utilitatis repugnantia*, quomodo Ammoecius quoque in suo reperit. Petrus Nannius scribit in vetusto libro esse, *Cum utilitatis ratione*. FR. FABRIC. Inquinata lectio sic forte refingenda ex vet. libro Nannii: *Quocirca nec id quod vere honestum esse, cum utilitatis ratione comparari; nec id quidem quod communiter appellamus, honestum*: alterum tamen servatur in Palat. & Augustano. GRUTERUS.

Nec id, quod communiter) Reposui ex meo secundo, *nec id quidem, quod communiter*. GRAEV.

Aliter enim teneri non potest) Non possumus aliter in sapientiae via consistere, excidemus etiam plane sapientiae sectatorum numero, actum est cum iis, qui sapientiae sunt studiosi, si, cum jam profecerunt, propositae utilitatis & emolumenti spe a recte agendo, & officio colendo avocari se patiuntur; si avertuntur ab officii & honesti cultu utilitate. *Teneri non potest* est tale loquendi genus, quale id, quod saepe apud Livium occurrit, *sisti non potest*, quod est, respublica salva esse non potest, periit, actum est de republica; de quo vide, quae v. cl. Gronovius notat ad Livii lib. IV. cap. 12. Nam qui putant jungenda esse *teneri progressio non potest*, falluntur. Hoc enim loquendi genus *tenere progressionem* non fert Latinae linguae genius. IDEM. Sed video Pet. Marsum & Fr. Maturantium jungere verba *teneri* & *progressio*: & cum apud Ciceronem occurrit non raro *tenere cursum*, & *prosequi progressionem*, cur non ad eumdem modum potuit dicere *teneri*

virtutem facta progressio. Sed hæc quidem de iis, qui conservatione officiorum existimantur boni. Qui autem omnia metiuntur emolumentis & commodis, neque ea volunt præponderari honestate, hi solent in deliberando honestum cum eo, quod utile putant, comparare: boni viri non solent. Itaque existimo Panætium, cum dixerit, homines solere in hac comparatione dubitare, hoc ipsum sensisse, quod dixerit, solere modo, non etiam oportere; etenim non modo pluris putare, quod utile videatur, quam quod honestum: sed hæc etiam inter se comparare, & in his addubitare, turpissimum est; quid est ergo, quod nonnumquam dubitationem afferre soleat, considerandumque videatur? Credo, si quando dubitatio accidit, quale sit id, de quo consideretur. Sæpe enim tempore fit, ut, quod plerumque turpe haberi soleat, inveniatur non

nere progressionem; ita ut ne fiat ad vitium regressio? Vt hic sensus melius loco accommodetur, post vocem *facta* inferendum comma censeo, quod a vulgatis editionibus abest. PEARCE.

Sæpe enim tempore fit, ut, quod plerumque turpe haberi soleat) Hoc est, ratio temporis, & status rerum, seu, ut vulgo loquuntur, circumstantiæ rerum & hominum faciunt, ut res, quæ alias turpis esset, non sit turpis, quod verissimum est, & superius ad lib. I. exemplo Catonis aliorumque docuimus. Hinc & Silio Pompeius apud Senecam IV. Controv. 25. *Quædam, quæ licent, tempore, & loco mutato non licent*. Hæc quæ turpia sunt alias, tempore fiunt non turpia, Stoicis dicuntur fieri κατ' οικονομιαν, secundum dispensationem quamdam fieri. Marcus Antoninus IX. των εις εαυτον, ubi ostendit, homines esse ferendos, nec licet peccent nonnumquam male habendos, aut facile damnandos, inter alias rationes etiam hanc affert, ὁτι υδε ει αμαρτανυσι κατειληφας. πολλα γαρ κατ' οικονομιαν γενεται, και ὁλως πολλα δει προτερον μαθειν, ινα τις περι αλλοτριας πραξεως καταληπτικως αποφηνεται. *Non satis scis an peccaverint, Multa enim per dispensationem geruntur, atque omnino multa edocearis oportet, quam de facto alieno certi quidquam statuere possis*. Arrian. in Epictet. lib. III. 14. Των πραττομενων τα μεν προηγυμενως πραττεται, τα δε κατα περιστασιν, τα δε κατ' οικονομιαν, τα δε κατα συμπεριφοραν, τα δε κατα ενστασιν. *Eorum quæ aguntur partim propter se aguntur, partim fiunt ratione temporis, partim per dispensationem, partim obsequii causa, partim propositi tuendi obstinata firmitate*. Vt recte hunc locum exponit Mericus Casaubonus in notis ad superiorem locum Antonini, qui & notat Zenonem apud Stobæum docere, sapientem non vitiose mentiri, qui aut ad decipiendum hostem, aut emolumenti alicujus caussa, και κατ' αλλας οικονομιας τυ βιυ πολλας, aut propter alia multa quæ in vita dispensatione aguntur, quod falsum esse sciunt, asseverant ut verum; qua in sententia quoque est Plato: vide librum III. de Republica, & locum insignem ex libro ejus de Iusto apud Stobæum disputatione XII. de mendacio, ubi docet mentiri, decipere justum esse, si, cum temporis ratio postulat, sapiens & justus vir mentiatur & decipiat, vel ad hostem vincendum, vel ad amicos juvandos. Vide & quæ supra ad librum I. cap. 12. notavimus. GRÆV.

Num

non esse turpe. Exempli caussa, ponatur aliquid, quod pateat latius. Quod potest majus esse scelus, quam non modo hominem, sed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur se adstrinxit scelere, si qui tyrannum occidit, quamvis familiarem? Populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum existimat. Vicit ergo utilitas honestatem, imo vero honestas utilitatem secuta est. Itaque, ut sine ullo errore dijudicare possimus, si quando cum illo, quod honestum

Num igitur se obstrinxit scelere) Nostri libri scripti omnes habent, *Astrinxit*, quorum utrumque a Cicerone usurpari, alii observarunt. Optimus præterea liber habet, *Si qui tyrannum occidit*, ut Langius edidit, atque in libris vetustis multis locis invenitur. FR. FABRIT.

Tyrannum) Hoc nomine Cicero intelligit hostem publicum; qui scilicet statum Civitatis pervertit, qui privatus cum sit & civis, contra patriam arma sumere audet, & in omnes imperium & regnum affectat. Hunc tamquam hostem jure cædi, ex sententia populi Rom. qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum existimat, Tullius affirmare videtur. FACCIOLAT.

Quamvis familiarem) Quia plus quam propinqui & familiares, patria diligenda est. Cari sunt parentes, inquit idem Tullius lib. I. de Offic. cap. 16. cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est. Procul dubio ad Cæsarem alludit a suis occisum. IDEM.

Ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum existimat) Sic sane sapientiores homines & boni cives, cæso Iulio Cæsare, sentiebant; homines vero mali, & qui reip. mutationem suis rebus perditis profuturam existimabant, tyrannicidas vocabant parricidas. Unde Tacit. I. Ann. 8. dicit, occisum Cæsarem dictatorem aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus visum esse. Sed recte Suetonius, cum in ejus vita, quæ præclare gesserat, exposuisset, & ejus virtutes laudasset, cap. 76. subjicit ex bonorum sententia: *Prægravant tamen cetera facta dictaque ejus, ut & abusus dominatione, & jure cæsus existimetur*. GRÆV.

Vicit ergo utilitas honestatem, imo vero honestas) In vetustioribus quanto melius: *Vicit igitur utilitas honestatem? imo vero honestatem utilitas consecuta est*. Significat enim factum illud honestum fuisse per se, utile κατὰ συμβεβηκός. MURETUS XV. Var. lect. 9. Cum nota interrogatoria edendum, *Vicit ergo utilitas honestatem?* ut habet MSus Mill. Objicientis enim hæc potius videntur esse verba, quam Ciceronis confitentis (contra quod in animo habuit) utilitatem posse vincere honestatem. PEARCE.

Imo vero honestas utilitatem secuta est) Ita vulgo; quod contrarium Ciceronis menti prorsus videtur, qui dicit in c. 10. *Itaque utilitas valuit propter honestatem*. Sic etiam in c. 21. *Honestate dirigenda utilitas est*. Et in c. 30. *Nihil, quia utile, honestum est; sed, quia honestum, utile*. Potius igitur legendum: *Imo vero honestatem utilitas secuta est*. Atque hanc lectionem testatur Muretus repertam esse in vetustioribus libris: inest in MSo Reg. quarto, & (ut opinor) in Mead. pr. a prima manu locum habuit. Sensus hujus, & prioris sententiæ hic est: (secundum I. F. Gronovium): Numquid igitur, cum honestum esset non occidere Cæsarem, utile vero occidere, & tamen occisus esset, utile valuit præ honesto? Nequaquam; sed, cum honestum esset occidere tyrannum, quod fecerunt, invenerunt tamquam ultro consequens istam honestatem, quod utile esset populo Romano. IDEM.

Et

nestum intelligimus, pugnare id videbitur, quod appellamus utile, formula quædam constituenda est: quam si sequemur in comparatione rerum, ab officio numquam recedemus. Erit autem hæc formula, Stoicorum rationi disciplinæque maxime consentanea: quam quidem his libris propterea sequimur, quod, quamquam a veteribus Academicis, & a Peripateticis vestris, qui quondam iidem erant, qui Academici, quæ honesta sunt, anteponuntur iis, quæ videntur utilia; tamen splendidius hæc ab eis disseruntur, quibus quidquid honestum est, idem utile videtur, nec utile quidquam, quod non honestum: quam ab iis, quibus honestum aliquid non utile, aut utile non honestum. Nobis autem nostra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcumque maxime probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere.

5. Sed redeo ad formulam. Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum,

Et a Peripateticis vestris, qui quondam iidem erant, qui Academici) Non leguntur hæc postrema in manuscripto, *qui Academici*, & sententia certe non requirit. F. VRSIN. Iidem autem fuerunt Academici, & Peripatetici, vivente Platone, cujus discipuli Aristoteles Peripateticorum auctor, Xenocrates Academicorum parens fuit, teste Cicerone III. de Orat. 17. I. F. GRONOV.

Ab eis differuntur) Vetus: *differentur*. C. LANG. *Splendidius hæc ab eis differuntur*) *Differuntur*, quod Langius in libris vetustis legi admonet, & duo ex nostris habent, non displicet; neque enim hæc a Stoicis differebantur, sed a Cicerone differuntur, ac poterunt ab eis omnibus spendidius differri, qui honestatem ab utilitate non sejungunt. FR. FABRIT.

Quidquid honestum est, idem utile videtur) Hoc Panætii dogma congruit cum eo, quod scripsit superius, & Clemens Alexandrinus ex Cleanthe confirmat: *Socratem exsecrari solitum eum, qui primus utilitatem a natura sejunxisset; id enim querebatur esse caput exitiorum omnium*. Quippe, ut ille cum honestate conjunctam voluit utilitatem, quæ vera, germanaque sit, non quæ fucata, ac spuria, quam ut Panætius cum honestate, ita cum natura pugnare censuit Socrates. Neque enim natura quod fictum, sed quod verum est appetit, ut cibum non pictum, sed verum. Prorsus, ut vera utilitas æque cum natura, cumque honestate cohæreat, & fucata æque utrique repugnet. Itaque uterque jure querebatur invasisse in vitam opinionem illam, quæ ab honestate ac natura utilitatem separans, fucatam solam stabilit; adeo ut cum homines omnes utilitatem ament, fucata potius, quam germana quæratur. Hic porro fons est omnis injustitiæ, ut copiosius inferius docet Cicero. GASSENDVS.

Nobis nostra Academia magnam licentiam dat) *Quia proprium est Academiæ*, ut ait Cic. II. de Divin. 73. *judicium suum nullum interponere, ea probare quæ simillima veri videantur, conferre causas, & quid in quamque sententiam dici posset, expromere, nulla adhibita sua auctoritate, judicium audientium relinquere integrum ac liberum*. I. F. GRONOV.

Hominem hominis incommodo suum augere commodum) Seneca lib. II. de Ira cap.

modum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum, & societatem: si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet, aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam, humani generis societatem. Vt, si unumquodque membrum sensum hunc haberet,

cap. 31, *Illud ante omnia cogita, fœdam esse & execrabilem vim nocendi* (licet tibi videatur commoda parere) *& alienissimam homini, cujus beneficio etiam feræ mansuescunt.* Hierocles in aurea carmina Pithagoræ ait, justitiam verti εν τω των αλλοτριων απεχεσθαι και βλαπτειν μηδενα, μηδε ωφελειαν εαυτε τας των αλλων πειρεσθαι συμφορας. *Si abstineamus ab alienis, neminem lædamus, neque ex aliorum incommodis nostra comparemus commoda.* GRÆV.

Magis est contra naturam) Hoc est, magis adversatur rectæ rationi; quia nempe paupertas, dolor, mors, ut plurimum sunt fortuita, illud vero semper culpam habet. I. FR. GRONOV. Præterea multi viri optimi & sapientissimi fuerunt pauperes, multis & magnis contristati sunt doloribus, & morte injusta extincti, ut Socrates, Epictetus, ne dicam de Servatore nostro Christo, & ejus sectatoribus, Apostolis; neque tamen quisquam sanæ mentis negat, illos convenienter naturæ vixisse, & ab officio non recessisse: cum qui alteri nocet suorum commodorum caussa, a malis etiam male, & contra boni viri officium fecisse censeatur.

Tollit convictum humanum & societatem) Quia suspicionum, simultatum, discordiarum, odiorum caussa sunt, quæ societatem dissolvunt. Quis enim cum eo societatem colat, qui ut suis serviat commodis, aliis, quibuscumque modis potest, detrahat, & noceat? Seneca ep. 95. *Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem in eadem gigneret: hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit: illa æquum justumque composuit: ex illius constitutione miserius est nocere, quam lædi, ex illius imperio paratæ ad juvandum manus.* Nec minus pulcre in eamdem sententiam ep. 49. ostendit, nec illum ipsum posse bene vivere, qui omnia facit utilitatis suæ caussa: *Consortium rerum omnium inter nos est: nec secundi quidquam singulis, nec adversi, in commune vivitur. Non potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit: alteri vivas oportet, si vis vivere tibi. Hæc societas diligenter & sancte observanda est, quæ nos omnes omnibus miscet, & judicat aliquid esse commune jus generis humani.* IDEM.

Vt si unumquodque membrum sensum hunc haberet) Nota est fabula de membrorum humanorum ventris inertiæ succensentium discordia, qua Menenius Agrippa plebem, quæ irata patribus secesserat, ad obsequium & officium revocavit apud Liv. II. 32. Sed pulcrius in hanc rem M. Antoninus lib. VII.: Οιον εστιν εν ἡνωμενοις τα μελη τε σωματος, τυτον εχει τον λογον εν διεστωσι τα λογικα, προς μιαν τινα συνεργιαν κατεσκευασμενα. μαλλον δε σοι ἡ τυτε νοησις προσπεσειται, εαν προς ἑαυτον πολλακις λεγης, ὁτι μελος ειμι τε εκ των λογικων συστηματος. *Quomodo se habent in continuis membra corporis, eadem se habent in disjunctis, quæ sunt ratione prædita: ad mutuas enim rei eidem conficiendæ operas conferendas nata sunt utraque. Consideratio hæc animum tuum magis attinget, si te frequenter sic allocutus fueris, membrum sum ego compagis hujus.* Addit, si quis se tantum existimarit partem esse hujus compagis, non membrum, illum homines nondum ex animo diligere. Vtitur eadem similitudine lib. I. sect. 15. Γεγοναμεν προς συνεργιαν,

aret, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari & interire totum corpus necesse est: sic, si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatque, quod cuique possit, emolumenti sui gratia, societas hominum & communitas evertatur necesse est: nam, sibi ut quisque malit, quod ad usum vitæ pertineat, quam alteri acquirere, concessum est, non repugnante natura: illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus. Neque vero hoc solum natura, id est, jure gentium, sed etiam legibus populorum, quibus in singulis civitatibus reip. continetur, eodem modo constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri: hoc enim spectant leges,

γιαν, ὡς ποδες, ὡς χειρες, ὡς βλεφαρα, ὡς οἱ ϛοιχοι των ανω και των κατω οδοντων. το δε αντιπρασσειν αλληλοις παρα φυσιν. *Ad mutuas operas nati sumus, quo modo pedes, manus, palpebræ, dentium superiorum inferiorumque ordines*. Sed dudum ante Socrates apud Xenophontem usus est hac similitudine ad duos fratres discordes II. ἀπομνημονευματων, quem vide. IDEM.

Necesse est) Ita vulgo: sed septem MSi mei & vet. editiones Victorii, Manutii, Lambini, aliorumque habent *esset*, quæ vox huic loco necessaria videtur, cum præcesserant *haberet*, *putaret*, & *traduxisset*. PEARCE.

Sibi ut quisque malit, quod ad usum vitæ pertineat, quam alteri adquirere concessum est) Hæc enim postulat nostri conservatio, & verum est quod vulgo dicitur, proximus est quilibet sibi ipsi: hoc est, quisque se plus amat, quam ceteros, & sibi mavult esse bene, quam alii. Hoc ostendit etiam Aristoteles II. Magnorum Moralium 7. Αυτα αὑτοις αν μαλιϛα βουλοιμεθα και ταγαθα, και το ειναι, και το ευ ειναι. ὁμοιοπαθεϛατοι δ' αυτοις ἡμιν εσμεν, και συζην τε μεθ' ἑαυτων μαλιϛα βουλοιμεθα. *Ipsi nobismet ipsis maxime expetimus bona, & ut simus, & ut bene simus, & omnium maxime nostris malis movemur, & nobis vivere maxime volumus*. Hoc ipsum Cicero in lib. I. quoque præcepit, quod hic inculcat: *Rei familiaris amplificatio nemini nocens non est vituperanda*. GRÆV.

Natura, id est, jure gentium) Sic & alibi *jus gentium* vocat *jus naturæ*. In Tusculana I. *Omni in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est*. Sic & ICti sæpe. Paullus II, *Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus*. Sed & Gaius tertio institutionum in Pandect. I. de Divisione rerum, l. 2. *Et quidem naturali jure, omnium communia sunt illa, aer, aqua profluens, & mare, & per hoc litora maris*. Mox, quod naturale jus dixit in hac lege, in sequenti tertia vocat *jus gentium*: *Nemo ad littus maris accedere prohibetur piscandi causa, dum tamen villis, & ædificiis, & monumentis abstineatur: quia non sunt juris gentium, sicut & mare*. Nec aliter Aristot. Nicom. V. 10. Sed tamen falso jus gentium dici jus naturæ, jamdudum viri docti multis ostenderunt. Vide Sam. Pufendorfii de Iure naturæ & gentium lib. II. cap. 3. IDEM.

Ut non liceat sui commodi caussa nocere alteri) Fons enim legum, unde ceteræ manant, est *neminem lædere*, cujus rationem eamdem reddit Florentinus libro primo Institutionum apud Iustinianum I. Pand. de justitia & jure, quam paullo ante Cicero reddidit, nimirum quia est communis hominum societas: *Cum inter nos cognationem*

leges, hoc volunt, incolumem esse civium conjunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exsilio, vinclis, damno coercent. Atque hoc multo magis exigit ipsa naturæ ratio, quæ est lex divina, & humana, cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent vivere) numquam committet, ut alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, sibi assumat. Etenim multo magis est secundum naturam excelsitas animi, & magnitudo,

nem quamdam, inquit, *natura constituit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse*. IDEM.

Exsilio, vinclis) *Vinclis*, est etiam in melioribus libris nostris, quomodo alibi quoque Ciceronem hoc nomen & alia ejus generis contraxisse, libri veteres docent. In Paradoxo V. *Ita venusta, habeantur ista, non ut vincla virorum sint, sed ut oblectamenta puerorum*, & epist. 6. lib. X. ad famil. in libro Mediceo legitur: *Cum quibus te non tuum judicium, sed temporum vincla conjunxerunt*. Quod sequitur, *atque hoc multo magis efficit*, omnium veterum librorum testimonio comprobatur, & significat, incolumitatis ejus, qua civium societas conservatur, caussam efficientem esse naturam, pro quo, *Exigit*, vulgo reposuerunt. FR. FABRIT. Minime gentium, *efficit*, probandum. Dicit enim, hoc spectare leges, sed multo magis id exigere naturæ rationem. *Vinclis* est quoque in Pith. excerptis. GRAEV.

Naturæ ratio, quæ est lex divina & humana) Naturæ nimirum humanæ seu socialis ratio, quæ ostendit & præcipit, nihil committendum esse, quod istam societatem lædat ac violet: lædit autem, qui insonti nocet, ut sibi prosit, ut suis serviat commodis. Hanc naturam omnibus hominibus insevit Deus, qui est naturæ parens & auctor: ideo lex ex hac natura humana profluens, nulli nocendum esse, est divina. Sed præterea præcipiunt hoc ipsum quoque, quod ex natura hausimus & didicimus, leges humanæ cum civiles, tum gentium. Hæc est hujus loci sententia. IDEM. Quo sensu *naturæ ratio* dicatur esse *lex divina & humana*, possumus colligere ex II. 4. Leg. *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam & ultimam, mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata; est enim ratio mensque sapientis ad jubendum, & ad deterrendum idonea*. PEARCE.

Secundum naturam volent vivere). *Secundum naturam vivere est*, ita vivere, ut vult & docet natura rationalis & socialis hominum omnes homines. GRAEV.

Etenim multo magis est secundum naturam) Sed præclare admodum, quæ hic Cicero docet, magis secundum naturam esse celsitatem animi, & magnitudinem, quam voluptates Aristoteles exequitur in cap. 8. lib. IX. ad Nicomachum, quod omnino videndum: id tandem his finit: *Quod de viro bono dicitur, eum multa & amicorum, & patriæ caussa agere, etiamsi mors ei sit appetenda, verum est; nam & pecuniæ, & honorum, & omnium eorum bonorum, de quibus homines inter se contendere solent, jacturam faciet, ut sibi ipsi honesti possessionem comparet ac vindicet. Paulisper enim magna voluptate potiri, quam diu parva, & annum unum honeste vivere, quam multos temere, & ex arbitrio nutuque fortunæ, multo malit. Unam denique actionem magnam & honestam multis & parvis anteponat. Atque hoc iis, qui vel pro amicis, vel pro patria excedunt e vita, æque contingit. Igitur quod sibi honestissimum ducunt, capiunt & sumunt. Pecunias quin etiam libenter proje-*

do: itemque comitas, justitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiæ: quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere comparantem cum utilitate communi, magni animi & excelsi est. Detrahere autem alteri sui commodi causa, magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cetera generis ejusdem: itemque, magis est secundum naturam, pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis, aut juvandis maximos labores molestiasque suscipere, imitantem Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilium cælestium collocavit: quam vivere in solitudine, non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abun-

projecerint atque profuderint, ut amici ampliores consequentur. Amico enim pecunia, ipsi honestum queritur. Majus autem bonum sibi ipsi tribuit. Idem de honoribus, & imperiis seu magistratibus sentiendum est, hæc enim omnia amico cedet, quoniam hoc ei honestum est & laudabile. Vide & IV. ad. Nicom. 3. Idem.

Celsitas animi & magnitudo) In meis libris manuscriptis omnibus est, *Excelsitas animi*, idque editiones Cratandri, & Victorii probant. Nonius quoque Marcellus hujus loci testimonio, *excelsitatem* dici ostendit. Versu insequenti, *comitas*, in multis libris etiam scriptis legitur: sed justitiæ, & liberalitatis mentio facit, ut, *communitas*, magis placeat: justitia enim & liberalitate hominum communitas constat, & conservatur. Fr. Fabrit. Si *communitas* præferant optimi libri, facile id quoque præterrem ipse vulgato *comitas*, sed non in hac notione, qua poni censet Fabritius, sed pro humanitate, beneficentia, φιλανθρωπια, sicut *communis* exponit Servius ad illud Virgilii: *Communemque vocate deum*, humanum, beneficum, φιλανθρωπον, unde & *Communes homines* dicimus. Cic. IV. ad fam. ep. 9. *Cum magis communem censemus in victoria futurum fuisse*. Sueton. Claud. 21. *Nec ullo spectaculi genere communior aut remissior erat, adeo ut oblatos victoribus aureos prolata sinistra pariter cum vulgo, voce digitisque numeraret*. Ad quæ notat Casaubonus, in vulgatis pro *communior*, lectum fuisse, *comior*, sicut in Vespas. 22. pro *comissimus* in Viterbiensi reperiatur *communissimus*. Græv.

Detrahere autem alteri) Sic Victorius & Manutius legunt, nostri libri cum Langianis habent: *Detrahere autem de altero*. Fr. Fabrit. Tota ista periodus mihi suspecta est, tamquam repetita a sciolo de capitis hujus principio. Palatini tantum nostri habent *detrahere autem de altero*, quod & in Fabritii, & plurimis Aldi exemplaribus. Gruterus.

Hominum fama) *Fama* hic, & alibi sæpe est id, quod homo aliquis fatur: communi voce homines prædicarunt, Herculem esse Deum; eorum igitur *fama* eum in concilio cælestium collocavit. Pearce.

In concilio cælestium collocavit) Langius legit: *In concilium cælestium collocavit*, eodemque modo in duobus manuscriptis perspicue est scriptum. Cum autem constet, Ciceronem dixisse, *Esse in potestatem*, quis, *Collocare in concilium*, in eo improbet, cum præsertim in hoc motus significatio insit? itaque lib. I. de Natura deorum ait: *Homines jam morte deletos reponere in deos*. Fr. Fabrit. Verissima autem Ciceronis est sententia. Nam *Deus est mortali juvare mortalem: & hæc ad æternam gloriam via, hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscribant*, ut Plinius ait Hist. Nat. II. 1. Græv.

Vt

abundantem omnibus copiis ; ut excellas etiam pulcritudine, & viribus. Quocirca optimo quisque, & splendidissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit. Ex quo efficitur, hominem naturæ obedientem homini nocere non posse. Deinde, qui alterum violat, ut ipse aliquid commodi consequatur, aut nihil se existimat contra naturam facere ; aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuipiam injuriam : si nihil existimat contra naturam fieri hominibus violandis ; quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine tollat? sin fugiendum id quidem censet, sed & multo illa pejora, mortem, paupertatem, dolorem ; errat in eo, quod ullum aut corporis, aut fortunæ vitium animi vitiis gravius existimat.

6. Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscujusque, & universorum : quam si ad se quisque rapiat, dissolvetur omnis humana consortio. Atque

Vt excellas) I. e. ita abundantem omnibus copiis, ut excellas etiam pulcritudine &c. PEARCE.

Aut nihil se existimat contra naturam facere) Quasi scilicet natura unumquodque animal maxime conciliet sibi, & ideo qui sibi serviat, ac prosit, utcumque cum alterius damno, nihil facere contra naturam. I. FR. GRONOVIUS.

Aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem) Hoc est genus modestioris malitiæ in illis, qui non quidem commodi sui persequendi, sed incommodi vitandi caussa, nocere se jure posse alteri fas putant. IDEM.

Fugiendam censet) *Fugiendum* legitur in omnibus MSis nostris, quæ ratio structuræ in substantivis diversorum generum est Ciceroni perquam familiaris. Victorius legit, *fugienda* : quo modo Cicero quoque interdum loquitur : ut lib. V. de Finibus. *Itaque e contrario moderati, æquabilesque habitus, affectiones, usu sque corporis apta esse ad naturam videntur*. FR. FABRIT.

Quid cum eo disseras) In duobus vet. *edisseras*. Sic Cornificius ad Herennium I. *Deinde in conjecturalem trahetur controversiam, & edisseretur, num consulto factum sit*. C. LANG. *Quid cum eo disseras*) *Edisseras*, est in optimo libro nostro, atque ita Langius ex duobus vet. edidit. FR. FABRIT.

Hominem ex homine tollat) I. e. id existimat, unde sequitur, ut cum eo, qui homo est, non ut cum homine agendum sit. PEARCE.

Fugiendum id quidem) Nempe, violare alium sui commodi caussa. IDEM.

Errat in eo, quod ullum aut corporis, aut fortunæ vitium) Sed hic error oritur a vitiositate, & improbitate ; in bonum virum non cadit. *Pervertit enim, & depravat judicium rationis vitiositas, efficitque ut de principiis actionum falsum judicemus*, ait Aristoteles VI. ad Nicom. 12. Et III. Nicom. 1. *Ignorare quæ sunt agenda, & a quibus item est abstinendum, est quidem illud ejusmodi, quod omnibus improbis conveniat, atque adeo ex ista re homines efficiuntur injusti, imo mali.* Quæ duo loca notavit Rachelius. GRÆV.

Dissolvetur omnis humana consortio) *Consortio*, legit Nonius : & ita habent vet.

Atque si etiam hoc natura præscribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit, necesse est secundum eamdem naturam omnium utilitatem esse communem: quod si ita est, una continemur omnes, & eadem lege naturæ; idque ipsum si ita est, certe violare alterum lege naturæ prohibemur: verum autem primum; verum igitur & extremum. Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt, parenti se, aut fratri nihil detracturos commodi sui causa: aliam rationem esse civium reliquorum: hi sibi nihil juris, & nullam societatem, communis utilitatis causa, statuunt esse cum civibus; quæ sententia omnem societatem distrahit civitatis. Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis societatem: qua sublata, beneficientia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur; quæ qui tollunt, etiam

vet. libri. Sic Cicero pro Flacco, *consortes mendicitatis* dicit. C. LANG.

Dissolvetur omnis humana consortio) Sic habent omnes libri veteres, & quos vidi, & quos non vidi, ut alii testantur: quos quare non sequerer, nulla causa visa est. LAMBIN.

Dissolvetur omnis humana consortio) Hæc est constans omnium librorum veterum lectio, ut Balduinus, Langius, Lambinus, & alii mecum testantur. Hujus quoque loci testimonio utitur Nonius, ubi docet, *Consortium* genere neutro, & *consortionem* genere feminino dici. Libri tamen Manutiani, & alii quidam vulgati habent, *Consociatio*. FR. FABRIT. Firmat hunc lectionem uterque Palat. Moguntina princeps, & Romana altera, GRUTER.

Ob eam ipsam causam, quod is homo sit) Propter cognationem illam a natura inter homines constitutam, de qua Iulian. in fragmentis: Ανθρωπος γαρ ανθρωπῳ και εκων και ακων πας εστι συγγενης. *Nemo enim homini velit nolit cognatione junctus est*. Ideo & servi, tamquam homines, non sunt bestiarum instar habendi, & trucidandi, ut non solum, notante Rachelio, docet Aristoteles VIII. Nicom. 11. *Qua servus est id, quod est*, nimirum instrumentum animarum, *nulla cum eo amicitia intercedit domino: sed quæ homo est, aliqua. Nam omni homini cum eo, cum quo pactionum & rerum contrahendarum ratio nobis esse potest, jus aliquod intercedere videtur. Ergo & amicitia, quatenus homo*. Sed & Seneca I. de Clem. 18. *Cum in servum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune jus animantum vetet; quia ejusdem naturæ est, cujus tu*. Sed de hac communi societate, & superius ad librum primum, & paullo ante ad hunc ipsum uberius egimus, & plurimis in locis illam inculcat M. Antoninus libris των εις ἑαυτον. Vnum locum nunc attulisse sufficiat ex libro III. Μεμνηται και, ὁτι συγγενες παν το λογικον, και ὁτι κηδεσθαι μεν παντων ανθρωπων, κατα την του ανθρωπου φυσιν εστι. *Meminit etiam cognatum esse rationale omne: & naturæ ipsius humanæ rationem exigere hoc ab unoquoque, ut hominum quorumvis curam habeat*. Hæc est illa utilitas communis, de qua hîc Cicero, & in illo loco M. Antoninus. GRAV.

Violare alterum) Græcorum more usurpavit *violandi* verbum, non pro *vim ferre*, sed pro *injuriam facere* præter

etiam adversus deos immortales impii judicandi sunt: ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt: cujus societatis arctissimum vinculum est, magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere sui commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, quæ non vacent justitia: hæc enim una virtus, omnium est domina, & regina

ter jus. Græci dicunt ὑβρίζειν; & ὕβριν non solum *vim*, sed etiam *injuriam* & *contumeliam* vocant. PEARCE.

Ab iis enim constitutam societatem evertunt) Hæc societas dicitur a diis constituta, quia ut Lucretius ait:

--- *Celesti sumus omnes semine oriundi:*
Omnibus ille idem pater est.

Et Lactant. Institut. VI 10. *Si ab uno Deo inspirati omnes & animati sumus, quid aliud quam fratres sumus? & quidem conjunctiores, qui animis, quam qui corporibus*. M. Antoninus lib. XII. ubi docet nos non posse ab ullo lædi, sed delinquentium delicta esse ferenda æquo animo, cum cogitemus: Ὅση ἡ συγγένεια ἀνθρώπου πρὸς πᾶν τὸ ἀνθρώπειον γένος· οὐ γὰρ αἱματίου ἢ σπερματίου, ἀλλὰ νοῦ κοινωνία. *Quæ homini cuivis cum toto genere humano intercedat cognatio; neque enim tam sanguinis aut seminis, quam mentis exigit communio*. GRÆV.

Vel etiam ipsius animi, quæ vacent justitia) Locus perobscurus: quæ sunt enim illa animi commoda, quæ vacent justitia? aut quæ horum verborum vis, ac sententia est? Plane res est inexplicabilis. Ego, ne lectorem morer, membrum unum hic deesse puto, a scriptore librario errante, atque oscitante propter vocum similitudinem præteritum. Sic igitur legendum auguror: *Magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere sui commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa, vel corporis, vel animi: & rursus, magis esse secundum naturam, hominem, si modo sine incommodo suo facere possit, homini consulere, ac prodesse, quam omnia commoda vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, percipere, quæ vacent justitia. Hæc enim*; &c. LAMBIN. Legendum est *servantem justitiam*. Vetus scriptura depravata est *cevatent justitiam*, unde nata est, quæ in editis nunc legitur, *quæ vacent justitia*. MURETUS, XV. Var. lect. 9. *Quæ vacent injustitia*) In vulgatis libris omnibus, consentientibus plerisque MSis, legitur, *Quæ vacent justitia*, quod cum Ciceronis sensu aperte pugnat: itaque multi jam anni sunt, cum meos auditores ex variis lectionibus Pauli Manutii, *Injustitia*, reponere jussi, quocirca non possum non vehementer laudare factum Lambini: qui cum in contextu lectionem vulgatam reliquisset, in Omissis admonuit, legendum esse, *Quæ vacent injustitia*; numquam enim subeunda sunt incommoda animi, quæ vacent justitia: & qui talia incommoda subiret, contra naturam faceret. Nunc autem (ut quidem scriptum est in omnibus libris vulgatis) dicit, magis esse contra naturam detrahere alteri sui commodi causa, quam subire omnia incommoda etiam animi, quæ careant justitia. At hoc pugnat cum sensu Ciceronis; vult enim, injustitiam esse omnium incommodorum maxime contra naturam. FR. FABRIT. Sententiam loci deprehendit Muretus, omnia incommoda subeunda esse, dummodo ne violet justitiam; sed mitius consuletur verbis, si scribamus *ne vacet justitia*. Iubet enim subire hominem omnia incommoda, ne vacet vel careat justitia. I. FR. GRONOV. Preferrem cum Fabritio codicis Vbaldini scripturam, *quæ vacent injustitia*, nisi verba sequentia, *quæ virtus* legendum esse *justitia* suaderent; Pith. excerpta: *quæ vocat justitia*, forte particula *non* excidit, & scripsit Cicero, *quæ non vacent justitia*, hoc est, quævis incommoda potius subeunda esse, si nihil in illis sit injusti. Et

gina virtutum. Forsitan quispiam dixerit: Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili? Minime vero. Non enim mihi est vita mea utilior, quam animi talis affectio, neminem ut violem commodi mei gratia. Quid? si Phalarim, crudelem tyrannum, & immanem, vir bonus, ne ipse frigore conficiatur, vestitu spoliare possit, nonne faciat? Hæc ad judicandum sunt facillima: nam, si quid ab homine ad nullam partem utili tuæ utilitatis causa detraxeris, inhumane feceris, contraque naturæ legem: sin autem is tu sis, qui multam utilitatem reip. atque hominum societati, si in vita remaneas, afferre possis: si quid ob

Et sic conjeceram, ex vestigiis Pithœani codicis, cum postea in uno Manutii sic scriptum fuisse deprehendi, quem sane sequor. Græv. *Quæ vacent justitia*) Ita omnes fere vet. editiones, & MSi quasi uno ore. Grævius vero ex vestigiis Pithœani codicis, & ex uno MSo Manutii legere voluit, *quæ non vacent justitia*. Sensus est (ait); Quævis incommoda potius subeunda esse, si nihil in illis sit injusti. Sed quid, rogo, est illud *injustum*, quod possit inesse in incommodis animi? Equidem non video, quo sensu dicantur hæc posse vel habere justitiam, vel ea vacare. In excerptis Pithœanis legitur *quæ vacat justitia*: unde nata est mihi conjectura certissima (ut opinor), Ciceronem scripsisse, *quia vacat* (vel *vacet*) *justitia*, sc. *quia*, *detrahere hominem homini*, *sui commodi caussa*, *vacet justitia*; nam ad illa verba, non ad animi incommoda respicere hæc videntur. Ideo id *contra naturam magis est*, quam omnia incommoda subire, quia vacat & caret justitia. Alii alio modo hunc corruptissimum locum emendare voluerunt. Mihi quidem præ ceteris longe placet mea conjectura: nam Noster fere haud aliter locutus est in I. 19. *Ea animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus, si justitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est*: ubi quod *pugnat pro suis commodis* dicitur, ut hic, *justitia vacare*. Hæc mea conjectura mihi magis placet, quia ex notis suis, quarum Cl. Chapmannus mihi humaniter copiam fecit, patet illum eamdem fecisse. Pearce.

Minime vero) Aliter sentit H. Grotius lib. II. de Iure Belli & Pacis cap. 2. qui censet in gravissima necessitate reviviscere jus illud pristinum rebus utendi, tamquam si communes mansissent, quia in omnibus legibus humanis, ac proinde & in lege dominii, summa illa necessitas videtur excepta. Sed vide, quæ pluribus de hac re disputat ibi, & quidnam observandum tali tempore, ne peccemus; vide & qui illa discussit Samuel. Pufendorfium lib. II. de Iure naturæ & gentium, cap. 6. Græv.

Ne ipse frigore conficiatur) Muretus XV. Var. lect. 9. affirmat libros suos veteres habere, *ne ipse algore pereat*. At sic nulla editio, nulli MSi aliorum, neque Palatini, ut dubitem de fide codicum ejus. Gruter.

Nam si quid homini homo) Nostri libri cum Victorianis, Manutianis, Langianis, & aliis habent: *Nam si quid ab homine ad nullam partem utili utilitatis tuæ caussæ detraxeris*. Fr. Fabritius.

Sin autem is tu sis) Qui in Cicerone reprehendunt hanc distinctionem, non cogitant illum loqui de perfecto sapiente, qui novit quid cuique sit tribuendum, & in omnibus respicit cum utilitatem communem socie

ob eam causam alteri detraxeris, non sit reprehendendum: sin autem id non sit ejusmodi, suum cuique incommodum ferendum est potius, quam de alterius commodis detrahendum. Non igitur magis est contra naturam morbus, aut egestas, aut quid hujusmodi, quam detractio, aut appetitio alieni. Sed communis utilitatis derelictio contra naturam est; est enim injusta: itaque lex ipsa naturæ, quæ utilitatem hominum conservat & continet, decernit profecto, ut ab homine inerti atque inutili ad sapientem, bonum, fortemque virum transferantur res ad vivendum necessariæ: qui si occiderit, multum de communi utilitate detraxerit: modo hoc ita faciat, ut ne ipse de se bene existimans, seseque diligens, hanc causam habeat ad injuriam, Ita semper officio fungetur, utilitati consulens hominum,

societatis humanæ, tum illius, in qua vivit, reipublicæ, cujus salutem, dignitatem & commoda suis præfert. Itaque si sciat talem se esse, non propter se, sed propter remp. detrahet in extrema necessitate alteri minus utili civi, ut servetur aliquid. GRÆVIVS.

Ob eam causam) Publicam nimirum utilitatem, non privatam. IDEM.

Sin autem id non sit ejusmodi) Liber vetus, quo nunc utor, ita habet: *Sin autem is non sis ejusmodi*; unde colligo librarium primo per errorem, cum scripsisset *sin*, rediisse denuo ad superius membrum, cujus principium erat, *sin autem is tu sis*: deinde, errore animadverso, non delevisse quidem duas voces, quas frustra repetierat, *autem is*, sed cetera persecutum. Vt sit vera lectio, *sin non sis ejusmodi*. MVRETVS XV. L. V. 9.

Suum cuique incommodum ferendum) Sanctius sane & verius veteres, quam qui nuper ex schola Malisburiensi propter conservationem sui quidvis in quemvis licere docent. Nos nobis conciliasse naturam, ut nobis nihil sit carius, certissimum est: sed eadem nos docuit, non ita nos amare nos debere, si convenienter ei vivamus, ut ad nostra incommoda declinanda, aliis ejusdem naturæ consortibus sit nocendum. Nollemus enim nobis id fieri, si eo essemus loco, quo is est, cujus incommodo, aut morte nostram utilitatem, aut vitam redimere constituimus, nisi is exuerit hominem, & instar belluæ in sui generis participes sæviat, ut tyrannus, latro, pirata. GRÆV.

Ad bonum fortemque virum) Propter utilitatem reipublicæ, quam quilibet bonus suæ præfert. Hinc Seneca lib. I. de Clem. 4. *Principes regesque & quicumque alio nomine sunt tutores status publici, non est mirum amari ultra privatas etiam necessitudines; Nam si sanis hominibus publica privatis potiora sunt, sequitur ut is quoque carior sit, in quem se convertit respublica.* Et verissima est sententia, si recte perpendatur. Quæ alia caussa est, cur recte non solum pro boni Regis, Principis, Imperatoris, sed & sapientis & utilis civis salute & vita, suam vitam exponant multi periculo? Sic viginti millia civium pro ipso Tullio contra Clodium erant dimicaturi, si Tullius permisisset. Erant quidem & aliæ caussæ, sed hæc potissima. IDEM.

Hanc causam habeat ad injuriam) Modo ne φιλαυτία nos decipiat, & elatius de nobis ipsi sentientes, quam revera sumus, alios afficiamus injuria propter nos, non propter utilitatem publicam. IDEM.

Ita semper officio fungetur) *Fungetur, utili-*

minum, & ei, quam sæpe commemoro, humanæ societati. Nam, quod ad Phalarim attinet, perfacile judicium est: nulla enim nobis societas cum tyrannis, sed potius summa distractio est: neque est contra naturam, spoliare eum, si possis, quem honestum est necare: atque hoc omne genus pestiferum, atque impium ex hominum communitate exterminandum est. Etenim, ut membra quædam amputantur, si & ipsa sanguine, & tamquam spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas, & immanitas belluæ a communi tamquam humanitate corporis segreganda est. Hujus gene-

utilitati consulens hominum, ut Lambinus edidit, legitur in nostris MSis omnibus; in aliis est, *fungatur*. Langius etiam *omnium*, pro *hominum* edidit. Fr. Fabrit.

Sed potius summa distractio est) Secutus sum libros vulgatos; nam MSi habent, *& potius*, quod erratum librariorum est; nam omissum est *s*, propter vocem, quæ proxime antecedit, *tyrannis*: *set*, autem scribebant interdum per *t*, ita in omnes libros irrepsit, *&*, pro, *sed*. Lambin. *Conjunctioni* opponitur hæc *distractio*. Sensus est: Necesse est, ut ab iis distrahamur, ut cum illis habeamus non modo nullam societatem, sed etiam maximas inimicitias. Sic Balbus in Ep. Cic. ad Att. VIII. ad finem dicit, *Cæsarem & Pompeium perfidia hominum distractos fuisse*. Pearce.

Quem honestum est necare) Hæc constans fuit rerumpublicarum veterum sententia, quam magistri recentes acriter impugnant, ac si nullus hodie tyrannus inveniatur. Non nego posse nonnumquam optimum etiam Principem aut civem in invidiam vocari tyranni nomine, sicut Clodius Ciceronem, qui patriam tyrannide liberarat, & propter hoc ipsum, quod eam hoc discrimine liberarat, tyrannidis crimen apud seditiosum populum imponebat, non tamen propterea tyrannos nullos esse infitiandum est: aut veteres reprehendendi, qui docent eos juste necari. Quis autem tyrannus sit, & quis populus, qui recte possit decernere, qui sit tyrannus rectissime docet Fr. Gronovius ad lib. I. Grotii de Iure Belli & Pacis cap. III. Sed de hoc loco disputat etiam H. Grotius in libro III. de Iure Belli & Pacis cap. 19. quamvis proprie ibi agat de Fide servanda tyranno & piratæ; si cum eo tamquam tyranno & pirata pactum iniisti, & fidem ait servandam, non propter tyrannum, sed propter te ipsum, qui tuam fidem obstrinxisti homini: recte quoque a Cicerone hîc pronunciari, tyrannum posse spoliari, qui honeste possit necari. Grev.

A communi tamquam humanitate corporis segreganda) Quid est *humanitas corporis*? aut legendum: *a communi tamquam humanitatis corpore*, aut est hypallage, ut apud Iustin. XII. 2. *Antiquitatis fata veneratur*, pro *fatorum antiquitatem*, & XIV. 1. *fidei sacramento* pro *sacramenti fidei*. Sed prius placere quoque Mureto postea cognovi. De re ipsa, quando liceat necare tyrannum, vide sententiam Grotii lib. I. de Iure Belli & Pacis cap. 4. §. 7. Grævius. Muretus (opinor) bene vidit vocem *communi* cum *corpore* conjungendam fuisse, ut, quæ hîc dicuntur, melius iis, quæ in similitudine præcesserant, responderent. At mihi videtur Cicero scripsisse: *a communis tamquam humanitate corporis*. Per *commune corpus* intelligo id, quod totum hominum genus complectitur; inter quod, & uniuscujusque hominis corpus (de quo ante) comparatio instituitur. Nec displicet conjectura Fr. Sayi, cui videtur vox *corporis* delen-

generis sunt quæstiones omnes eæ, in quibus ex tempore officium exquiritur.

7. Ejusmodi igitur credo res Panætium persecuturum fuisse, nisi aliqui casus, aut occupatio consilium ejus peremisset: ad quas ipsas consultationes ex superioribus libris satis multa præcepta sunt, quibus perspici possit, quid sit propter turpitudinem fugiendum: quid sit id, quod idcirco fugiendum non sit, quia omnino turpe non est. Sed quoniam operi inchoato, & prope jam absoluto, tamquam fastigium imponimus: ut geometræ solent non omnia docere, sed postulare, ut quædam sibi concedantur, quo facilius, quæ volunt, explicent; sic ego a te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si potes, nihil, præter id quod honestum sit, propter se esse expetendum: sin hoc non licet per Cratippum, at illud certe dabis, quod honestum sit, id esse maxime propter se expetendum. Mihi utrumvis satis est: & cum hoc, tum illud probabilius videtur, nec

delenda esse, ut ex præcedentibus huc errore adducta. Vulgatam tamen lectionem Iac. Gronovius defendit, quem consulat, si quis arbitratur, eam posse defendi. PEARCE.

In quibus ex tempore officium exquiritur) Vide medium cap. 4. ad quod hæc respiciunt. IDEM.

Aliqui casus) *Aliquis*, puto rectius in MSo. F. VRSIN. *Nisi aliqui casus*) *Aliqui*, pro *aliquis*, ut Victorius, Langius, & Lambinus edendum curarunt, nostri quoque libri meliores habent. Quod autem Paulus Manutius Erasmi conjecturam secutus, *Prævenisset*, pro *Peremisset*, reposuit, merito displicet. *Peremisset* autem est, penitus & in perpetuum impedivisset, atque oppressisset, ut pro Plancio: *Sin autem vitam mihi forte ademisset, aut vis aliqua major reditum peremisset*. FR. FABRITIVS.

Consilium ejus peremisset) Sic, *reditum perimere*, pro Plancio: vide Sextum Pompeium. C. LANG. Cic. pro Sext. *Si causam publicam mea morte peremisset*. Ad Q. Fratrem: *Dices, quid istuc intererat? nescio, nisi tam mihi erat verendum sæpius, ne quis casus perimeret superiora*. I. FR. GRONOV.

Consultationes ex superioribus libris &c.) I. Walkerus locum *ex ex* mutandum esse notavit, ut legamus, *consultationes superioribus libris satis multa præcepta sunt, ex quibus perspici possit*. PEARCE.

Prope tamen absoluto) In MSo est, *jam*, pro *tamen*, & recte: ex *jam* enim factum est *tam*, & inde *tamen*. F. VRSIN. *Prope tamen absoluto*) In uno MSo pro *tamen*, legitur, *tam*, quod fortassis ex, *jam*, factum est; nam apud Nonium in *Fastigia* scriptum est: *Et prope jam absoluto*. FR. FABRIT. Palatinus primus pro his omnibus solummodo habet, *inchoato jam quasi fastigium imponimus*, quod genuinum magis videtur. GRUTERUS.

Ut Geometræ solent non omnia docere, sed postulare) De hoc Geometrarum more Cicero quoque V. Tusc. 7. *Mathematicorum iste mos est, non philosophorum. Nam Geometræ cum aliquid docere volunt, si quid ad rem pertinet eorum, quæ ante docuerunt, id sumunt pro concesso, & probato: illud modo explicant, de quo ante nihil scriptum est*. Hinc Seneca ep. 88. *Mathematica, ut ita dicam, superficiaria est: in alieno ædificat, aliena accipit principia, quorum*

nec praeterea quidquam probabile. Ac primum Panætius in hoc defendendus eſt, quod non utilia cum honeſtis pugnare aliquando poſſe dixerit (neque enim ei fas erat) ſed ea, quæ videntur utilia. Nihil vero utile, quod non idem honeſtum: nihil honeſtum, quod non idem utile ſit, ſæpe teſtatur; negatque ullam peſtem majorem in vitam hominum invaſiſſe, quam eorum opinionem, qui iſta diſtraxerint. Itaque non ut aliquando anteponeremus utilia honeſtis, ſed ut ea ſine errore dijudicaremus, ſi quando incidiſſent, induxit eam, quæ videretur eſſe, non quæ eſſet, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus, nullis adminiculis, ſed (ut dicitur) Marte noſtro: neque enim quidquam de hac parte poſt Panætium explicatum eſt, quod quidem mihi probaretur de iis, quæ in manus meas venerunt.

8. Cum igitur aliqua ſpecies utilitatis objecta eſt, commoveri neceſſe eſt: ſed ſi, cum animum attenderis, turpitudinem videas adjunctam ei rei, quæ ſpeciem utilitatis attulerit, tunc non utilitas relinquenda eſt, ſed intelligendum,

rum beneficio ad altiora perveniat. Graev.

Nec præterea quidquam probabile) Hoc tamquam Academicus dicit. Academici enim de omnibus dubitabant. Idem.

In vitam hominum invaſiſſe) Præpoſitio, *in*, abeſt a duobus MSis, & impreſſo Victorii libro. Fr. Fabrit.

Marte noſtro) In eo quod ſuo Marte ſe feciſſe dicit Cicero, videre eſt, qualis quantuſque ſcriptor Panætius fuerit, quem in duobus ſuperioribus libris ſecutus eſt. In hoc enim eadem nimium repetita ſunt, præceptorum utilium & ordo, & vis, & copia deeſt. Vellem equidem Panætii Martem Ciceroni etiam in hoc tertio libro affuiſſe. Pearce.

De iis, quæ in manus &c.) Forte, *in iis, quæ*. Nam de hac parte Cicero antea dixerat, i. e. de repugnantia utilium, & honeſtorum. Nunc vero eum loqui puto de ſcriptis philoſophorum, qui hanc partem tractarant: *in iis* vero, quæ viderat, nihil explicatum invenerat, quod ipſi probaretur. Idem.

Commoveri neceſſe eſt; ſed ſi, cum animum attenderis) Videtur τὸ *animum* ſuo loco motum, & pertinere ad verba præcedentia; ſicque Ciceronem ſcripſiſſe: *Cum igitur aliqua ſpecies utilitatis objecta eſt, commoveri neceſſe eſt animum; ſed ſi, cum attenderis, turpitudinem videas adjunctam ei rei*. I. Fr. Gronov. Huic Gronovii conjecturæ favet MSus Reg. quart. qui habet *animum commoveri* &c. pro quo MSus Mill. habet *nos commoveri*, quod & Manutius edidit. Vulgo nunc dierum editur, *commoveri neceſſe eſt: ſed ſi, cum animum attenderis*: ſed in hac lectione non dicitur quid ſit id, quod *commoveri* neceſſe eſt. Adde quod vox *animum* non requiritur, ut voci *attenderis* conjungatur: ut in II, 16. *Sed, cum attenderint, veniam neceſſitati dare*. Pearce.

Tunc non utilitas relinquenda eſt) Codices Memmiani duo, & nonnulli alii, quibus uſi ſumus, ſic habent, *relinquenda eſt*: quam ſcripturam probo: vulgatam autem rejicio, *requirenda eſt*; nam præter auctoritatem vete-

dum, ubi turpitudo ſit, ibi utilitatem eſſe non poſſe. Quod ſi nihil eſt tam contra naturam quam turpitudo, (recta enim & convenientia, & conſtantia natura deſiderat, aſpernaturque contraria) nihilque tam ſecundum naturam, quam utilitas: certe in eadem re utilitas, & turpitudo eſſe non poteſt: itemque ſi ad honeſtatem nati ſumus, eaque aut ſola expetenda eſt, (ut Zenoni viſum eſt) aut certe omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia, quod Ariſtoteli placet; neceſſe eſt, quod honeſtum ſit, id eſſe aut ſolum, aut ſummum bonum; quod autem bonum, id certe utile: ita quidquid honeſtum, id utile. Quare error hominum non proborum, cum aliquid, quod utile viſum eſt, arripuit, id continuo ſecernit ab honeſto. Hinc

veterum codicum ratio poſtulat, ut ita legatur: hoc enim ſignificat Cicero, Si cum ſpecies utilitatis objecta eſt, re attente conſiderata, videas turpitudinem adjunctam ei rei, quæ ſpeciem utilitatis objecerit: non eſt ita ſtatuendum, utilitatem propter illam turpitudinis adjunctionem, relinquere, id eſt, repudiare, atque aſpernari oportere; ſed intelligendum, ac ſciendum eſt, ubicumque inſit aliqua turpitudo, ibi utilitatem eſſe non poſſe. LAMBIN. *Tunc non utilitas requirenda eſt*) Sic eſt in Manutianis, & aliis vulgatis, quorum lectionem Langius & Lambinus retinuerunt; verum Lambinus annotat Codices Memmianos duos, & non nullos alios habere, *relinquenda*, eamque ſcripturam ſe probare addit. Probarunt eamdem Anemœcius, & Victorius. Cratander quoque eam lectionem, quam duo ex manuſcriptis noſtris retinent, ad oram ſui libri adſcripſit. FR. FABRIT.

Convenientia) Scilicet excellentiæ naturæ humanæ. GRÆV.

Omni pondere gravior habenda) I. e. ita gravior habenda, quam reliqua omnia, ut ea omnia toto ſuo pondere prægravare credatur: nam (ut ait P. Marſus) Ariſtotelis ſententia omnia alia bona, corporis & fortunæ, ex altera parte collocata vix minimum momenti inſtar habebunt comparatione virtutis. Hæc ideo notavi, ne quis exiſtimaret in hac ſententia, ubi vox *pondere* ablativi caſus occurrat, ſupervacenea eſſe *quam reliqua omnia* & auctoritate MSſ Merc. ſec. exterminanda. PEARCE.

Arripuit, id continuo ſecernit ab honeſto) Parcenſis & alter item, *arripiunt & ſecernunt*: figurate, ut III. de Legib. *Tamen libertatem iſtam largior populo, ut & auctoritate valeant, & utantur bonis*. Aliquanto ante in exempl. Vallis D. Lamberti erat: *Tum non utilitas relinquenda eſt*, fortaſſis, *tantum non utilitas relinquenda eſt*. CAR. LANG. Male: bene ſe habet lectio e MSis recepta, eamque recte tuetur, & explicat Lambinus, nimirum non negligendam eſſe utilitatem, ſed non habendam eſſe pro utilitate, cui inſit turpitudo. GRÆV. *Cum aliquid, quod utile viſum eſt, arripuit*) Langius admonet in duobus libris veteribus ſcriptum eſſe, *arripiunt, & ſecernunt*; quod probat: & ait figurate dictum eſſe. Noſtri libri nihil hîc a vulgatis diſcrepant, quamobrem eos ſequimur. LAMBINVS. *Arripuit, id continuo ſecernit*) Langius ſecutus auctoritatem duorum librorum antiquorum legit, *arripiunt* & *ſecernunt*, noſtri libri & ii, quibus Lambinus fuit uſus, a vulgatis nihil diſcrepant. FR. FABRIT. Scripſit Cicero; *Arripuit, & continuo ſecernit ab honeſto; hinc ſicæ, hinc venena*. Hinc, inquit, videmus homines improbos, ſimul atque cogitarunt,

Hinc ſicæ, hinc venena, hinc falſa teſtamenta naſcuntur: hinc furta, peculatus, expilationes, direptioneſque ſociorum, & civium: hinc opum nimiarum potentiæ non ferendæ: poſtremo etiam in liberis civitatibus regnandi exſiſtunt cupiditates, quibus nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari poteſt: emolumentum enim rerum fallacibus judiciis vident: pœnam non dico legum, quas ſæpe perrumpunt, ſed ipſius turpitudinis, quæ acerbiſſima eſt, non vident. Quamobrem hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio: (eſt enim totum ſceleratum, & impium) qui deliberant, utrum id ſequantur, quod honeſtum eſſe videant, an ſe ſcientes ſcelere contaminent: in ipſa enim dubitatione facinus ineſt, etiamſi ad id non pervenerint. Ergo ea deliberanda omnino non ſunt, in quibus eſt turpis ipſa deliberatio; atque etiam ex omni deliberatione celandi & occultandi ſpes opinioque removenda eſt: ſatis enim nobis (ſi modo in philoſophia aliquid profecimus) perſuaſum eſſe debet, ſi omnes deos, hominesque celare poſſimus, nihil tamen avare, nihil injuſte, nihil libidinoſe, nihil incontinenter eſſe faciendum.

9. Hinc, ille Gyges inducitur a Platone, qui, cum terra

tatunt, aliquid ſe juvare poſſe, idque ſtatim appetunt, nullo honeſti, aut inhoneſti diſcrimine, qui eſt ſolemnis hominum error, huc progredi, ut ſicis, & dolonibus, ut venenis petant innoxios, quo bonis potiantur, ut teſtamenta ſupponant & veris heredibus excluſis, ſe pro heredibus gerant. I. FR. GRONOV.

Emolumenta rerum fallacibus judiciis vident) Pith. exc. *fallacibus indiciis*, ſed non recedendum a vulgatis. Sententia, falſo judicant hanc vel illam rem ſibi utilem futuram, cum non ſit. GRÆV.

Quas ſæpe perrumpunt) Vet. omnes, *Quam ſæpe perrumpunt*: ut ad *pœnam* ſpectet, quam nunc gratia, nunc muneribus, nunc vi effugiant. Sed quia ad vetus illud reſpicere videtur, aranearum telis leges eſſe ſimiles, & in I. de Legibus, *leges perrumpere dixit*, nihil immutavi. CAR. LANG. Langius admonet, veteres libros omnes habere, *quam*; ut ad pœnam referatur, eſt ita in optimo libro noſtro, & Cicero tam leges, quam pœnas perrumpere dicit. FR. FABRIT.

Quæ acerbiſſima eſt non vident) Malam conſcientiam intelligit, neque aliud furias poetarum ſibi velle pro Sexto Roſcio, & in L. Piſonem μυθολογικῶς oſtendit: *Nolite*, inquit, *putare P. C. ut in ſcena videtis, homines conſceleratos impulſu Deorum terreri furiarum tædis ardentibus, ſua quemque fraus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate, ac mente deturbat*. BETVLEIVS.

In ipſa dubitatione facinus ineſt). Hinc ille apud Tacit. II. Hiſt. 77. *Qui deliberant, deſciverunt*. Vide Manutium ad hunc locum, qui tamen omnia verbatim ex Hieronymi Wolfii notis exſcripſit, idque ſolens. Sane nimis impudenter. GRÆV.

Cum

terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit, æneumque equum, (ut ferunt fabulæ) animadvertit, cujus in lateribus fores essent: quibus apertis mortui vidit corpus magnitudine inusitata, annulumque aureum in digito: quem ut detraxit, ipse induit: (erat autem regius pastor) tum in concilium pastorum se recepit; ibi cum palam ejus annuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat: idem rursus videbatur, cum in locum annulum inverterat. Itaque

Cum terra discessisset) Sic legendum est, non *decessisset*; & ita legit Nonius in verbo. *discedere*, quod ille interpretatur, hiare, dividi, distendi; *discessisset* igitur, id est, divisa esset, dirupta esset; sic enim Plato, unde hæc sumta sunt, ῥαγῆναι τε την γῆν, και γενεσθαι χασμα, &c. hoc est, ruptam esse terram, & hiatum factum. Sic Virgil. Æn. 9. *Video medium discedere cælum*. Quod autem alii quidam legunt, *desedisset*; etiam illi errant, aliud est enim, *terram desidere*, aliud, *terram discedere*. LAMBIN. *Cum terra discessisset*) Adrianus Cardinalis, & Stephanus Doletus, ut Balduinus adnotat, legunt, *desedisset*; in vetustis libris omnibus est *discessisset*, itaque legit Nonius, exponens *discedere*, hiare, dividi, distendi. Plato lib. II. de Rep. unde Cicero transtulit, inquit, ομβρυ δε πολλυ γενομενυ και σεισμυ ῥαγηναι τε της γης, και γενεσθαι χασμα κατα τον τοπον ῃ ενεμεν. id est: *Magnis imbribus ac terræ motu diruptam fuisse quamdam terræ partem, & hiatum exstitisse eo loco, ubi Gyges pascebat*. quod Cicero brevius, *terram discessisse magnis quibusdam imbribus*, dixit. Sic in Arato. *At vero pedibus subito percussa Dianæ Insulæ discessit*, ubi Aratus habet. Νησυ αναρρηξασα μεσας εκατερθε κολωνας. Quare, *discessisset* omnino retinendum esse puto: cum præsertim Ambrosius lib. III. de Officiis cap. 5. ita scribat: *Non simulabo terræ hiatum, quæ magnis quibusdam dissiluerit soluta imbribus*. FR. FABRIT. Nihil certius. Vide Gronov. in III. de Benef. c. 37. GRÆV.

Ut ferunt fabulæ) Hæc tria verba a quopiam nugatore sunt addita; sunt enim adulterina, quamvis in omnibus libris reperiantur. CAR. LANG. Plato, *ὁ μυθολογυσι*. PEARCE.

Cum in lucem annulum inverterat) Sic edidit Paullus Manutius, & item alii; libri veteres tamen habent, *in locum*, quos sequitur Langius: ego autem vulgatos; nam hæc lectio magis consentanea videtur cum verbis Platonis, ex cujus libro secundo de Rep. hæc sumta sunt. Sic enim Plato, την σφενδονην εξω στρεψαντα, id est, *cum palam annuli extra convertisset*. *Extra*, id est, ad lucem. LAMBIN. *Cum in lucem annulum inverterat*) Libri veteres, & vulgati omnes, exceptis Manutianis, & qui inde sunt expressi, habent, *Cum in locum annulum inverterat*; & apud Ambrosium est, *Deinde cum in locum suum revocasset annulum*; est autem annuli locus, ut pala extra palmam sit, atque emineat; itaque Plato dicit, στρεψαι εξω την σφενδονην, id est, *palam annuli extra convertere*, quibus verbis lectionem Manutianam magis consentaneam esse Lambinus ait, atque idcirco eam probavit ac recepit. FR. FABRIT. Male; *in locum* est in suum locum; sic *loco*, pro suo loco Cornif. lib. IV. ad Herenn. *Hæ res sicut in amicitia, ita in dicendo, si loco sit, maxime facit, ut & illi, qui audient, a culpa absint*. Cic. pro Milone: *Quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune, non est ausus: hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitabit occidere*. Integra locutio est apud Plautum in Pœnulo V. 4.

Tanta ibi copia venustatum aderat, in suo quæque loco sita munde.

GRÆV.

Nihi-

que hac opportunitate annuli usus reginæ stuprum intulit: eaque adjutrice regem dominum interemit, sustulit quos obstare arbitrabatur; nec in his eum quisquam facinoribus potuit videre: sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiæ. Hunc igitur ipsum annulum si habeat sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet: honesta enim bonis viris, non occulta quæruntur. Atque hoc loco philosophi quidam, minime mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam & commentitiam fabulam dicunt prolatam a Platone: quasi vero ille aut factum id esse, aut fieri potuisse defendat. Hæc est vis hujus annuli, & hujus exempli; si nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit, cum aliquid divitiarum, potentiæ, dominationis, libidinis causa feceris, si id diis, hominibusque futurum sit semper ignotum, sis ne facturus: negant id fieri posse: quamquam potest id quidem; sed quæro,

Nihilo plus sibi licere putet peccare) In manuscript. est *nihil*, itaque Victorius scripsit, omisso verbo, *peccare*, quod prorsus redundat. FR. FABRIT. Si MSorum fide delevit *peccare* Victorius, nullus erit politior homo, qui eum non sequatur; sed codices, quos docti viderunt adhuc, repugnant. GRÆV. Omnes MSi mei habent vocem *peccare*, quam omisit Victorius, & redundare putavit Fabritius. At si legamus (quod mihi quidem videtur Cicero scripsisse) *nihilo plus sibi licere putet peccare*, tum voci *peccare* sua erit & vis & proprietas. Hanc conjecturam jam video Lambinum ante occupasse. PEARCE.

Si diis hominibusque futurum sit semper ignotum, sis ne facturus) Hoc cum Cicerone, & aliis Philosophis negat quoque Peregrinus apud Gellium XII. 11. *Virum sapientem non peccaturum esse dicebat, etiamsi peccasse eum dii, atque homines ignoraturi forent; non enim pœnæ aut infamiæ metu non esse peccandum, sed justi honestique studio & officio; si qui tamen non essent tali ingenio vel disciplina præditi, ut se vi sua ac sponte facile a peccando tenerent, eos omnis tunc peccare proclivius existimabat, cum latere posse id peccatum putarent, impunitatemque ex ea latebra sperarent; at si sciant, inquit, homines nihil omnium rerum diutius posse celari, repressius pudentiusque peccabitur. Propterea versus istos Sophocli prudentissimi poetarum in ore esse habendos dicebat:*

Προς ταυτα κρυπτε μηδεν ως ὁ πανθ' ὁρων
Και παντ' ακουων, παντ' αναπτυσσει χρονος.

Alius quidam veterum poetarum, cujus nomen mihi nunc memoriæ non est, veritatem temporis filiam esse dixit. GRÆV.

Quamquam potest id quidem) In libris veteribus *non* est negatio, quæ tamen videtur necessaria: & reperitur in libris vulgatis hoc modo: *quamquam non potest id quidem*. Sententia autem hæc est: negant fieri posse, ut id diis, hominibusque semper ignotum futurum sit, atque hoc pacto, exemplum hoc Platonicum eludunt, atque inane esse dicunt: sed pueriliter, & rustice faciunt, quamquam fateor ita rem esse, ut dicunt, hoc est, fieri non posse, ut facinus aliquod, diis hominibusque semper ignotum futurum sit. LAMBIN. *Quamquam potest id quidem*) Resistit inficiationi adversariorum Cicero, correctione affirmans fieri posse, quod illi negabant; atque

quæro, quod negant posse, id si posset, quidnam facerent? Vrgent rustice sane; negant enim posse, & in eo perstant: hoc verbum quid valeat, non vident. Cum enim quærimus, si possint celare, quid facturi sint, non quærimus, possint ne celare; sed tamquam tormenta quædam adhibemus, ut, si responderint, se impunitate proposita, facturos, quod expediat, facinorosos se esse fateantur: si negent, omnia turpia per seipsa fugienda esse concedant.

10. Sed jam ad propositum revertamur. Incidunt sæpe multæ causæ, quæ conturbent animos utilitatis specie; non, cum hoc deliberetur, relinquenda ne sit honestas propter utilitatis magnitudinem: (nam id quidem improbum est) sed illud, possit ne id, quod utile videatur, fieri non turpiter. Cum Collatino collegæ Brutus imperium abrogabat,

atque ita correctionem hanc interpretes legunt, & accipiunt. In veteribus quoque libris negatio nulla est, quam tamen Lambinus necessariam putat, & Manutius recepit, ut Cicero concedat inficiationem adversariorum, fateaturque, nihil diis & hominibus ignotum semper esse posse. FR. FABRIT. Non mihi persuadeo Ciceronis hanc esse periodi particulam, sed ex Epicurei cujusdam adnotatiuncula, ut fieri solet, in contextum irrepsisse credo. Cicero enim ipse de Divinatione secundo, Dei cognitioni & procurationi subjicit omnia; & in Academicis quæstionibus fatetur, Deum mundi animum, & mentem esse, cujus numine cuncti administrantur. Quod si deus omnia administrat & procurat, ergo nihil eum effugit. Atque hoc sentire Ciceronem patet non affirmantem, sed sub conditione, quod ostendit particula *si*: quomodo etiam Seneca quodam loco ait: *si scirem deos ignoraturos, & mihi ignoscituros, tamen propter peccati turpitudinem peccare nollem*. BETVLEIVS. Sic tamen omnes vett. edd. sic omnes codd. scripti, neque immittenda negatio, ut placuit Lambino, & Aldo Nepoti. Dubitanter de providentia & natura divina loquitur, ut Academicus. GVILIELM. *Quamquam potest id quidem*) Sc. fieri, ut facinus aliquod sit semper ignotum Diis, & hominibus. Dubitanter (inquit Guilielmius) Cicero hîc de providentia & natura divina loquitur, ut Academicus. At hoc si dixerit, non dubitanter dixit, sed quasi certum quiddam & ratum affirmavit. Non igitur mihi facile persuasum est, Nostrum in hoc loco aut ita locutum esse, aut loqui voluisse. In his libris longe aliter de Diis & sensit, & dixit: e. g. in II. 3. *Deos placatos pietas efficiet & sanctitas*. In III. 6. *Quæ qui tollunt, adversus Deos immortales impii judicandi sunt*. Cur hæc & multa alia honorifice de Diis & eorum providentia dicta sunt, si Cicero in hac sententia fidenter pronuntiet, peccantes posse celare tam Deos, quam homines? Multi igitur ediderunt: *negant id fieri posse; quamquam non potest id quidem*: sed hæc lectio suam vim voci *quamquam* non tribuit. Opinor Manutii conjecturam potius sequendam esse: *negant id fieri posse: nequaquam potest id quidem*. Hoc concedentis est, eos Philosophos vere dicere, qui *negant id fieri posse*. Vide, quæ dicturi sumus infra in nota ad c. 29. PEARCE.

Cum Collatino Tarquinio) *Tarquinio*, in libris vetustis non additur, ut etiam

gabat, poterat videri facere id injuste: fuerat enim in regibus expellendis socius Bruti, consiliorum etiam adjutor: cum autem consilium hoc principes cepissent, cognationem Superbi, nomenque Tarquiniorum, & memoriam regni esse tollendam: quod erat utile, patriæ consulere, id erat ita honestum, ut etiam ipsi Collatino placere deberet. Itaque utilitas valuit propter honestatem, sine qua ne utilitas quidem esse potuisset. At in eo rege, qui urbem condidit, non ita: species enim utilitatis animum pepulit ejus, cui, cum visum esset utilius, solum, quam cum altero regnare, fratrem interemit. Omisit hic & pietatem, & humanitatem, ut id, quod utile videbatur, neque erat, assequi posset: & tamen muri causam opposuit, speciem honestatis neque probabilem, neque satis idoneam. Peccavit igitur, pace vel Quirini, vel Romuli dixerim. Nec tamen nostræ nobis utilitates omittendæ sunt, aliisque tradendæ, cum his ipsi egeamus, sed suæ cuique utilitati, quod sine alterius injuria fiat, serviendum est. Scite Chry-

iam Balduinus adnotavit; itaque id recte Victorius, & Langius induxerunt. Fr. Fabrit.

Quod erat utile, patriæ consulere) Vocem ultimam delevit Langius, ac Lambinus contra omnes membranas: male; nam interpunctione nostra, id utile ait Tullius, quod sequebatur Brutus, *ut patriæ scilicet consuleret*, id etiam honestissimum erat. Guilielm.

Id erat ita honestum, ut etiam ipsi Collatino placere deberet) Damnat id factum tamen Augustinus II. de Civit. Dei cap. 17. & lib. III. c. 16. & Albericus Gentilis I. de Armis Roman. c. 4. Sed merito cum Cicerone Brutum defendit idem Albericus Gentilis lib. II. de Armis Rom. c. 4. & Rupertus in notis ad Flori lib. I. c. 9. Grev.

Non ita) Plenior sic erit sententia; non eadem modo in eo, quod fecit, utilitas valuit propter honestatem. Pearce.

Fratrem interemit) Merito improbat hoc etiam Augustinus de Civitate Dei III. 6. Horat. epod. 7. Ovid. IV. Fast. Alberic. Gentilis lib. I. de Armis Rom. c. 2. Sed in libro II. cap. 2. negat hoc factum esse. Grev.

Muri causam opposuit) Quidam libri *apposuit*. Est autem hic *causa* occasio quæsita & prætextus, quo modo & supra est usus. Car. Lang. Recte de *causa*; sed *opposuit* meliorum librorum retinendum. Est enim *opponere* prætendere. I. ad Att. ep. 1. *Regnum illud suum judiciale opposuit*. II. ad Q. Frat. ep. 10. *Opposuisti semel ἀνεπίσκεπτον causam, Ciceronis nostri valetudinem conticui*. I. Fr. Gronov.

Pace vel Quirini, vel Romuli) Ex ritu supplicantium; ne in nomine errarent, plura solebant enunciare. Horat.

Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis.

Et illud:

Luna Deum quæ sola vides perjuria vulgi,
Seu Cretæa magis, seu tu Dictynna vocaris,
Huc descende.

Post mortem *Quirinus* dictus est. Car. Lang.

Mana

Chrysippus, ut multa: Qui stadium, inquit, currit, eniti & contendere debet, quam maxime possit, ut vincat: supplantare eum, qui cum certet, aut manu depellere, nullo modo debet: sic in vita sibi quemque petere, quod pertineat ad usum, non iniquum est: alteri deripere jus non est. Maxime autem perturbantur officia in amicitiis: quibus & non tribuere, quod recte possis, & tribuere, quod non sit aequum, contra officium est. Sed hujus generis totius breve & non difficile praeceptum est; quae enim videntur utilia, honores, divitiae, voluptates, cetera generis ejusdem, haec amicitiae numquam anteponenda sunt. At neque contra remp. neque contra jusjurandum, ac fidem amici causa vir bonus faciet; ne si judex quidem erit de ipso amico: ponit enim personam amici, cum induit judicis. Tantum dabit amicitiae, ut veram amici causam esse malit, ut orandae liti tempus, quoad per leges liceat, accom-

Manu depellere) Idas tamen apud Statium Parthenopaeum arreptum capillis prostravit, & ita cursu superavit. CAR. LANG. *Aut manu depellere*) *Manu pellere*, est apud Nonium in verbo *supplantare*; quod scribit dictum esse quasi pedem supponere. Graeci ὑποσκελίζειν dicunt. Seneca lib. II. Epistolarum. *Ille, qui supplantatus adversarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus*. FR. FABRIT.

Alteri deripere jus non est) Sic legendum ex libris antiquis: pro quo Manutius, *subripere*, Victorius *diripere* edidit. Multis autem locis *diripere* pro *deripere* mendose legitur, ut facile videbit, qui cognoverit, *diripere* esse in diversum rapere, & quasi discerpere, *deripere* de aliquo rapere, ac per vim auferre & detrahere. Sic lib. I. de Finibus legendum: *Sapientia est adhibenda, quae & terroribus cupiditatibusque detractis, & omnium falsarum opinionum temeritate derepta*, &c. & in oratione de provinciis cos. *Hos vos de provinciis, si non aliquando ducendi essent, deripiendos non putaretis?* Et pro Sulla: *Ille, judices, quantum de mea auctoritate deripuisset, tantum se de hujus praesidiis deminuturum speravit*. FR. FABRIT. Vide Gisberti Cuperi Observat. lib. IV. cap. 5., & Nic. Heins. ad lib. I. amor. eleg. 5. Firmant autem *deripere* Pith. excerp. Pall. Guilielm. & edit. Princeps Moguntina. GRAEV.

Neque contra jusjurandum ac fidem amici caussa vir bonus faciet) Vide Gellium lib. I. Noct. Att. cap. 3. ubi ex Theophrasto egregia de hoc argumento promit. IDEM.

Ponit enim personam amici) Quod non fecit Chilon, qui amicum, in quem judex sedebat, damnavit quidem ipse, sed aliis judicibus persuasit, ut eum absolverent. Vide Gellium laudato loco. IDEM.

Ut orandae liti tempus) Hanc esse veram lectionem, non solum librorum veterum, sed & Nonii testimonio confirmatur. Nonius autem hunc locum bis adducit, primum in *Accommodare*, deinde in *Orare*, ubi docet, *orare* esse agere. Sic pro Quinctio: *Apud judicem causam priore loco dicat? & eam cum orarit, tum denique vocem accusatoris audiat?* quod viri docti etiam mutarunt, & *perorarit*, contra fidem librorum veterum, scripserunt. FR. FABRIT. Mihi quidem melius placet, *accommodare* amico, aut amici commodo *tempus litis orandae*, quam *accom-*

accommodet: cum vero jurato ſententia dicenda ſit, meminerit, deum ſe adhibere teſtem, id eſt (ut arbitror) mentem ſuam, qua nihil homini dedit deus ipſe divinius. Itaque præclarum a majoribus accepimus morem rogandi judicis, ſi eum teneremus, quæ ſalva fide facere poſſit. Hæc

commodare tempus liti orandæ. Manutium video ediſſe *litis*, quod etiam extat in MSo Mill. Lameth. Mead. ſec. & tribus Regiis. PEARCE.

Iurato ſententia dicenda) In ſingulis cauſſis apud Romanos judices jurabant, ſe pronunciaturos ex animi ſententia, ſecundum legem. Vid. Sigon. de judiciis lib. I. c. 10. GRÆV.

Deum ſe adhibere teſtem) Hoc eſt, ſententiæ ſuæ, quam juratus dicat, teſtem adjungere. In quibuſdam libris antiquis eſt, *habere teſtem*: atque ita Victorius edidit. FR. FABRIC. Vide de vi jurisjurandi Grot. II. de Iure Belli & Pacis cap. 13. & Puſendorffium de Iure naturæ & gentium IV. 2. GRÆV. Vix dubito, quin ſcripſerit Cicero: *meminerit divinum ſe habere teſtem*. Vox enim *habere* eſt in edit. Victorii, MSis Bod. pr. duobus Regiis, tribuſque Manutii. Vt vero putem, *divinum* non *deum* a Ciceronis manu profectum eſſe, his rationibus adducor. Vocem *divinum* præceſſiſſe poſtulant ea, quæ ſequuntur, *qua nihil homini dedit Deus ipſe divinius*: hæc enim cum verbis *divinum teſtem* bene congruunt, cum verbis *deum teſtem* non item. Adde, quod Cicero in Tuſc. diſp. I. 26. ea dixit, quæ hanc meam conjecturam firmant: *Ergo animus, qui, ut ego dico, divinus, ut Euripides audet dicere, deus eſt*. Vnde colligas Ciceronem non ipſum dixiſſe id, quod in Euripide quaſi audentius dictum notat. PEARCE.

Mentem ſuam) Ex Platonis, & Stoicorum ſententia. Plato in Timæo: Το δε δη περι τȢ κυριωτατȢ παρ' ἡμιν ψυχης ειδȢς διανοεισθαι δει τῃ δε, ως αρα αυτο δαιμονα Θεος ἑκαςῳ δεδωκε τȢτο, ὁ δε φαμεν οικειν μεν ἡμων επ' ακρῳ τῳ σωματι, προς τε την συγγενειαν. *De præſtantiſſima igitur animæ noſtræ ſpecie ita eſt ſentiendum: nempe hanc Deus ut Dæmonem noſtrum cuique tribuit: hanc in ſummæ corporis arce ſedem habere dicimus*. Sed & idem in Philebo, teſte Clemente Alexandrino Pædag. II. 10. ΑθεȢς κεκληκε μυςικως τȢς τον θεον, τον ενοικον αυτοις, τον λογον, διαφθειραντας και μιαινοντας, το ὁσον εφ' ἑαυτοις, εν τῃ των παθων οικειωσει. *Atheos myſtice vocavit, qui Deum in ipſis habitantem, nempe rationem corrumpunt, & quantum in ſe eſt, vitiorum ſuorum conturbernio polluunt*. Et Strom. V. Οἱ δε αμφι τον Πλατωνα, νȢν μεν εν ψυχῃ θειας μοιρας αποῤῥοιαν ὑπαρχοντα, ψυχην δε εν σωματι κατοικιζȢσιν. *Platonici mentem divinæ partis in anima effluvium eſſe, animam vero in corpore collocant*. Marco Antonino in libris των περι ἑαυτον creberrime νȢς dicitur ὁ εν ἡμιν θεος. Sic lib. III. Ὁ μεν γαρ νȢς και δαιμων. *Noſtra mens eſt Deus*. Libro ſecundo, ait virum bonum τον ενδον εν τῳ ςηθει δαιμονα μη φυρειν, μηδε θορυβειν οχλῳ φαντασιων, αλλα ἱλεων διατηρειν, κοσμιως ἑπομενον ως θεῳ. *Deum in pectore collocatum nec polluere, nec viſorum congerie perturbare, ſed placidum ſervare, huic tamquam Deo decenter obſequi*. GRÆV.

Si eum teneremus) Si quis attendat accurate hæc verba, hic aliena eſſe cognoſcet. Quis non tenet morem hunc judices rogandi, quem ait a majoribus ſe accepiſſe? Numquam illum abrogatum eſſe, aut exoleviſſe ſponte conſtat, nec eſt credibile. Quis enim niſi impudentiſſimus, aut ſtultiſſimus, aut improbiſſimus aliter judicem rogaret? Excerpta Pithœi: *ſi ea rogaremus*, quod probo, hoc eſt, ſi quid tale rogaremus a judice, ut noſtræ cauſſæ faveat; quod ſalva fide facere poſſit. IDEM. *Si eum teneremus*) Id eſt, o ſi, vel utinam, teneremus ſive ſervaremus eum morem rogandi judicis, ut ea pro nobis faciat, quæ *ſalva fide* facere poſſit. Servius in Virg. Æn. VI. 187. *Si nunc ſe no-*

Hæc rogatio ad ea pertinet, quæ paullo ante dixi honeſte amico a judice poſſe concedi: nam, ſi omnia facienda ſint, quæ amici velint, non amicitiæ tales, ſed conjurationes putandæ ſunt. Loquor autem de communibus amicitiis: nam in ſapientibus viris perfectiſque nihil poteſt eſſe tale. Damonem & Phintiam Pythagoreos, ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe, ut, cum eorum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinaviſſet, & is, qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorum ſuorum cauſa poſtulaviſſet, vas factus eſt alter ejus ſiſtendi, ut, ſi ille non revertiſſet, moriendum eſſet ipſi; qui cum ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem tyrannus, petivit, ut ſe ad amicitiam tertium adſcriberent. Cum igitur id, quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honeſtum eſt, comparatur, jaceat utilitatis ſpecies, valeat honeſtas: cum autem in amicitia, quæ honeſta non ſunt, poſtulabuntur, religio & fides anteponatur amicitiæ, ſic habebitur is, quem exquirimus, delectus officii.

11. Sed utilitatis ſpecie in repub. ſæpiſſime peccatur, ut in

ſe nobis &c. inquit: *Si adverbium rogantis & optantis eſt, per ſe plenum*. Cicero hîc innuit multos tunc temporis rogaſſe judices, non additis vocibus, *ſalva fide*. Non opus eſt igitur, ut cum Grævio hæc verba hîc aliena eſſe ſtatuamus; utque (illo monente) reponamus, *Si ea rogaremus*. PEARCE.

Damonem & Pythiam) Vetus codex habet *Pinthiam*, ex quo conjecturam facio, ſcribendum eſſe *Phintiam*; φιντιας autem reperitur apud Pauſaniam: & in æreo quodam numiſmate inciſum eſt, ΦΙΝΤΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. VRSIN. *Damonem & Pythiam*) *Phithiam* invenio in quibuſdam ſcriptis Ciceronis, & Valerii Maximi libris. Turnebus vero lib. XX. Adverſariorum cap. 13. teſtatur, ſe in veteribus libris Ciceronis *Phintiam* reperiſſe, quare cum in Plutarchi commentario, *περι πολυφιλιας*, *φιντιας και δαμον* inter paria amicorum numerentur, non dubitat, quin hic & apud Valerium lib. IV. c. 7. *Phintia* ſcribi debeat. FR. FRABRIT. Palatinus primus *Pinthiam*, in margine vero *Phyntiam*, item *Pitthyam*. Sed Palatinus ſecundus *Phintiam*, ut recte Turnebus. GRVTER.

Vt, ſi ille non revertiſſet) In libris manuſcript. non ſunt hæc, *ad diem*, quæ reperiuntur in vulgatis, poſt verbum, *revertiſſet*. LAMBINVS. *Vt ſi ille non revertiſſet*) In Manutianis & aliis libris vulgatis additur, *ad diem*, quod neque eſt in libris veteribus, & a Victorio, Langio, & Lambino jure eſt deletum, nam & Nonius in *Vas*, ubi locum hunc adducit, illas voces non habet, ibidem legitur, *moriendum eſſet ipſi*, ut eſt in omnibus libris, exceptis Manutianis, in quibus legitur, *moriendum eſſet ſibi ipſi*. FR. FABRIT.

Iaceat utilitatis ſpecies) I. e. negligatur, prætereatur, ut res viles humi jacere, nemine tollente, permittuntur. PEARCE.

ut in Corinthi disturbatione nostri: durius etiam Athenienses, qui sciverunt, ut Æginetis, qui classe valebant, pollices praeciderentur: hoc visum est utile; nimis enim imminebat, propter propinquitatem, Ægina Piraeo: sed nihil quod crudele, utile; est enim hominum naturae, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas. Male etiam qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper. Nam

In Corinthi disturbatione) Damnavit hoc excidium superius etiam lib. I. cap. 11. & recte quidem: vide Grot. III. de Iure Belli & Pacis c.12. GRAEVIUS. *Disturbatione*) I. e. eversione. *Disturbare* (inquit Valla V. 89.) est dissipando diruendoque disjicere, Sic in Orat. Philip. I. 5. *Se publicis operis disturbaturum publice ex senatus sententia aedificatam domum*. Ib. V, 7. *Fabros se missurum, & domum meam disturbaturum esse dixit*. Fr. Sayus legit *a nostris*, Sc. peccatum est. PEARCE.

Qui classe valebant) Al. *quia classe*. Ælianus in variis corrupit historiam II. 9. C. LANG. Fecerunt id autem, ut hastam ferre non possent, quia reliqui digiti sine eo nihil possunt, ut docet multis Aristot. IV. de Part. Animal. cap. 10. Id ipsum quoque iidem Athenienses in bello Peloponnesio decreverant in captivos, quod hic sanxerant contra Æginetas. Vide Plutarch. in Lysandro & Xenophon. lib. II. Hist. GRAEV.

Est enim hominum naturae maxime inimica crudelitas) Quia homo natus est ad mutuam alterius opem, & amorem. Cum vero saevit in hominem, exuit humanitatem, & degenerat in feram bestiam. *Crudelitas, minime humanum malum est, indignum tam miti animo. Ferina rabies est, sanguine gaudere, ac vulneribus, & abjecto homine, in silvestre animal transire*, inquit Senec. de Clem. I. 24. ubi vide plura. IDEM.

Peregrinos urbibus uti prohibent) Semper enim in humanitatis officiis numeratum fuit admittere & benigne habere peregrinos. Contra decretum Achaeorum, quo finibus suis interdixerunt Macedonibus, *exsecrabilis* vel ut *desertio juris humani* vocatur apud Livium XLI. 24. Vide S. Pufendorf, de Iure naturae & gentium lib. III. cap. 3. Mirifice Germanorum hospitalitem laudat Tacitus de Moribus Germanorum c. 21, & Caesar de Bello Gallico VI. 23. IDEM.

Ut Pennus apud patres nostros) Corrupte: vel typographi *Penius*, corruptius alii *Petronius* ediderunt, a quibus docti viri quidam decepti non desinent quaerere a quo sit *lex Petronii* appellata. *M. Iunius Pennus Tr. pl.* Lepido & Oreste coss. hoc est, anno post V. C. DCXXVII. legem de peregrinis tulit: de qua Festus in *Respublicas*: *C. Gracchus*, inquit, *in ea quam scripsit de lege Penni de peregrinis*; quibus verbis Cicero explicatur in in Bruto: *C. Gracchum tuus gentilis*, inquit, *M. Pennus facete agitavit in Tribunatu, paullum aetate antecedens*. Ita Cicero: certe C. Gracchus eo anno Quaestor fuit, Cotta & Torquato coss. id est biennio ante Ciceronem cos. Iacente Iunia, lex alia a C. Papio Tr. pl. lata est, Ne quis omnino peregrinus in urbe habitaret, exceptis iis, qui eam, quae dicitur Italia, incolerent, ut refert Dion. Meminit Cicero & pro Archia, & alibi. L. vero Licinius Crassus, & Q. Scaevola coss. legem rogarunt, ut quisque in suae civitatis jus redigeretur; quae dicta est, *Mucia Licinia*: multi enim cum cives non essent, pro civibus se gerebant; quae lex, indignantibus principibus populi Italici, caussa fuit belli Italici. *Iunia* igitur Penni & *Papia* haec de urbe fuerunt: *Mucia Licinia*, de civitate. Quamquam & alia Papia de civitate multo antiquior fuisse videtur, qua M. Perpernam damna-

Nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere: quam tulerunt legem sapientissimi consules, Crassus & Scævola: usu vero urbis prohibere peregrinos, sane inhumanum est. Illa præclara, in quibus publicæ utilitatis species præ honestate contemnitur. Plena exemplorum est nostra

damnatum refert Valer. Haud scio, an de ea Cicero in Corneliana intelligendus. De urbe etiam peregrinos Lycurgus lege ejecit, ut refert Thucydides: caute; ne externis se moribus oblineret populus; id quod & Pennum movisse opinor illo seculo; vel certe ob pericula factionum, tot intra mœnia receptis, quibus susque deque esset, bene, an male res iret. Nos in hac Repub. non modo peregrinos non exterminamus, sed a religione nostra aversos, hoc est, hostes publicos, Iudæos, perjurii damnatos, monetarios etiam civitate impertiebamur: adeo, si diis placet, Spartanis, Romanisque sumus humaniores. C. LANG. *Ut Pennus apud patres nostros*) Ita esse in libris vetustis, jampridem Balduinus, Victorius, & Langius testatum reliquerunt: ut satis mirari non possim, in Manutianis editionibus pro *Penno Petronium* etiamnum legi. FR. FABRIT. Male nonnulli *Penius*, alii *Petronius* voluerunt; cum recte se habeat *Pennus*. Erat eo nomine tribunus plebis circ. an. V. C. 628. qui videtur is esse, ad quem referri non inepte possit istiusmodi scitum de peregrinis. Ita enim Cicero in Bruto c. 28. *Tuus gentilis, Brute, M. Pennus facile agitatavit in Tribunatu C. Gracchum, paulum ætate antecedens: fuit enim M. Lepido & C. Oreste consulibus Quæstor Gracchus, Tribunus Pennus illius M. Filius, qui cum Q. Ælio consul fuit*. Notat autem Censorinus ex vetustissimis auctoribus consulatum Orestis & Lepidi incidere in an. V. C. 628. *In quindecimvirorum commentariis notantur* (sc. lud. secul. quarti) *sub anno* DCXXVIII. *M. Æmilio Lepido, L. Aurelio Oreste consulibus*. De die nat. c. 17. CHAPMAN.

Papius nuper) Sc. an. V. C. 689. L. Manlio Torquato & L. Aurelio Cotta Coss. eo enim anno C. Papius tribunus plebis legem tulit de peregrinis ab urbe dimovendis. Dio. lib. XXXVII. Καν τυτῳ παντες οἱ εν τῃ Ρωμῃ διατριβοντες, πλὴν τον νυν Ιταλιαν οικȣντων, ἐξεπεσον, Γαΐȣ τινος Παππιȣ δημαρχȣ γνωμῃ. *Interim omnes, qui Romæ commorabantur peregrini, exceptis iis, qui eam, quæ nunc vocatur Italia, incolunt, civitate pulsi sunt, lata ad hoc lege a Caio quodam Papio Tribuno plebis*. Hujus porro Legis meminit Noster in Or. pro Arch. c. 5. Confer etiam Or. pro Balbo c. 23. Unde constat vehementer errasse doct. Anton. Augustinum (de leg. V. *Papia*) qui his locis *Papiriam* legi voluit, quod *Papiam* nullam repererat ante celebrem *Papiam Poppæam* sub Augusto Cæsare. IDEM.

Esse pro cive, qui civis non sit) Ii peregrinitatis accusabantur. Apud Sueton. in Claud. c. 25. dicuntur *peregrinæ conditionis* homines, quos ille Imperator vetuit usurpare Romana nomina, tamquam gentilitia. Ab Atticis quoque ξενια dicebatur, æque ut apud Romanos peregrinitas. Sed Populus Romanus in peregrinos erat humanior, quam Atheniensis. Apud Romanos enim non poterant peregrini frui jure Quiritium, hoc est ex testamento civis Romani legata capere, aut heredem esse, nec civis Romani filiam ducere, aut honores ambire: sed apud Athenienses peregrinitatis reus, qui fraude & malis artibus sibi jus civitatis arrogarat, vendebatur pro mancipio. Vide Sigonium de Rep. Athen. lib. III. cap. 1. & lib. IV. cap. 3. & Meurs. de Legibus Atticis lib. II. cap. 29. Hujus rei judicium pertinebat apud Athenienses ad Thesmothetas: apud Romanos erat quæstio publica. GRÆVIUS.

Sapientissimi consules) Sic dicuntur quia summi erant ICti, qui sæpe *sa-*

 plen-

nostra respub. cum sæpe, tum maxime bello Punico secundo: quæ, Cannensi calamitate accepta, majores animos habuit, quam umquam rebus secundis. Nulla timoris significatio, nulla mentio pacis: tanta vis est honesti, ut speciem utilitatis obscuret. Athenienses cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere, statuerentque, ut, urbe relicta, conjugibus, & liberis Troezene depositis, naves conscenderent, libertatemque Græciæ classe defenderent, Cyrsilum quemdam, suadentem ut in urbe manerent, Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt. Atque ille utilitatem sequi videbatur: sed ea nulla erat, repugnante honestate. Themistocles post victoriam ejus belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione, se habere consilium reip. salutare, sed id sciri opus non esse: postulavit, ut aliquem populus daret, qui cum communicaret, datus est Aristides. Huic ille, classem Lacedæmoniorum, quæ subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse; quo facto frangi Lacedæmoniorum opes necesse esset. Quod Aristides cum audisset, in concionem magna exspectatione venit, dixitque, perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod hone-

pientes, & *prudentes* per excellentiam dicuntur. Hinc prudentum responsa. IDEM.

Cannensi) Vide Livium lib. XXIII. c. 14. ubi tamen dicuntur, *Honesta utilibus cessisse*, quod servorum delectus esset habitus. Sed quædam, quæ honesta ipsa per se non sunt, temporibus honesta fiunt. FACCIOLAT.

Nulla timoris significatio) Vide Livium XXIII. 13. GRAEV.

Cyrsilum quemdam) Sic appellatur a Demosthene *περι στεφανου*, qui hoc plus dicit, uxorem ejus a mulieribus Atheniensium fuisse trucidatam. alii Licidam vocant. C. LANGIUS.

Cyrsilum quemdam suadentem ut in urbe manerent) Demosthenes *εν τῳ περι στεφανου*. *Τον δ' επακουειν*, inquit, *τοις επιταττομενοις αποφηναμενον Κυρσιλον καταλιθωσαντες ου μονον αυτον, αλλα και αἱ γυναικες αἱ ὑμετεραι την γυναικα αυτου*. *Eum autem, qui pronunciarat imperium exequendum esse, Cyrsilum lapidarunt non ipsum solum, sed & mulieres vestræ uxorem ejus*. F. URSIN. Sed alius est Lycidas senator, qui Mardonii conditiones accipiendas esse suaserat. Herodot. lib. IX. 1. FR. GRONOVIUS.

Post victoriam ejus belli) Non usitato modo hoc dicit Noster, cum significat victoriam, quam reportarat in eo bello, quod ferebatur cum Persis. PEARCE. Hanc attigit etiam in lib. I. 18. FACCIOLAT.

Id sciri opus non esse) I. e. non convenisse: non commodum fuisse, ut id publice sciretur. Sæpius *opus est* significat *necesse est*; hîc vero, aliisque in locis quibusdam non item. Sic in II. 10. de Orat. *Etiamsi opus est, tamen minus est necessarium*. Hinc patet, non necesse esse, ut ordine verborum mutato, legamus, *id non sciri opus esse*. PEARCE.

Pira-

honeſtum non eſſet, id ne utile quidem putaverunt, totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Ariſtide, repudiaverunt. Melius hi, quam nos, qui piratas immunes, ſocios vectigales habemus.

12. Maneat ergo, quod turpe ſit, id numquam eſſe utile, ne tum quidem, cum id, quod eſſe utile putes, adipiſcare. Hoc enim ipſum utile putare, quod turpe ſit, calamitoſum eſt. Sed incidunt (ut ſupra dixi) ſæpe cauſæ, cum repugnare utilitas honeſtati videatur, ut animadvertendum ſit, repugnet ne plane, an poſſit cum honeſtate conjungi. Ejus generis hæ ſunt quæſtiones: Si (exempli gratia) vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia & fame, ſummaque

Piratas immunes) Piratas Cilices, maritimum genus, in agris mediterraneis Pompeius collocavit, colonoſque fecit, aſſignata urbe, quam Pompeiopolim vocarunt, cum antea Soli diceretur. FACCIOLAT.

Socios vectigales habemus) Socios Eraſmus putat notare Cæſarem, qui Campanorum agros diſtribuit. Sed illi agri non erant Campanorum, neque ſociorum populi Romani, verum publici erant, ipſius populi Romani Sueton. Iul. 20. nec dati ſunt vectigales, ſed immunes & liberi. Videntur autem hic intelligi Maſſilienſes, de quibus ſupra, & Deiotarus rex Gallogræciæ, aliique, qui cum Pompeio ſenſerant, & a Cæſare victore aut libertate privati, aut tributo onerati erant. I. F. GRONOV.

Vtile putare quod turpe ſit, calamitoſum eſt) Sicuti vera felicitas & ſummum bonum in animi moribus ad honeſtatem compoſitis conſiſtit, & *εὐπραξία*, ita vera miſeria ac calamitas extrema hominum in turpitudine. Ariſtot. I. Nicom. 10. GRÆV.

Vir bonus Alexandria) Manutius legit, *ab Alexandria profectus*, ſed præpoſitio & participium in pleriſque libris antiquis non leguntur, ſic nec in Nonii libris, ubi *numerum* & de iis, quæ admetiuntur, dici probat. FR. FABRIT.

Rhodum magnum frumenti numerum advexerit) In contractibus, natura æqualitatem imperat, & ita quidem, ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti. Hæc æqualitas partim conſiſtit in actibus, partim in eo, de quo agitur: & in actibus, tum præcedaneis, tum principalibus. Ad præcedaneos actus pertinet, quod is qui cum aliquo contrahit, vitia ſibi nota rei, de qua agitur ſignificare debet; quod non civilibus tantum legibus conſtitui ſolet, ſed naturæ quoque congruit. Nam inter contrahentes propior quædam eſt ſocietas, quam quæ communis eſt hominum. Atque hoc modo ſolvitur, quod dicebat Diogenes Babylonius hoc tractans argumentum, non celari omnia quæ tacentur: nec quidquid tibi audire utile eſt, idem mihi dicere neceſſe eſſe, ut de rebus cæleſtibus. Nam contractus natura utilitatis cauſa reperta propius quiddam exigit. Hæc cum verbis Ambroſii & Lactantii illuſtraſſet, ita pergit: At non idem dicendum eſt de his, quæ rem non contingunt. Vt ſi quis ſciat multas naves in curſu eſſe, quæ frumentum advehunt. Nam tale quid indicare, eſt quidem officioſum ac laudabile, ſæpe adeo ut omitti nequeat, niſi ut caritatis regula violetur; non tamen injuſtum, id eſt, non pugnans cum jure ejus, quicum negotium eſt: ita ut locum hic habere poſſit illud, quod

maque annonæ caritate: si idem sciat, complures mercatores Alexandria solvisse, navesque in cursu frumento onustas, petentes Rhodum, viderit, dicturus ne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus? Sapientem & bonum virum fingimus: de ejus deliberatione & consultatione quærimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe judicet, sed dubitet, an turpe non sit. In hujusmodi caussis aliud Diogeni Babylonio videri solet, magno & gravi Stoico, aliud Antipatro, discipulo ejus, homini acutissimo. Antipatro omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor norit, emtor ignoret: Diogeni venditorem, quatenus jure civili constitutum sit, dicere vitia opor-

idem ille Diogenes non incommode dicebat, referente M. Tullio: *Advexi, exposui: vendo meum, non pluris quam ceteri, fortasse etiam minoris cum major est copia: cui fit injuria?* Non ergo generaliter sequendum illud ejuidem Ciceronis, *Celare* esse, cum tu, quod scias, id ignorare emolumenti tui caussa velis eos, quorum intersit scire: sed tum demum id locum habet, cum de iis agitur, quæ rem subjectam per se contingunt, ut si domus sit pestilens, si a magistratu dejici jussa; quæ exempla ibidem videas. At vitia ei, qui cum agas, nota, aut servitutem ædium, quas M. Marius Gratidianus C. Sergio Oratæ vendebat ab ipso prius emtas, dici nihil attinet. Scientia enim utrinque pares facit contrahentes. Horatius.

Ille feret pretium pœnæ securus, opinor: (h. e. ejus quod interest) *Prudens emisti vitiosum.*

Quod notatum & Platoni XI. de Legg. H. Grot. II. de Iure Belli & Pacis cap. 12. Vide & de hac re disputantem S. Pufend. de Iure nat. & gent. V. 3. Graevius. *Frumenti numerum*) *Numerus* refertur ad ea, quæ mensurabantur; unde numerum frumenti, olei, & vini antiqui dicebant. Sic Noster in Orat. pro Fonteio c. 2. *Maximum frumenti numerum imperavit*. In Orat. Philip. II. 27. *Maximus vini numerus fuit*. Hirtius etiam de Bell. Afric. c. 67. *Magno invento hordei, olei, vini, fici numero, pauco tritici, rediit in castra*. Quamplurima ejusmodi loca ex Cicerone, Cæsare, & Hirtio proferri possent. Græci dicunt, οὐδ' ἐν λόγῳ, οὐδ' ἐν ἀριθμῷ. Pearce.

Sed dubitet, an turpe non sit) Ita vulgo legitur, parum convenienter (ut opinor) menti Ciceronis. Msí Lameth. & Reg. sec. habent, *an turpe, an non sit:* Bal. *an turpe sit, an non*. Sed sequor lectionem Msi Mead. sec. *Sed dubitet, an turpe sit*. Fortasse Cicero scripsit: *Sed dubitet, turpe an non sit*. Idem.

Quatenus jure civili constitutum sit) Leges XII. tabularum mirifica implicabat obscuritas, propterea multi ingenio & doctrina præstantes viri ad eas populo interpretandas se contulerunt, & inter se capita conferentes fori disputationem invexerunt, quæ proprium juris civilis nomen adepta est, ut cognovimus a Pomponio ex l. 2. §. 5. Dig. de orig. Iuris. Hoc jus intellexit etiam Cicero inferius in hoc libro, cum dixit: *De jure prædiorum sancitum est apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia etiam dicerentur, quæ nota essent venditori*. Vide sequentia; & paullo post: *Hoc propter depravationem consuetudinis neque more turpe habetur, neque aut lege sancitur, aut jure civili*. Et Paullus IV. Sententiarum: *Feminæ ad hereditates legitimas ultra consanguineas successiones non admittuntur, idque jure civili, vel Voconia rogatione videtur effectum, ceterum lex*

oportere, cetera ſine inſidiis agere, & quoniam vendat, velle quam optime vendere. Advexi, expoſui, vendo meum non pluris, quam ceteri, fortaſſe etiam minoris, cum major eſt copia: cui ſit injuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: Quid ais? tu, cum hominibus conſulere debeas, & ſervire humanæ ſocietati, eaque lege natus ſis, & ea habeas principia naturæ, quibus parere, & quæ ſequi debeas, ut utilitas tua communis utilitas ſit, viciſſimque communis utilitas tua ſit, celabis homines, quid iis adſit commoditatis & copiæ? Reſpondebit Diogenes fortaſſe ſic, aliud eſt celare, aliud tacere: neque ego nunc te celo, ſi tibi non dico, quæ natura deorum ſit, quis ſit finis bonorum, quæ tibi plus prodeſſent cognita, quam tritici utilitas: ſed non quidquid tibi audire utile eſt, id mihi dicere neceſſe eſt. Immo vero (inquiet ille) neceſſe eſt, ſi quidem meminiſti eſſe inter homines natura conjunctam ſocietatem. Memini, inquiet ille, ſed num iſta ſocietas talis eſt, ut nihil ſuum cujuſque ſit? quod ſi ita eſt, ne vendendum quidem quidquam eſt, ſed donandum.

13. Vi-

lex duodecim tabularum nulla diſcretione ſexus cognatos admittit. C. Sigon. I. de Iure antiquo civ. Rom. c. 6. vide & Muretum ad laudatam Pomponii legem. Quatenus autem jure civili conſtitutum fuerit, licet inprimis videre ex edicto ædilitio, cujus Fragmentum legitur lib. XX. Dig. de ædilitio edicto, ut ex Vlpiani libro XXVIII. ad Sabinum in lib. XIX. de actionibus emti & venditi, l. I. GRÆV.

Cum major eſt copia) Non facile apparet, quorſum addita ſint verba hæc. Mihi inſititia videntur. Deſunt certe apud D. Ambroſium, qui locum hunc imitatus eſt his verbis in lib. III. c. 6. *Vendo frumentum, non alienum, ſed meum; non pluris, quam ceteri, imo etiam minori pretio*. FACCIOLAT.

Quid agis?) *Ais*, Victorius, & optimus liber manuſcriptus. In iiſdem paullo poſt legitur, *inquiet ille*, quod placet; nam paulo ante *reſpondebit*, inquit, & Cicero controverſiam Diogenis, & Antipatri ita explicat, ut non tam, quid illi dixerint, quam, quid eos dicturos eſſe veri ſimile ſit, perſequatur, cui rei futurum tempus melius convenit. FR. FABRIT.

Ea habeas principia naturæ) H. e. id te natura tua te doceat, ut nihil putemus nobis utile, quod aliis noceat: aliter violari jus humanæ ſocietatis, ad quod colendum nati ſimus. GRÆVIUS.

Tritici utilitas) Ita vulgo: ſed ex conjectura Paſſeratius *vilitas*: quæ quidem Ciceroniana eſt, & cum ſententia non male congruit. OLIVETUS. Video ſic voluiſſe Langium, & ſic edidiſſe Car. Stephanum: & ea vox ineſt in Mſo Reg. tert. & quarto; ſed hîc ex correctoris manu. Eodem modo *vilitas annonæ* dicitur in Or. pro leg. Manil. c. 15. & apud Horat. Epiſt. I. XII. 24. habemus:

Vilis amicorum eſt annona, bonis ubi quid deeſt. PEARCE.

Vt nihil cujuſque ſit ſuum) Vetus liber, *ut nihil cujuſquam ſit*. F. VRSIN.

Sed,

13. Vides in hac tota diſceptatione non illud dici, quamvis hoc turpe ſit, tamen, quoniam expedit, faciam: ſed ita expedire, ut turpe non ſit; ex altera autem parte: ea re, quia turpe ſit, non eſſe faciendum. Vendat ædes vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipſe norit, ceteri ignorent: peſtilentes ſint, & habeantur ſalubres: ignoretur in omnibus cubiculis apparere ſerpentes: male materiatæ, ruinoſæ: ſed hoc præter dominum nemo ſciat: quæro, ſi hoc emtoribus venditor non dixerit, ædeſque vendiderit pluris multo, quam ſe venditurum putarit, num id injuſte, an improbe fecerit. Ille vero, inquit Antipater. Quid enim eſt aliud, erranti viam non monſtrare

Sed, ita expedire, ut) Hoc ex una parte, ſc. Diogenis, dicitur: paullo poſt *ea re* ſignificat, ob eam rem, ob eam cauſſam, quia turpe ſit. Sic in Acad. II. 34. *Superius illud ea re a ſe eſſe conceſſum, quod videretur* &c. PEARCE.

Vendat ædes) Vide Pufendorff. lib. V. de Iure naturæ & gentium cap. 3. GRÆV.

In omnibus cubilibus apparere) Sic eſt in exemplis Manutianis, pro quo ceteræ editiones, & noſtri libri manuſcripti, *cubiculis*, habent. Idem vero exemplum a Cicerone lib. III. de Repub. fuit expoſitum, ut oſtendit Lactantius lib. V. c. 17. FR. FABRIT.

Ruinoſæ: ſed hoc) Crederem ſubintelligendam eſſe vocem *ſint* ex præcedentibus, niſi interveniſſent verba *ignoretur in omnibus cubiculis* &c. Potius vero legendum eſſe cenſeo, *male materiatæ, ruinoſæ ſint: hoc* &c. PEARCE.

Num id injuſte, an improbe fecerit) Decem Manutii Mſi cum ſeptem meis habent *aut*, non vulgatum illud *an*: hæc vox diſplicet; quia non quæritur hîc, utrum in ea re injuſtitia ſit, an ſit potius improbitas, quam injuſtitia; quod τὸ *an* videtur ſignificare. Sed Cicero quærit, num is, qui emtori vitia non dixerit, facit id quod licitum eſt, an id quod injuſtum aut improbum eſt. IDEM.

Ille vero, inquit Antipater: quid enim) Manutii, Lambini, prima Moguntina, multique alii, cum editi tum ſcripti: *Ille vero, inquit Antipater, improbe facit*. Pith. exc. *improbe faciet*. Sed *improbe facit* eſt a ſciolis Ciceroni adtextum, idque nec agnoſcit meus ſecundus, editiones Victorii, Langii, Fabritii, Gruteri. Sed prava diſtinctione laborat locus hic. Sic enim diſtinguendum: *Ille vero, inquit Antipater. Quid enim eſt aliud*. Non intellexerunt fartores vim τῦ *vero*. Quod ſæpe idem eſt, quod utique, certe. *Ille vero* ſubauditur ex præcedentibus, improbe fecerit, hoc eſt, certe improbe fecerit. Apud Comicos nihil vulgatius. Terent. Eunuch. III. 1.

GN. *Rex te ergo in oculis*.
TH. *ſcilicet*.
GN. *Geſtare*. TH. *Vero, credere omnem exercitum*,
Conſilia, hoc eſt, certe geſtabat me in oculis. Adelph. III. 4.

DE. *An quidquam eſt amplius?*
HE. *Vero amplius*: certe aliquid eſt amplius. Plaut. Aſin. I. I. 42.
DE. *Tu ne es adjutor nunc amanti filio?*
LI. *Sum vero, & alter noſter eſt Leonida*.

Sic & *verum*. Terent. Andr. IV. 4.

MV. *O hominem audacem!* DA. *Verum. Vidi Cantharum*
Suffarcinatam. Sic enim ibi diſtinguendum. Et in Eunucho II. 3.

PA. *Comites ſecuti ſcilicet ſunt virginem?*
CH. *Verum: Paraſitus cum ancilla*.
hoc eſt, utique ſecuti ſunt, Paraſitus certe

ſtrare (quod Athenis exſecrationibus publicis ſanctum eſt) ſi hoc non eſt, emtorem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? plus etiam eſt, quam viam non monſtrare: nam eſt ſcientem in errorem alterum inducere. Diogenes contra: Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem eſt? ille, quod non placebat, proſcripſit: tu, quod placebat, emiſti: quod ſi qui proſcribunt, villam bonam, beneque ædificatam, non exiſtimantur fefelliſſe; etiam ſi illa nec bona eſt, nec ædificata ratione; multo minus, qui domum non laudarunt. Vbi enim judicium emtoris eſt, ibi fraus venditoris quæ poteſt eſſe? ſin autem dictum non omne præſtandum eſt, quod dictum non eſt, id præſtandum putas? Quid vero eſt ſtultius, quam venditorem, ejus rei, quam vendat, vitia narrare? quid autem tam abſurdum, quam ſi domini juſſu ita præco prædicet? DOMVM PESTILENTEM VENDO? Sic ergo in quibuſdam cauſis dubiis ex altera parte defenditur honeſtas, ex altera ita de utilitate dicitur, ut id, quod utile videatur, non modo facere honeſtum ſit, ſed etiam non facere turpe. Hæc eſt illa, quæ videtur utilium fieri cum honeſtis ſæpe diſſenſio. Quæ dijudicanda ſunt; non enim, ut quære-

certe cum ancilla. GRÆVIVS.

Exſecrationibus publicis ſancitum eſt) Exſecrationes publicæ ſunt, αραι, de quibus Diphilus: Αγνοεις εν ταις αραις ὅτ' εςιν, ει τις μη φρασει ορθως ὁδὸν: id eſt. *Neſcis, exſecrationibus publicis obnoxium eſſe, ſi quis viam non recte monſtrarit?* FR. FABRIT. Lege: *ſanctum eſt*, hoc eſt, lege ſacrata præceptum, quod ita jubetur in axonibus, ut qui id recuſet, ei non quidem dicatur mulcta, ſed ejus caput omnibus diris devoveatur. I.FR.GRONOV. *Sanctum eſt*, invenit etiam Manutius in quinque MSS. *Sancitum eſt*) I. e. vetitum, prohibitum: ut in c. 17. *Neque more turpe haberi, neque aut lege ſanciri aut jure civili; tamen naturæ lege ſancitum eſt*. Alibi tamen *ſancitum eſt* ſignificat id, quod imperatum eſt, ut in initio cap. 16. PEARCE.

Scientem in errorem alterum inducere) I. e. venditor, in hac quæſtione, *ſciens* vitia, neque ea dicens, illam *alterum*, ſc. emtorem, *inducit in errorem*. IDEM.

Quid vero eſt ſtultius) Etſi neceſſum non eſt, ut ipſa proſcriptio vel proclamatio rei venalis ejuſdem vitia contineat; emtori tamen illa reticeri non debent, ſi lateant. Prius enim licet, quod non ſit nefas etiam vitioſam rem vendere, ſi modo emtor per ſimplicem proſcriptionem vel proclamationem excitatus de rei vitio fuerit monitus. Vid. l. 43. pr. ff. de contrah. empt. GRÆV.

Sic ergo in quibuſdam cauſis) In libris vulgatis additur, *dubiis*, quod etiam ſcripti noſtri retinent. Langius, & Lambinus quaſi ex interpretatione illatum deleverunt. FR. FABRIT. Sed cum rationem nullam dent illi, cur deleverint; cumque in Græv. ſecundo & aliorum libris retineatur, merito & alii id retinuerunt editores. GRÆV.

Fru-

quæreremus, expoſuimus, ſed ut explicaremus. Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodios, nec hic ædium venditor celare emtores debuiſſe. Neque enim id eſt celare, quidquid reticeas: ſed cum, quod tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſa velis eos, quorum interſit id ſcire. Hoc autem celandi genus quale ſit, & cujus hominis, quis non videt? certe non aperti, non ſimplicis, non ingenui, non juſti, non viri boni: verſuti potius, obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri. Hæc tot, & alia plura, nonne inutile eſt vitiorum ſubire nomina?

14. Quod

Frumentarius ille Rhodius) Malo *Rhodios*, ſicut Victorius edidit, ut referatur ad verbum *Celare*: vult enim Cicero contra officium eſſe, ſi vel frumentarius Rhodios, vel ædium venditor emtores celet, quod eos ſcire ſit utile. FR. FABRIT. Recte: ſic & meus ſecundus, & Pith. excerpta. GRÆV. Sequor MSos omnes fere Oxon. omnes meos alioſque nonnullos, qui habent *Rhodius*. In ſequente voce, *emtores*, Rhodii ſatis ſignificantur. PEARCE.

Non aperti, non ſimplicis) Igitur Antipatri ſententiam probat Cicero, qui mercatoris diſſimulationem tam graviter accuſat. Et tamen *in pretio emtionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire* Pomponius ſtatuit l. 16. §. ult. ff. de minoribus: quem locum eleganter exponit Grotius II. de Iure Belli & Pacis c. 12., & illius explicationem aſſerit Pufendorfius lib. V. de Iure Nat. & Gent. cap. 3. In capite vero præcedente docet, mercatorem injuſte non feciſſe, cum Rhodiis non indicaſſet naves plures in curſu eſſe. Iuſtitiam enim hoc tantum requirere, ut ea indicentur, quæ rei ſubjectæ inhæreant, v. g. ſi domus ſit peſtilens, ſi a magiſtratu jam dejici juſſa, quæ mox Tullius exempla ſubjicit. Sed hic nihil tale diſſimulatum. Frumenti bonitatem expoſitam, & omnium oculis & probationi fuiſſe objectam: & tunc, quando venale proponebatur, revera tanti fuiſſe, quanti fuerit venditum, etſi paullo poſt minoris eſſet futurum. Nec jus proprie dictum Rhodiis fuiſſe, ut ex mercatore hoc ſcirent, quippe qui cum de ea re numquam cum eo pacti eſſent. Addit quoque, ſe dubitare num contra legem beneficentiæ & humanitatis fecerit. Vt enim ad beneficium alteri dandum, humanitate obſtringamur, requiri, ut ipſe illo gratuito valde indigeat. Sed Rhodios opus habuiſſe frumento, non pecunia, qua abundarint, quippe quarum opes apud antiquos multis celebrentur. Sed neque tunc ad beneficium in alium conferendum nos obligari, quando per id danti plus decedat, quam accipienti accedat. Atqui plus lucri deceſſurum fuiſſe mercatori, ſi claſſem ſequi indicaſſet, quam frumenti emtoribus fuiſſet acceſſurum. Nam cum inter plures id diſtraheretur, ſingulis parum deceſſiſſe ſoluto antiquo pretio. Præterea Ciceronem a doli mali crimine videre eumdem liberare, dum paullo poſt dolum malum eſſe dicat, *quando aliud eſt ſimulatum, aliud actum*, quod huic caſui non conveniat. Cicero igitur hanc quæſtionem decidit ſecundum Stoicorum dogmata, ſed illum rigorem a communi vitæ conſuetudine alienum eſſe Cicero ipſe non uno loco ait, præſertim cum paullo ante oſtenderit, ſe media hic officia perſequi, non perfecta. GRÆV.

Hæc tot & alia plura) Langius edidit: *Hæc tot & talia nonne inutile eſt*, quod placet, ut non ſolum multitudo, ſed & immanitas verborum, quibus

14. Quod si vituperandi sunt, qui reticuerunt, quid de iis existimandum est, qui orationis vanitatem adhibuerunt? C. Canius, eques Romanus, nec infacetus, & satis litteratus, cum se Syracusas otiandi, ut ipse dicere solebat, non negotiandi caussa, contulisset, dictitabat, se hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, & ubi se oblectare sine interpellatoribus posset; quod cum percrebuisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis: & simul ad cœnam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, qui esset, ut argentarius, apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit, & ab his petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitque, quid eos facere vellet. Ad cœnam tempore venit Canius: opipare a Pythio apparatum convivium: cymba-

bus hoc vitium appellatur, significetur. FR. FABRIT. In meo codice, *non utile est*. Non est utile subire hæc & alia plura nomina vitiorum; id est committere, ut appellere versutus, obscurus, astutus &c. FACCIOLAT.

Orationis vanitatem) I. e. mendacia. Vide notam meam ad I. 42. PEARCE.

C. Cannius) Scribendum *Canius* unico *n*, auctoribus antiquis lapidibus. F.URSIN. *C. Cannius*) *Canius* est in nostris manuscriptis, & impressis Manutianis, & adnotat Paulus Manutius multas familias nomen a bestiis accepisse, ut *Canii*, *Ovii*, *Gallii*, *Porcii*, *Asinii*: ex Caniorum familia in Maniliorum adoptatus illis temporibus fuit Manilius Canianus tribunus pl. in tertio consulatu Pompeii, de quo Asconius in argumento Milonianæ Orat. FR. FABRIT.

Sine interpellatoribus) Langius edidit, *Sine interpellationibus*, atque ita in uno ex manuscriptis nostris legitur. GRAEV.

Venales quidem se) Vulgo ante *venales* deest *dixit*: sed, cum sententiæ necessaria hæc vox videtur, eam apponendam censeo ex editionibus Manutii, & Lambini. Exstat etiam in MSis Cant. & Mill. Mead. sec. & Reg. sec. & tertio: itemque in edit. Mogunt. & Rom. Quamvis in MSo Cant. & Reg. tertio locum habet post *habere*, in his vero editionibus post *Pythius ei quidam*. PEARCE.

Ut argentarius qui esset) Sic Manutius hæc collocat, quæ in aliis libris ita leguntur: *Qui esset, ut argentarius*, eamque lectionem Nonii libri in *Gratiosum* confirmant. FR. FABRIT. Sed male Manutius, optime aliæ editiones. GRAEV.

Ad cœnam tempore venit) *Tempore*, cum plerisque libris vulgatis habent manuscript. nostri. Sic Verrina quarta: *Satis*, inquit, *putabat se ad comitia tempore venturum*, *si pridie venisset*. Balduinus admonet in scripto codice esse, *Tempori*, atque ita Langius edidit. In eo, quod sequitur, *Cymbarum ante oculos multitudo*, Victorius legit: *ante hortulos*, atque ita unus liber scriptus habet, cum in ceteris sit: *ante oculos*. Ambrosius cap. 11. lib.III. de Officiis utrumque expressit: *In prospectu cœnantium ante hortulos*, inquiens. Apud Nonium in *Cymba* legitur: *Cymbarum ante pedes multitudo*, *pro se quisque*, *quod ceperat*, *afferebat*. FR. FABRIT.

Pro

cymbarum ante oculos multitudo: pro se quisque, quod ceperat afferebat, ante pedes Pythii pisces abjiciebantur. Tum Canius: Quæso, inquit, quid est hoc Pythi? tantum ne piscium, tantum ne cymbarum? Et ille: quid mirum? inquit: hoc loco est, Syracusis quidquid est piscium: hic aquatio: hac villa isti carere non possunt. Incensus Canius cupiditate contendit a Pythio, ut venderet. Gravate ille primo: quid multa? impetrat, emit homo cupidus & locuples tanti, quanti Pythius voluit, & emit instructos: nomina facit, negotium conficit: invitat Canius

Pro se quisque) *Pro se*, id est, pro sua virili. Virgil. *pro se quisque viri*. Cæsar II. de Bello Gallico: *Cum pro se quisque in conspectu Imperatoris operam navare cuperet*. Livius II. *Cum hostes adessent, pro se quisque in urbem ex agris demigravit*. Sic ille persæpe loquitur. Attulerant secum pisces: nec falso Pythius dixerat, ibi esse, Syracusis quidquid esset piscium. Sed fraus fuit in demonstratione: non enim *ibi*, id est, in ea piscatione, ut ipse vocabat: sed *ibi*, id est, in illis scaphis aut cymbis; meminit hujus Cannii & in II. de Oratore. C. LANG.

Hic aquatio) Scribe: *hæc aquatio*. I. FR. GRONOV.

Nomina facit) Hoc est, Canius scribit, & in tabulas refert, se Pythio ex emtione hortorum certam pecuniam debere, atque ita scriptura se venditori obligat; nam obligatio literarum, quæ scriptura fit, eo tempore, *nominibus fieri dicebatur*, auctore Iustiniano tit. 22. lib. III. Institution. Cicero epist. ult. lib. IV. ad Atticum: *Hæc pactio non verbis, sed nominibus, multorum tabulis, cum esse facta diceretur, prolata a Memmio est, nominibus inductis, auctore Pompeio*. Vlpianus in l. 4. de peculio: *Si vero nomina ita fecerit dominus, ut quasi debitorem se servo faceret, cum revera debitor non esset, non obligatur*. Scævola in L. *Thais*. 41. in fine. D. de fideicommiss. libertatib. *Stichus arcarius probante domino nomina fecit, & rationes a domino scriptas exhibuit, nec postea nomen ullum fecit*. FR. FABRIT. Fallitur Fabritius; non Canius *nomina fecit*, sed Pythius, aut quicumque Canio pecuniam dedit. Nam *nomina facere* dicitur creditor, qui pecuniam mutuam dat, & in tabulas accepti & expensi refert nomen illius, cui tantum pecuniæ credidit, quod nostris negotiatoribus est *te boech settem*. Seneca I. de Benef. *Nomina facturi diligenter in patrimonium debituri inquirimus*. Sed hoc pluribus docuit Salmasius ὁ πάνυ in libro de Vsuris, c. 6. allato hoc Ciceronis loco ex oratione pro Roscio Comœdo: *Quod si ille suas proferet tabulas, proferet suas quoque Roscius. Erit in illius tabulis hoc nomen, at in hujus non erit. Cur potius illius, quam hujus creditur? Scripsisset ille, si non jussu hujus expensum tulisset? Non scripsisset hic, quod sibi expensum ferri jussisset? Nam quemadmodum turpe est scribere, quod non debeatur, sic improbum est non referre quod debeas. Æque enim tabulæ commendantur hujus, qui verum non retulit, & ejus, qui falsum perscripsit*. Ex his, inquit vir maximus, perspici clare potest creditorem, cum nomen faceret, hoc est, pecuniam alicui crederet, nomen debitoris in tabulis suis scripsisse, & summam debiti, quam *expensam ferre* dicebatur, quia expendebat. Expensum sibi ferri jubebat creditor debitorem, qui in tabulas suas referebat, quod acceperat ac debebat. Hinc *tabulæ accepti & expensi* ab utraque parte conficiebantur. Ab illo more referendi nomina debitorum, quibus aliquid credidissent, in tabulis *nomen facere*, & *nomen locare* dicebatur, creditor qui pecuniam credebat. Contra debitor cum credi-

Canius postridie familiares suos; venit ipse mature: scalmum nullum videt: quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quod eos nullos videret. Nullæ, (quod sciam) inquit ille: sed hic piscari nulli solent: itaque heri mirabar, quid accidisset. Stomachari Canius. Sed quid faceret? nondum enim Aquillius, collega & familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas: in quibus ipsis cum ex eo quæreretur, quid esset dolus

creditum solveret, *nomen dissolvere*, *expedire*, *expungere*, quia expungebatur nomen ejus e tabulis creditoris, ubi solvisset. Hæc Salmasius, qui id pluribus exemplis antiquorum scriptorum firmat, uti & ex Vlpiano l. 11. D. de Proxeneticis, quique ibi quoque docet, quid sit apud Iustinianum obligatio scripturæ, quæ nominibus fiebat. Verissima sunt quæ ibi tradit, nisi quod in his ei assentiri non possimus, quod existimet *nomen facere* dici tantum de illis creditoribus, qui pecuniam mutuam dent sine usuris, quod non videtur vero esse consentaneum. Vsurpatur de pecunia tam quæ sine usuris, quam quæ cum usuris mutua datur. Cum igitur debitoris sit facere nomina, I. Fr. Gronovius censet hic legendum esse *Pythius nomina facit*. Nam Canius secundum consuetudinem Latine loquentium, qui non præsente pecunia emebat hos hortos, sed summam, quæ convenerat, jubebat aut in Pythii tabulas expensi & accepti referri, aut in alius, qui pecuniam hanc ei credebat, *nomen locabat*, Pythius autem aut amicus ei credens, *nomen faciebat*. Conjecturam Gronovii adstruunt sequentia statim verba: *invitat Canius postridie familiares suos*; non opus fuisset repetitione nominis *Canius*, si ad eumdem hominem pertinerent præcedentia. GRÆV.

Quod eos nullos videret) Pith. excerpta: *eo quod nullos videret*. Equidem *eos nullos* ferit aures. Sed Cicero videtur scripsisse: *quod eos nullus videret*; hoc est, non videret. XI. ad Att. epist. 24. *Philotimus nullus venit*; & alibi præsertim apud Comicos crebra sunt exempla. IDEM.

Sed quid faceret? nondum enim) Atqui quid ei opus erat hac de dolo malo formula? nonne poterat agere, & jus suum experiri, actione ex emto, quæ actio bonæ fidei est, & doli persecutionem continet? Dic novationem hic esse factam, & ex emtione stipulationem. LAMBIN.

Aquillius collega & familiaris meus) Fuit Ciceronis collega in prætura, vir Iurisprudentia insignis, Q. Mutii discipulus, quem Cicero multis in locis prædicat, ut & Valer. Max. VIII. 2, 15. Invenit actionem de dolo malo, Cic. III. de Nat. Deorum 30.: *Inde everriculum malitiarum omnium, judicium de dolo malo, quod C. Aquillius familiaris noster protulit. Quem dolum idem Aquillius tum teneri putat, cum aliud sit simulatum, aliud actum*. GRÆV.

Protulerat de dolo malo formulas) *Protulerat*, est in nostris manuscriptis omnibus, consentientibus impressis Manutianis, pro quo Victorius, & Langius, *pertulerant*, ediderunt. Verum quia formulæ, quæ erant solemnium verborum conceptiones, quibus cives Rom. in agendo utebantur, non a magistratibus perferebantur, sed a Iureconsultis proferebantur, veterum librorum lectio est retinenda, quam probat Turnebus Adverſ. lib. XX. c. 13. FR. FABRIT.

Cum ex eo quærerem) *Quæreretur* magis placet, ut est in vetustissimo exemplari. F. VRSIN. *Cum ex eo quærerem*) Sic Victorius, Manutius, & duo libri manuscripti: in aliis est, *quæreretur*. Paullo post nostri manuscripti omnes habent, *Luculente*, pro quo in vulgatis est, *Luculenter*. Ciceronem utroque uti, in vulgus notum est. FR. FABR. Lectio *quærerem* inest in MSis

lus malus: respondebat, cum esset aliud simulatum, aliud actum. Hoc quidem sane luculenter, ut ab homine perito definiendi. Ergo & Pythius, & omnes aliud agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi sunt. Nullum igitur factum eorum potest utile esse, cum sit tot vitiis inquinatum.

15. Quod si Aquilliana definitio vera est, ex omni vita simulatio dissimulatioque tollenda est: ita nec, ut emat melius, nec ut vendat, quidquam simulabit, aut dissimulabit vir bonus. Atque iste dolus malus etiam legibus erat vindi-

in MSis Mead. pr. Mill. Cantab. & tribus Oxoniens. cum duobus aliis; itemque in editionibus Mogunt. Rom. Victorii, Manutii, & Lambini. Et hoc potuit facere Cicero, cum Aquillius ejus *collega & familiaris* esset. PEARCE.

Aliud simulatum, aliud actum) Ita *dolum malum* exposuit Aquillius: sed ejus formula apud Iurisconsultos, ut videtur, cito exolevit, postquam ille, qui *omnes superiores in scientia vicit* (Vid. II. 19.) Serv. Sulpitius rem aliter definierat, pauculis adjectis. Quippe is dixit, *machinationem esse quamdam alterius decipiendi caussa, cum aliud simulatur, aliud agitur*. Hæc ejus verba servavit Vlpianus in Dig. V. III. I. Vbi etiam Labeonis (qui postea sub Augusto floruit) in ea re subtilitates recenset, nulla prorsus Aquillii mentione interjecta. CHAPMAN.

Malitiosi) *Malitia est, si quis mala bonis anteponit*, ut ait Noster in c. 17. Cave igitur, ne hîc per *malitiosos* intelligas eos, qui inveterato sunt adversus aliquem odio. Eodem sensu, quo nunc, dicitur *malitiosa juris interpretatio* in I. 10. & *malitiosis blanditiis* III. 18. PEARCE.

Ex omni vita simulatio dissimulatioque tollenda est) Nimirum quæ fit dolo malo, alterius lædendi caussa. Si is dolus abest, & simulatur aut dissimulatur, aut ut nobis ipsi sine alterius detrimento, aut ut aliis, aut reipublicæ prosimus, licitum utique est. Vide de his disputantem, ut alios omittam, Hug. Grotium III. de Iure Belli & Pacis cap. I. nec non Pufendorfium de Iure naturæ & gentium lib. IV. cap. I. GRÆV.

Nec ut emat melius, nec ut vendat, quidquam simulabit, aut dissimulabit vir bonus) Huc pertinet illud Platonis lib. XI. de Legibus: *Quod venditori de rerum venalium pretio lex consuluit, id ipsum opifici quoque consulit. Caveat ergo ne pluris quam æquum est, opus suum taxet; sed quam simplicissime, & ut dignum est, taxatio fiat. Non enim ignorat opifex, quo pretio dignum opus suum sit. Nec debet in libera civitate artifex arte ipsa, quæ aperta res est, & a mendacio longe remota, rudes decipere.* Hinc & Valer. Max. VII. 2. 1. *Bonæ fidei venditorem nec commodorum spem augere, nec incommodorum cognitionem obscurare oportet.* Ambrosius III. de Offic. 10. *Quid loquar de contractibus ceteris, ac maxime de coemtione prædiorum, vel transactionibus atque pactis? Nonne honestatis formulæ sunt, dolum malum abesse, eumque, cujus dolus fuerit deprehensus, dupli pœnæ obnoxium fore?* IDEM.

Atque iste dolus) *Atqui* legere malim; apparet enim hic quamdam objectionem esse illius, quod superius dixerat, ante Aquillium de dolo malo fuisse constitutum, cum etiam Prætor actiones tutelares lege duodecim tabularum dederit. BETVLEIVS. Hoc vult Cicero, ante Aquillium *de dolo malo* fuisse constitutum, cum etiam Prætor actiones tutelares ex lege Xvirali dederit; & dolus malus ante eumdem Aquillium judiciis bonæ fidei vindicatus fuerit. MAZOCHIVS.

Vt

vindicatus, ut tutela XII. tabulis, & circumscriptio adolescentium lege Lætoria: & sine lege judiciis, in quibus addi-

Ut tutela XII. tabulis) Hoc & Iustinianus ostendit Institut. lib. I. tit. 26. *Sciendum est suspecti* (sc. tutoris) *crimen e lege duodecim tabularum descendere*. Verba legis XII. tab. hujus fere modi fuisse videntur secundum Fr. Hotomannum: *Tutorem, qui doli mali culpæve in tutela admissa suspectus erit, cuivis apud eum, qui jus dicet, arguere jus esto: dolique damnatus infamis esto.* Qua de re Plato etiam XI. de Leg. Εαν δε επιτροπους αμελειν η κακουργειν δοκη τοις οικειοις η των ἀλλων τινι πολιτων, εις ταυτο αγετω δικαστηριον· ὁτι αν οφλη, τετραπλασιαν μεν τουτου τινειν, γιγνεσθω δε το μεν ἡμισυ του παιδος, το δ' ἡμισυ του καταδικασαμενου την δικην. Id est: *Si tutor culpæ dolive vel propinquis pupilli, vel cuivis alteri sit suspectus, ad idem judicium adductus, si damnetur, quadruplum solvito: cujus dimidium pupilli, dimidium accusatoris esto.* GRAV. *Ut tutela XII. tabulis*) Sc. erat vindicata sive punita: at in *tutela* nihil est vel mali vel boni. Hîc vero opus est voce, quæ crimen aliquod in se continet, quale est *circumscriptio adolescentium*. Censeo igitur, aut legendum esse, *ut tutelæ XII. tabulis*, sc. dolus malus tutelæ; aut (quod sine ulla mutatione fiat) vocem *mala* subintelligendam esse ex præcedentibus. PEARCE.

Lege Lætoria) Sueton. lib. IV. prætorum, *Lætoria*, inquit, *quæ vetat minores XXV. annis stipulari*; id est, stipulatione teneri, Prisc. notat. C. LANG. *Lege Lætoria*) Hoc nomen in libris vulgatis varie depravatum est: in quibus *Lectoria*, *Pletoria*, & *Plectoria* legitur: in melioribus libris nostris *Lætoria*, bene est scriptum. Sic lib. III. de Natura Deor. *Inde judicium publicum rei privatæ lege Lætoria*. De eadem Suetonius apud Priscianum lib VIII. *Lætoria*, inquit, *quæ vetat minorem annis XXV. stipulari*. Quod sequitur: *Et sine lege, judiciis*, Lambinus ideo distinxit, ut, tolleretur error eorum, qui judicium sine lege, arbitrium esse putant. Ciceronis sententia est, dolum malum ante Aquillium non modo legibus, sed & judiciis bonæ fidei vindicatum fuisse. FR. FABRIT. Male ultima distinguit cum Lambino Fabritius. *Sine lege judicia* sunt, quæ non descendunt ex XII. tab. aut lege per populum lata, sed in quibus prætor supplet, quod deest juri civili. Iustinian. Institut. lib. IV. tit. 6. de actionibus, §. 30. 31. I. FR. GRONOVIUS. *Circumscriptio adolescentium*) Nos tantum de scopo legis admonet: at ejus capita quis ex inferis suscitaverit? Nisi quod hos tantum ejus laceros artus apud antiquos reperio. I. Ex Cic. in III. de Nat. Deor. *Iudicium publicum rei privatæ ex lege Plætoria* datum. Id vero judicium indicatur ex ænea Tabula Heracleensi, quæ in Herculanensi Museo Serenissimi Regis utriusque Siciliæ inter reliquas antiquitatum gazas adservatur, his verbis: *Ob eamve rem, quod adversus eam legem fecit, condemnatus est.* II. *Legitimam ætatem* ab anno XXV. decurrere (quod in Iure nostro tritissimum est) Plætoria primum lege inductam fuisse, feliciter Brissonius ante conjecerat in III. Sel. antiq. c. 2. Id quidem conjectura vidit: etsi jam ante hoc Constantinus Augustus scripserat l. 2. Cod. Theod. De donat. his verbis: *Donec is .... annos Lætoriæ legis egressus legitimam compleverit ætatem*. III. Ex superiore capite fluit prono alveo tertium, ut ante XXV. annum nemo stipulatione teneatur. Caput istud Suetonio debemus in IV. Prætorum (apud Priscianum Lib. VIII. p. 794. ed. Putsch.) *Lætoria, quæ vetat minorem annis XXV. stipulari*: passive *stipulari*, επερωτασθαι, Prisciano interprete (h. e. sponsione teneri) sicuti & l. ult. D. de stip. tut. Eadem in eodem Prisciano occurrunt lib. XVIII. p. 1164. Eoque Plautus alludit, apud quem Pseudolo I. iii. 69. ita Calidorus adolescens expostulat: *Lex me perdit Quina-vicenaria. Metuunt credere omnes*. Idem Rud. V. iii. 24. *Cedo quicum habeam judicem. Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiam dum siem quinq. & viginti natus* annos.

additur, EX FIDE BONA AGITUR. Reliquorum autem judiciorum hæc verba maxime excellunt, in arbitrio rei uxoriæ, MELIUS,

annos. IV. Caput eo pertinet, quibusdam minoribus curator dandus; de quo Capitolinus in M. Aurelio cap. 10. *De curatoribus vero cum ante non nisi ex lege Pletoria vel propter lasciviam, vel propter dementiam darentur, ita statuit, ut omnes adulti curatores acciperent, non redditis caussis*. Sed vereor ne Capitolinus jura confuderit. Nam prodigis & furiosis jam antea lex Xviralis curatores illos dabat, quos biographus noster ex Plætoria arcessit. Nisi vero ita distinguendum in Capitolino sit: *Cum ante nonnisi* (aut) *ex lege Pletoria* (quæ tamen præter lasciviam & dementiam, omnibus petentibus causamque probantibus dabat) *vel* (ex XII. tab.) *propter lasciviam vel propter dementiam darentur; ita statuit* &c. Tantum ὑστερολογίᾳ peccavit Capitolinus. V. De infamia, quæ circumscribentem adolescentes sequebatur: quod caput æri nostro debetur. Iam vero illud quærendum est, utrum lex isthæc *Pletoria* cum ære nostro, an vero *Letoria* cum plerorumque auctorum editionibus vocanda sit. Ac primum multo fuisse facilius duco, ut ea ab aliquo ex gente Plætoria, quam ex Lætoria rogata fuerit. Etenim gentem Plætoriam immane quantum Lætoria copiosiorem fuisse, marmorum indices Gruteriani, & Muratoriani loquuntur. Adde & nummos; nam inter gentium Rom. numismata gens *Pletoria* decem, *Letoria* vix unum denarium potest ostendere. Deinde cum æs nostrum de Quinavicenaria loquatur, tum vero Tabulæ, in quam nihil sciolorum licentiæ licuit, auctoritas una efficiet, ut *Pletoria* eadem quæ Quinavicenaria fuerit. Maxime cum in hoc loco plane singulari Ciceronis ea lex, qua circumscriptio adolescentium vetatur, in MSis *Pletoria* nominetur. Nihil autem moror, in aliis auctorum (veluti Ciceronis, Codicis Theod. Capitolini, Prisciani) locis eamdem legem non aliter, quam *Letoriam*, P detruncato, vocari. Nam nemini adhuc id curæ fuit, ut in his auctorum locis membranas vetustiores excuteret: & jamdiu amanuenses gentem *Letoriam*, tamquam a *Lætus* derivatam, *Pletoriæ* subrogare consueverant. At enim Fulvius Vrsinus in suis Rom. familiis gentem Plætoriam non aliam a Lætoria fuisse statuit; idque ex eo probat, quod ille primipili centurio, cui populi suffragio dedicatio ædis Mercurii data fuit, a Val. Max. IX. c. 3. n. 6. *M. Pletorius* nominetur, a Livio autem II. 27. *M. Letorius*: ad hæc quod *M. Pletorius Iustinianus*, qui Scipionem in Hispania secutus est, in scriptis Hirtii codicibus modo *Pletorius*, modo *Letorius* nuncupetur. At hæc exempla nonnisi ad librariorum inter se discordias referuntur; quod vel ex unius Hirtii exemplo patet, apud quem eodem in loco exscriptores alii *Pletorium*, alii *Letorium*, prout libido fuit, exararunt. Ac tum sane equidem unam gentem esse, quæ duæ putabantur, Fulvio darem, cum quis eorumdem trium nominum, eodem patre natus, ex eadem tribu, eodemque artificio aut honoribus gestis, in uno marmore, ærea tabula, nummo, aut horum similibus non variabilibus monumentis, *Pletorius*, in altero *Letorius* nuncuparetur. A. S. MAZOCHIUS.

Ex fide bona agitur) Vox *agitur* abest a MSis septem meis, & novem Oxoniensibus. Abest etiam a plerisque vet. editionibus: nec opus fuit, ut hic locum haberet: ita enim Noster c. 17. *in quibus adderetur, ex fide bona*. Top. c. 17. *In quibus, ex fide bona est additum*. Et alibi ad eumdem modum. *Agitur* natum videtur ex præcedente voce *additur*. PEARCE.

In arbitrio rei uxoriæ) Arbitrium uxoriæ rei tunc erat, cum post divortium de dote controversia oriebatur. Matrimonio contracto, dos penes virum erat: at ubi divortium contigisset, si viri culpa, bonum & æquum exigebat, nihil apud virum manere; si mulieris, ipsa dotem amittebat. PRUSTEUS.

In fi-

MELIVS, ÆQVIVS: in fiducia, VT INTER BONOS BENE AGIER. Quid ergo? aut in eo, quod MELIVS ÆQVIVS, potest ulla pars inesse fraudis? aut, cum dicitur: INTER BONOS BENE AGIER, quidquam agi dolose, aut malitiose potest? Dolus autem malus simulatione, ut ait, Aquillius, continetur: tollendum est igitur ex rebus contrahendis omne mendacium, non licitatorem venditor, nec qui contra se liceatur, emtor apponet: uterque, si ad eloquendum venerit, non plus,

In fiducia, ut inter bonos bene agier) Fiducia veteribus ICtis fuit & pignus, & hypotheca, & potius hypotheca, longe diversa a fiducia & Isidori, & Boetii, quæ & ipsæ differunt, ut contra recentiores ICtos multis ostendit vir maximus Claud. Salmasius & in libro de Vsuris cap. 4. & de Modo Vsurarum cap. 14. copiosissime. GRÆV. *Vt inter bonos agier*) Plenius dicta est hæc formula infra in c. 12. *Vt inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione*. Et in Ep. ad Fam. VII. 17. *Vbi potius illa erit formula fiduciæ, ut inter bonos bene agier oportet?* PEARCE.

Simulatione & dissimulatione) Victorius edidit: *in simulatione, ut ait Aquillius, continetur*; quo modo non solum nostri, sed & Balduini libri manuscripti habent. FR. FABRIT.

Nec qui contra se liceatur emtor apponet) Sic lib. VII. epist. loquitur: & in Verrem III. *Si res abiret ab eo mancipe, quem ipse apposuisset, sibi nullam prædam esse*. Sic *calumniatores*, & *accusatores apponere* alibi dixit. CAR. LANG. *Emtor apponet*) Sic edidit Langius ex libris antiquis; duo quoque ex nostris *apponet*, habent, non *opponet*. *Apponitur* autem qui subornatur, ut Asconius in Ver. III. interpretatur. FR. FABRIT. Mihi verissima videtur Mureti conjectura: *nec quis contra asse liceatur, emtor apponet*. Sed audiendus ipse Muretus: His in verbis memini ab eruditis hominibus dubitatum esse, cur diceretur emtor neminem, qui contra se liceretur, appositurus. Certe enim solent interdum venditores in auctionibus licitatorem aliquem apponere, qui se emere velle simulet: & pluris liceatur ea, quæ venum exposita sunt, quam quanti sunt: ut eo modo ceteri emtores inducantur. Atque hoc sæpe fieri vidimus. Emtor autem cur, quæso, quemquam, qui contra se liceatur, apponat? Id enim si faciat, obstabit sibi: neque hoc dubium est, quin, qui emere aliquid vult, illud potius optare debeat, ut nemo, qui contra liceri velit, reperiatur. Quare si qui contra se liceatur apponat, non sibi consulet, sed venditori. Quid igitur est? Multa ab istis παραδιορθωταῖς allata sunt, quæ qui accurate refellere velit, ridiculus sit: ita sunt ridicula ipsa & levia. Peccatum hic est, ut & in aliis libris sæpe, & in Pandectis Florentinis sæpissime, ut semel tantum positæ sint litteræ, quas geminari oportebat. Legendum enim est, *qui contra asse liceatur*, id est, qui contra asse liceatur. Vt enim venditor dolose apponit, qui pluris liceantur, ita emtor qui minoris: ut sibi facilius res addicatur. Assem autem pro minimo pretio veteres sæpe dicebant; eoque nomine in rebus extenuandis, & abjiciendis utebantur. Socrates apud Varronem: *Asse vinum, asse pulmentarium*. Cato: *Quod non opus est, asse carum est*. In ludicro poemate: *Non assis faciunt, euntque recta*. Catullus: *Omnes unius æstimemus assis*. Horatius. *In trivii s fixum qui se demittit ob assem*. Persius: *Et centum Græcos curto centusse licetur*. *Asse* igitur *liceri*, est pretium rei extenuare & abjicere; quod qui faciat, si emtor apponat, improbe eum facturum Cicero putat. Hæc Muretus, quæ sunt certissima. Emtoris est liceri, si quis apponitur qui licetur contra emtorem, aut est lici-

plus, quam semel, eloquetur. Q. quidem Scævola, P. filius, cum postulasset, ut sibi fundus, cujus emtor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset, dixit, se pluris æstimare: addidit centum millia; nemo est, qui hoc boni

licitator qui servit venditori, & pretium rei auget, aut ipse cupit illam sibi addici. Dumnorix apud Cæsarem I. de Bello Gallico per plures annos portoria, reliquaque omnia Æduorum vectigalia parvo pretio redemta habuisse dicitur, *propterea, quod illo licente, contra liceri nemo audeat*. Ergo qui contra licentur, augent pretium, & efficiunt, ut carius vendatur aut conducatur. Sed emtor cum apponit in auctione, qui rem a venditore indicatam vilissimo pretio liceatur, tamquam res esset parvi æstimanda, is sane sæpe caussa est, ut minore pretio quid vendatur, cum multi persuadeantur, non tanti rem esse, quia tam vile pro ea pretium offeratur. GRÆV. *Licitator*, quem venditor apponit, hoc vult, ut res veniat quam plurimi: is vero, quem emtor apponit, ut *contra liceatur*, id eo animo facit, ut res minoris veniat. At quid velit *contra se liceri*? i e. contra emtorem: talem nemo sanus emtor apponit. Quo proposito ad rem sub hasta positam venit *licitator*, satis patet, quia hæc vox sensum augendi pretii semper habet: at *contra liceri* non solum de eo dicitur, qui pretium minuit; sed de eo etiam, qui auget. Vt apud Cæsarem de Bell. Gall. I. 18. Dumnorix dicitur, *complures annos portoria .... parvo pretio redemta habere, propterea quod illo licente, contra liceri audeat nemo*. Hinc patet non satis fuisse Ciceronem dicere *contra liceri*, nisi addidisset, cujus in gratiam & commodum ille appositus liceatur. Quid igitur faciendum est? Ejiciemus ne voculam *se*? at omnes MSi, uno Manutiano excepto, eam exhibent. An vero recipiemus conjecturam Mureti? Is legendum esse statuit, *nec, qui contra asse liceatur*: at in hac lectione est quod mihi non satis se probat. Esto enim, *asse* hic poni posse pro minimo pretio, quod Muretus dicit veteres fecisse, qui vero hic appositus proderit emtori? Ita parvi emere velle videtur, ut venditori non posset non esse suspectum, talem ab emtore illo appositum fuisse. Ars igitur hæc dici non possit, ubi Ars tam non celatur. Mihi quidem videtur Cicero potius scripsisse, *nec, qui contra a se liceatur* &c. *a se*, i. e. in commodum suum; quod pretio minore, quam par est, oblato fiat. Non insusitatus est Ciceroni hic usus præpositionis *a*. Sic enim in I. 13. de Orat. *Vide ne hoc, Scævola, totum sit a me*, i. e. *pro me*. Sic etiam proferri possunt ex Lexicis hæc Ciceroniana: *a se potius quam ab adversariis stare: a senatu stare: a se facere: a sententia stare*: in quibus omnibus præpositio *a* vim habet τȣ *pro*, notatque commodum ejus, ad quem respicit. Adde quod præpositio *a* facile e textu excidere potuit, *a* finali litera, præcedentis vocis *contra* absorpta. Vnum hoc jam monendus est lector (Anglicus præsertim), me invenisse in MSo Reg. quarto supra vocem *liceatur* scriptum inter lineas, *abrocetur*, & supra *licitatorem* etiam, *abrocatorem*. Hinc conjicere est, nostrum verbum *abroher* ex verbo *abrocator*, mediæ seu potius infimæ Latinitatis fœtu, suam originem duxisse. Si quis videre volet, quam nugari soleant in hac voce derivanda Etymologici, consulat *Shinneri* Etymolog. Ling. Anglicanæ. PEARCE.

Non plus quam semel eloquetur) Sensus est: Vterque indicabit quos nummos aut accepturus, aut daturus sit: & de ea re nulla alia verba faciet. Hoc est quod Cicero mox vocat, *fundum alicui semel indicare*. IDEM.

Addidit centum millia) Sc. æris, hoc est, mille philippeos, seu coronatos, unciales argenteos mille ducentos quinquaginta. GRÆV.

Vt si

bóni viri fuisse neget, sapientis, negant: ut si minoris, quam potuisset, vendidisset. Hæc igitur est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant: ex quo Ennius, *nequidquam sapere sapientem, qui sibi ipse prodesse non quiret*. Vere id quidem, si, quid esset prodesse, mihi cum Ennio conveniret. Hecatonem quidem Rhodium, discipulum Panætii, video in iis libris, quos de officiis scripsit Q. Tuberoni, dicere, Sapientis esse nihil contra mores, leges, instituta facientem, habere rationem

Vt si minoris, quam potuisset, vendidisset) Sententiam horum verborum non capio, nec ut conveniant iis, quæ præcedunt, video. Quis minoris vendit suum, quam potest, si in ejus manu ac potestate est vendendi facultas? Cicero hic loquitur de sapiente, hoc est suorum commodorum studioso emtore, non qualis fuerat Scævola, qui quidem vir bonus fuerit, sed secundum opinionem non vulgi modo, sed & plerorumque etiam doctorum, minime sapiens, qui non tam parvo fundum illum emerit pretio, quo potuisset. Hoc sane sententia Ciceronis postulat. In antiquis membranis nihil est opis hoc loco: Editio prima Moguntina: *ut si minoris, quam potuisset, emisset*; & sic quoque Veneta editio, cum notis Benedicti Brugnoli anni 1502. nisi quod pro *si* legatur in illa, *sic emisset* omnino ex iis reponendum. Censeo autem Ciceronem scripsisse: *ut minoris quidem, si potuisset, emisset*. Negant, inquit, sapientis emtoris esse plus dare, quam indicarat venditor: sed contra sapientis emtoris, hoc est ad rem suam attenti, esse etiam minoris emere fundum, si possit, quam erat indicatus. Hoc certe sensit Cicero. *Emisset* ex antiquis editionibus reposui. Reliqua propter consensum scriptorum & editorum librorum immutare non sustinui. GRÆV. *Vt* hic (quod monuit Erasmus) habet significationem exempli; confert enim factum cum facto. Opinor sensum loci hunc esse: Vt non sapientis esset (secundum illos), si ille vendidisset aliquem fundum suum minoris, quam potuisset: Emere majoris (ajunt) eadem est stultitia, quam minoris. Non igitur assentiendum est Grævio, qui putat Ciceronem scripsisse: *ut minoris quidem, si potuisset, emisset*. Vox *emisset* extat (fateor) in editionibus Mogunt. & Bened. Brugnoli; sed nulli MSi sunt; quod ex editorum silentio conjicias, in quibus ista vox reperitur. PEARCE.

Qui sibi ipse prodesse non quiret) Quidam libri, *non curet*; alii, *non quiret*; alii, *non quæreret*. Vide Victorium in Variis. Ennii versus, qui & hic, & in epistola quadam fractus & emollitus a Cicerone effertur, hujusmodi erat ex Medea:

. . . *Qui ipsus sibi*
Sapiens prodesse non quit, nec quidquam sapit. C. LANG.

Qui ipse sibi prodesse non quiret) Sic Ennium locutum esse Petrus Victorius Variarum lect. lib. XVI. cap. 8. admonet. Versus integer est ep. 6. lib. VII. ad Fam. *Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequidquam sapit*. Græcus extat epist. 15. lib. XIII. μισω σοφιστην, ὁστις ουχ αὑτῳ σοφος. FR. FABRIT. *Sibi ipse* reposui quoque meo secundo ceteris annuente. Vulgatæ pleræque, etiam Gruteri *sibi ipsi*: sed veteres maluisse sic loqui ut ex MSis reposui, non ut nunc corrupte, multis exemplis & ipse, & alii viri docti dudum ostenderunt. GRÆV.

Quos de officiis scripsit) Liber Vallis D. Lamberti, & Maguntiacensis, *de Officio*. Verisimile est περι καθηκοντος inscriptos. Nam sextum hoc ipso loco adducet Cicero: quo tamen loco omnes libri *de Officiis* C. LANG.

Sapientis esse nihil contra mores, leges, instituta facientem) Recte Cicero hoc

nem rei familiaris: neque enim solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeque reip. singulorum enim facultates & copiæ, divitiæ sunt civitatis. Huic Scævolæ factum, (de quo paullo ante dixi) placere nullo modo potest: etenim omnino tantum se negat facturum compendii sui causa, quod non liceat. Huic nec laus magna tribuenda, nec gratia est. Sed sive simulatio & dissimulatio dolus malus est; perpaucæ res sunt, in quibus dolus iste malus non versetur: sive vir bonus est is, qui prodest, quibus potest, nocet nemini, certe istum virum bonum non facile reperiemus. Numquam igitur est utile peccare, quia semper est turpe: &, quia semper est honestum, virum bonum esse, semper est utile.

16. Ac de jure quidem prædiorum sancitum est apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quæ nota essent venditori. Nam, cum ex XII. tabulis satis esset ea præstari, quæ essent lingua nuncupata, quæ qui inficia-

Hecatonis dictum reprehendit, tamquam quod adversetur sanctitati Stoicæ doctrinæ, quæ præcipiat, sapientem sibi ipsi legem esse. Non facit quidem quæ sunt contra leges, sed plura facit sapiens & vir bonus, quam legibus præscribitur, nec tamen negligit rem familiarem. Per leges licet mihi emere illo pretio, quo a venditore res indicatur. Vir bonus vero videns, emtorem pretium rei non nosse, ei significabit, rem istam majoris esse pretii, & carius vendendam, ut fecit Scævola, quod sapiens Hecatonis non fecisset; & hoc est quod in Hecatonis sententia Cicero improbat. Alioqui non est ut improbetur. Græv. Hinc, credo, illa Horatii salsa in Stoicos Romæ nonnullos, qui cum unici virtutis veræ satellites haberi vellent, fucum potius ipsi facerent, aut nervos succiderent. Epist. I. xvi. 40.

. . . . *Vir bonus est quis?*
Qui consulta patrum, qui leges juraque servat. &c. Chapman.

Huic Scævolæ factum) Duo MS. exemplaria habent: *Hujus factum, de quo* &c. alii: *hujus Scævolæ factum*. Et postea in iisdem scribitur: *Etenim omnino tantum se negat*. C. Lang.

Tantum se negat facturum compendii sui caussa) Quasi dicat eum dolum, quem leges non vindicant, licere interponere. Sed *angusta innocentia est ad legem bonum esse*, ut Seneca II. de Ira, 27. ait. I. Fr. Gronov.

Recte istum virum bonum non facile reperimus) Sic membranæ meæ, & aliorum; & sensus est, non facile istum Hecatonem reperiri virum bonum, sive doli mali definitione, sive sua natura accipiat vir bonus; *recte* ei est perfecte, absolute. Gulielm. Non hæc est sententia Ciceronis, nec scripsit. Retinenda est meliorum librorum & editionum lectio: *certe istum virum bonum non facile reperiemus*, qui scilicet prodest, quibus potest, nocet nemini. Græv.

Quæ essent lingua nuncupata) Verba legis XII. sunt apud Festum: *Cum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupasset, ita jus esto*. Er. Fabrit.

Dupli

ficiatus esset, dupli pœnam subiret: a jureconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta. Quidquid enim esset in prædio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere. Vt, cum in arce augurium augures acturi essent, jussissentque T. Claudium Centumalum, qui ædes in Cœlio monte habebat, demoliri ea, quorum altitudo officeret auspiciis: Claudius proscri-

Dupli pœnam) Idem statuit de servis, morbis occultis laborantibus Plato XI. de Legibus: *Quando quis servum vendidit phrenesi, vel calculo, vel stranguria, vel eo morbo, quem sacrum appellant, aut alia quavis occulta & longa, & ægre sanabili corporis sive mentis ægritudine laborantem, si medicus, aut gymnastes emerit, reddere non liceat. Sed nec quando venditor emtori cuivis veritatem prædixerit. Sin autem artifex aliquis hujusmodi rerum peritus ignaro, & rudi cuipiam aliquid vendidit, duplum pretii ejus, quo vendidit emtori, condemnatus persolvat. Quod si imperitus imperito vendidit, redhibitio fiat, & simplex pretium restituatur.* GRAEV.

Reticentiæ pœna) *Actio redhibitoria* hodie appellatur D. de ædilitio edicto. Sane vitia cum prædiorum, tum rerum aliarum in contractu reticenda non sunt. Sed extra contractum nulla humanitatis lege sum obstrictus, ad aperiendam alii aut rerum mearum conditionem, aut id, unde lucro aliquo fruar. Vide Hug. Grot. lib. II. c. 8. §. 7. & Sam. Pufendorffium lib. V. de Iure naturæ & gentium cap. 3. §. 3. IDEM.

In arce) Intelligit arcem Capitolinam, in qua solebant augures auguria captare, sive, ut hic loquitur, agere. Varro VI. de Latina Lingua: *In terreis dictum templum locus augurii aut auspicii caussa, quibusdam conceptis verbis finitus. Concipitur verbis non iisdem usquequaque. In arce ita: tescaque meta sunt.* Servius ad illa Virgilii VIII. Æn. *Ab arce: Quoniam vexillum in arce poni solebat, quod esset specimen imperati exercitus.* Festus: *Iusti dies dicebantur triginta, cum exercitus esset imperatus, & vexillum in arce positum.* De hac arce vide, quæ notavit Iustus Ryckius de Capitolio Romano cap. 5. & sequ. Arx ista vocabatur etiam *auguraculum* teste Festo. IDEM. De hac re vide, quæ dixit Val. Maximus in VIII. 2. PEARCE.

Augurium augures acturi essent) Sic est in editione Lambini, cum reliquæ omnes, & nostri manuscripti libri habeant, *acturi*; atque ita lib. I. de Divin. loquitur: *Ille augurio acto, posse respondit.* Centumali prænomen in omnibus libris Ciceronis est, *Titus*, pro quo Langius *Tiberium* reposuit; apud Valerium Maximum lib. VIII. cap. 2. prænomen nullum est. FR. FABRIT. Sic & Varro V. de Latin. *Augures agere augurium dicuntur, cum in eo plura dicant, quam faciant*; ut male Pighius hoc loquendi genus impugnet ad Valerium Maximum. I. FR. GRONOVIUS.

T. Claudium Centumalum) Prænomen Ti. in gente Claudia frequens; itaque Ti. scripsi. Centumali cognomen Fulviæ genti fuit; nescio an & Claudiæ. Nam apud Pomponium Iureconsultum lego, Ap. Claudium, eum, qui de Pyrrho sententiam dixit, Centumanum cognominatum; si non & hic ita legi debet: at L. Florus lib. II. agens de Viriatho: *Claudium Vnimanum*, inquit, *ad internecionem cecidit*; quod eodem modo refert Auctor de Viris Illustr. Videndum an non *Centho* pro *Centumalus* legendum sit: nam & in Livio alicubi *C. Claudius Centumalus* pro C. Claudius Centho scribi, videor meminisse. C. LANG.

Demoliri ea quorum altitudo) Sic legit Nonius in *Officere*, & *Demoliri*, unus MSus cum Manutianis habet, *Eas, quarum altitudo*, quod non placet; non enim ædes demoliri, sed altitudinem ædium summittere Claudium,

scripsit insulam, vendidit: emit P. Calpurnius Lanarius: huic ab auguribus illud idem denuntiatum est. Itaque Calpurnius cum demolitus esset, cognossetque, Claudium aedes postea proscripsisse, quam esset ab auguribus demoliri jussus, arbitrum illum adegit, quidquid sibi dare facere oporteret ex fide bona. M. Cato sententiam dixit, hujus nostri Catonis pater: ut enim ceteri ex patribus, sic hic, qui lumen illud progenuit, ex filio est nominandus. Is igitur judex ita pronuntiavit: cum in venundando rem eam scisset, & non pronuntiasset, emtori damnum praestari oportere. Igitur ad fidem bonam statuit pertinere, notum

dium, ut Valerius scribit, augures jusserunt. FR. FABRITIUS. Sic etiam MSi quinque mei cum multis aliis. PEARCE.

P. Culpurnius Lanarius) An est *Calpurnius Lanarius*, qui Livium Salviatorem Sertorii legatum in Hispania dolo necavit? quod refert in Sertorio Plutarchus. C. LANG.

Quam esset ab auguribus demoliri jussus) Vetus liber: *quam eas esset ab auguribus* &c. F. URSIN.

Arbitrum illum adegit) Sic pro Roscio Comoedo. *Cur non arbitrum pro socio adegeris?* Et in Topicis: *Adigere arbitrum finibus regundis, & aquae arcendae*. Saepe veteres praepositionem nomini ademtam, verbo addiderunt, ad Attic. I. *Hic tibi rostra Cato advolat*. Cor. Tacitus: *Advolvi genua, assidere moenia*. Arbiter autem antique pro *Praetore* capitur. Vide Festum, & Nonium. Valer. Max. lib. VIII. c. 2. ubi hanc historiam narrat mendosissimus est. Ego sic restituerim: *Catonis patrem arbitrum Claudio addixit. Quidquid sibi dare facere oporteret ex fide bona*. C. LANG. Arbiter est, qui aut honoris caussa deligebatur ab iis, qui controversiam habuerint, aut a praetore dabatur, ut non ex certa formula, quemadmodum judex, sed ex aequo & bono controversiam dirimeret. Vide (de discrimine *arbitri* & *judicis*, *arbitrii* & *judicii*) Orat. pro Rosc. Com. c. 4. 5. Val. Maximus, qui in VIII. 2. hanc historiam iisdem saepius verbis repetit, habet *arbitrum Claudio adduxit*: fortasse scripsit Cicero, *arbitrum illi adegit*: sc. fecit, ut ea res in judicium veniret, & ut arbiter Claudio constitueretur. Ita cum casu dativo hanc vocem adigere Cicero alibi usurpat. Nam in Topic. c. 10. occurrit: *Quia fines magis agrorum videntur esse, quam urbis, finibus regendis adigere arbitrum non possis*. PEARCE.

Proscripsit insulam) Domum, proposito libello, vendendam significavit. *Insulae* primum dicebantur urbanae domus, quae essent ab aliis separatae; proindeque ab incendiis tutiores; postea nomen ad eas quoque translatum est, quae cum vicinis conjungerentur. FACCIOLAT.

Quidquid sibi dare, facere &c.) Haec fuit formula juris, qua is, qui peteret, poscebat ut judex eum, a quo peteretur, obligaret ad ea ipsi danda & facienda, quae ex fide bona & dari & fieri oporteret. Nam ita Val. Maximus in loco supra citato: *Arbitrum Claudio adduxit, & formulam quidquid sibi dare, facere oporteret ex bona fide*. PEARCE.

Emtori damnum praestari debere) Hic locus apud Nonium sic vulgo legitur: *Auctorem indemnem damno praestare oportere*, quae lectio est tolerabilis; malim tamen, *emtorem indemnem damno praestare oportere*; vel potius, *auctorem emtori damnum praestare oportere*: C. LANG. *Emtorem damnum praestari* est venditorem aestimatione facta emtori dare oportere, quanti ejus intersit, ne ae-

notum esse emtori vitium, quod nosset venditor. Quod si recte judicavit, non recte frumentarius ille, non recte ædium pestilentium venditor tacuit: sed hujusmodi reticentiæ jure civili omnes comprehendi non possunt: quæ autem possunt, diligenter tenentur. M. Marius Gratidianus, propin-

ne ædes demolirentur. Apud Nonium puto legendum: *auctorem indemnem præstare debere*. Sic *indemnitatem præstare* in Dig. l. 8. de Magistratibus conveniendis. I. FR. GRONOV.

Notum esse emtori vitium) Cum hoc videatur dici non de eo, quod fuerit, sed quod fieri debuerit, fortassis legendum est, *notum ut esset emtori vitium* &c. PEARCE.

Tenentur) Servantur, ait Maturantius: eas jus civile continet: eæ in juris civilis libris notantur. IDEM.

M. Marius Gratidianus) In duobus libris *C. Marius* scribitur mendose. M. eum nominant. Hic M. Gratidii Arpinatis natura filius, cum prætor esset, Sullana proscriptione manu Catilinæ trucidatus est, effossis prius oculis, & præcisis manibus, ut refert Q. Tullius de Petit. consulatus, Valer. lib. IX. Asconius in toga candida, Plutarchus in Sulla, & Florus lib. IV. Sed adscribenda verba Senecæ III. de Ira: *M. Mario*, inquit, *cui vicatim populus statuas posuerat, cui thure & vino populus R. supplicabat, L. Sulla perfringi crura, erui oculos, amputari manus jussit, & quasi toties occideret, quotiens vulnerabat, paullatim & per singulos artus lacerabat. Quis erat hujus imperii minister? Quis nisi Catilina jam omne facinus manu exercens: sic illum ante bustum C. Catuli carpebat, gravissimus mitissimi viri cineribus, supra quos vir mali exempli, popularis tamen, & non tam immerito, quam nimis amatus, per stillicidia sanguinem dabat*. Quod enim Cicero appellat propinquum, ex III. de Legib. explicatur: *Avus quidem noster singulari virtute*, inquit, *in hoc municipio quoad vixit, restitit M. Gratidio, cujus in matrimonio sororem aviam nostram habebat, ferenti legem tabellariam: excitabat enim fluctus in simpulo, ut dicitur, Gratidius, quos postea filius ejus Marius in Ægeo excitavit mari, ac nostro quidem*. Ita Cicero: quem locum hic noster reddit illustriorem. Significat enim Gratidianum hominem, ut Asconius ait, summe popularem, Romæ ea ausum, quæ pater suus ante Arpini humili municipio. Fuit bis prætor: speravit & consulatum, ut Cicero postea dicet, & Plinius indicat lib. XXXIII. sed morte præventus est. Errant enim interpretes, & alii quidam docti viri, qui eum consulem factum credunt. Id de C. Marii septies consulis natura filio verum est; de hoc nostro falsum. Ille in magistratu Præneste se interfecit, ejusque caput Romam perlatum pro rostris positum est. *Gratidianus*, ut dixi, Romæ est interfectus, sed & caput hujus pro rostris figi Sulla voluit, ut Plutarchus, & Appianus testantur. Haud scio, an hujus Gratidiani filius fuerit, ad quem Ciceronis exstant epistolæ. Notandum quoque a L. Floro scribi, hunc Marcum Marii junioris fratrem fuisse; quod nescio, quo modo se habet. Nam scribitur a Cicerone in Bruto, eum a C. Fimbria fuisse adoptatum, qui locus sane quam mihi suspectus est: conjecturæ sint. Mihi satis erit fortassis viam aperuisse aliis. M. Marii mentio est in Gracchi oratione apud Gellium; ut fortassis ille C. Marii septies consulis patruus credi possit, hujusque Gratidiani pater adoptivus. Sed hæc neque cum Floro, neque cum loco illo in Bruto conveniunt. CAR. LANG. Subtiliter & perquam accurate de hoc M. Mario Gratidiano disputat Iacobus Perizonius, vir summo ingenio, & doctrina, in Animadversionum Historicarum cap. 3. ostenditque valde probabiliter, eum fuisse M. Gratidii, qui cum M. Antonio Prætore 651. in Ciliciam contra piratas profectus ibi interierit, filium naturalem,

propinquus noſter, C. Sergio Oratæ vendiderat ædes eas, quas ab eodem ipſe paucis ante annis emerat: hæ Sergio ſerviebant: ſed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in judicium eſt. Oratam Craſſus, Gratidianum defen-

lem, adoptatum autem a M. quodam Mario, C. Marii ſepties Conſulis fratre, & ita factum adoptione C. Marii Iunioris fratrem patruelem. Male vocari ab Appiano, & Plinio *Caium Marium*, cum a M. & Q. Cicerone, Salluſtio, Seneca, Valerio Max. Aſconio, Oroſio, aliis *Marcus Marius Gratidianus* appelletur. Conſtare ex Appiano, præter illuſtrem illum Marium, ſepties Conſulem, duos alios fuiſſe, quorum alterum ille filium ejus dicat, alterum fratris filium: nullum autem alium illis temporibus reperiri Marium, præter hos tres, Marium patrem ſepties Conſulem, Marium filium ejus, & hunc Marium Gratidianum. Cumque is, quem Appianus ſcribat, Conſulem fuiſſe anno 671. & ἀδελφιδὸν ſenioris Marii vocet, faſti autem Cuſpiniani diſerte Gratidianum appellent, colligi ſatis probabili argumento, illum Appiani alterum Caium Marium, quem illuſtris Marii fratris filium fuiſſe dicat, quemque alii M. Marium Gratidianum appellent, adoptatum fuiſſe a C. Marii majoris fratre nobis ignoto, perque iſtam adoptionem habitum, atque appellatum fuiſſe Marii Majoris ἀδελφιδὸν, fratrem vero, ſed patruelem Marii minoris. Sed vide viri inſignis & mihi conjunctiſſimi doctiſſimas illas Obſervationes, ubi pluribus hæc adſtruit, & hominum eruditorum errores redarguit, ſimulque fontes errorum illorum, ut multorum aliorum aperit. GRÆV.

Propinquus noſter) Avus Ciceronis (vide de Leg. III. 16.) in matrimonio habuit ſororem M. Gratidii, cujus filius erat hic M. Marius Gratidianus (Brut. c. 45.) ducto (ut videtur Cl. Chapmanno) Marii nomine a patre adoptivo Mario, celeberrimi C. Marii fratre. PEARCE.

C. Sergio Oratæ) Is eſt plane, qui in I. 39. de Orat. *Aurata* dicitur: *Nuper* (ibi ait Craſſus) *cum ego C. Sergii Auratæ contra hunc noſtrum Antonium judicio privato cauſſam defenderem, nonne omnis noſtra in jure verſata defenſio eſt? Cum enim Marius Gratidianus ædes Auratæ vendidiſſet, neque ſervire quamdam earum ædium partem in mancipii lege dixiſſet; defendebamus, quidquid fuiſſet incommodi in mancipio, id ſi venditor ſciſſet, neque declaraſſet, præſtare debere*. Neque mirum quidquam, aut mutandum in Sergii nomine, quamvis hîc *Aurata*, illic idem *Orata* nuncupetur; nam eodem prorſus redeunt duo iſta cognomina, & utrumque ab eadem re tractum. Feſtus: *Orata genus piſcis appellabatur a colore auri, quod ruſtici Orum dicebant . . . . Itaque Sergium quoque quemdam prædivitem, quod & duobus annulis aureis & grandibus uteretur, Oratam dicunt eſſe appellatum*. Macrobius Sat. II. 11. *Sergius Orata cognominatus eſt, quod ei piſces, qui Auratæ vocantur, cariſſimi fuerint*. Hæc ille ex Varr. de Re Ruſt. III. 3. ubi eadem fere traduntur: unde porro Columella VIII. 16. *Sergius Orata*, inquit, *& Licinius Muræna captorum piſcium lætabantur vocabulis*. Conf. Plinium Hiſt. Nat. IX. 79. edit. Hard. & Val. Maximum IX. 1. qui omnes eum *Oratam* vocant, ut Cicero hîc, & II. 22. de Fin. Ita nempe ex veteri uſu & vulgi conſuetudine. At in Craſſi ore elegantius longe fuit *Aurata*, qui nempe cum ea ætate, qua primo cognomen iſtud Sergio erat inditum, floruiſſet, ita eum indigitare debuerat, qualis utique in judicio ſeu foro apud actores accurate deſignaretur. CHAPMAN.

Hæ Sergio ſerviebant) Servitutes ædium hæ ſunt, ut vicinus onera vicini ſuſtineat, ut in parietes ejus liceat vicino lignum immittere, aut ſtillicidium vel flumen recipiat quis in ædes ſuas vel cloacam, vel in aream, vel non recipiat; & ne altius tollat quis ædes ſuas, ne luminibus vicini officiat. P. MARSVS. Notandum autem

defendebat Antonius; jus Craffus urgebat: quod vitii venditor non dixiffet fciens, id oportere præftari; æquitatem Antonius: quoniam id vitium ignotum Sergio non fuiffet, qui illas ædes vendidiffet, nihil fuiffe neceffe dici: nec eum effe deceptum, qui id, quod emerat, quo jure effet, teneret. Quorfum hæc? ut illud intelligas, non placuiffe majoribus noftris aftutos.

17. Sed aliter leges, aliter philofophi tollunt aftutias: leges,

autem videtur, non totas illas ædes Sergio ferviiffe, fed earum partem folum: ita enim Cicero, hoc ipfum narrans in I. 39. de Orat. *Neque fervire quamdam earum ædium partem in mancipii lege dixiffet*. Notandum etiam eft, quod hîc vocatur *in mancipio*, id ibi vocari pleniore modo *in lege mancipii*. Verba *in mancipio* fic explicat Manutius, in ædium dominio transferendo, cedendoque. Vide meas notas in I. 39. de Orat. de fenfu vocis *fervire*, & *mancipium*. Doctiffimus vir Fr. Sayus notavit mendam quamdam in voce *Sergio* latere: & mihi iterum locum expendenti eadem fententia eft. Video enim Ciceronem in I. 39. de Orat. ubi hanc ipfam cauffam memorat, dicere, *neque fervire quamdam earum ædium partem in mancipii lege dixiffet*, non addito nomine *Sergio*. Neque putandum eft, eas ædes ferviiffe illi Sergio, qui eas Mario vendiderat, fed alii cuidam Romano. In MSo Reg. fec. fupra vocem *Sergio* fcribitur *cuidam alii*. Fortaffe fcripfit Cicero *Servio*, vel *Seio*, de quo vide II. 17. ubi MSi quidam pro *Seio* habent *Sergio* errore exfcriptorum. Quamquam potius puto Ciceronem neminem hîc (quod item fecit in I. 39. de Orat.) nominaffe, cui iftæ ædes ferviebant. PEARCE.

Quod vitii) Sic dicimus, *id loci*, *id morum*. Alii, *quod vitium*. CAR. LANG.

Nec eum effe deceptum, qui id, quod emerat, quo jure effet, teneret) Nimirum hoc ipfum eft quod Vlpianus ait l. 1. §. 1. D. de act. emt. *Non videtur effe celatus, qui fcivit: neque certiorari debuit, qui non ignoravit*. Egregium eft in hanc rem illud Horatii lib. II. ep. 2. ubi inducit mangonem, qui mancipium erat alteri venditurus, cum poft ejus enumeratas virtutes hoc quoque addidiffet:

---- Semel hic ceffavit, &, ut fit,
In fcalis latuit, metuens pendentis habenæ.
Des nummos, excepta nihil te fi fuga lædat.
Ille feret pretium pœnæ fecurus, opinor,
Prudens emifti vitiofum: dicta tibi eft lex.

Eodem pertinet fententia Marii apud Plutarchum in Mario, & Valer. Max. VIII. 2. *Fannia in matrimonio fuerat cum Tinnio, quæ cum divortio facto dotem, quæ lauta erat, repetebat, ille adulterium ei objecit, ac cauffa ad Marium Confulem delata eft. Ea in judicio agitata, cum Fanniam conftaret impudicam fuiffe, & virum, qui talem fciret effe, eam duxiffe, diuque cum ea in matrimonio vixiffe, ambos improbavit, virumque juffit dotem ei reftituere, mulieri infamiæ damnatæ quatuor affes multam dixit*. Hæc debentur Samueli Pufendorffio V. de Iure Nat. Gent. c. 3. ubi vide plura. GRAV.

Quorfus hæc) Sic ex fuis MSis edidit Langius, itaque in duobus ex noftris legitur. FR. FABRIT. Sic & Græv. fecundus, nec paucis aliis in locis libri veteres, legunt *quorfus*, nimirum ut *rurfus*, *prorfus*. GRÆV.

Non placuiffe majoribus noftris aftus) Nonnulli ex libris veteribus noftris habent, *aftutos*, pro, *aftus*. LAMBIN. Et fic Victorius edidit, & Gruterus, adftipulatur Grævii fecundus. GRÆVIUS.

Aliter Philofophi tollunt aftutias) Veriffi-

leges, quatenus manu tenere possunt; philosophi, quatenus ratione & intelligentia. Ratio igitur postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter. Sunt ne igitur insidiæ, tendere plagas, etiam si excitaturus non sis, nec agitaturus? ipsæ enim feræ nullo insequente sæpe incidunt; sic tu ædes proscribas, tabulam tamquam plagam ponas, domum propter vitia vendas; in eam aliquis incurrat imprudens. Hoc quamquam video propter depravationem consuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege sanciri, aut jure civili, tamen naturæ lege sanctum est; societas enim est, (quod etsi sæpe dictum est, dicendum tamen est sæpius) latissime quidem quæ pateat, hominum inter homines; interior eorum, qui ejusdem generis sunt; propior eorum, qui ejusdem civitatis. Itaque majores aliud jus gentium, aliud jus civile esse voluerunt; quod civile, non idem continuo gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet. Sed nos veri juris, germanæque justitiæ solidam & expressam effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur: eas ipsas utinam sequeremur! Feruntur enim ex optimis natu-

rissime. Seneca I. de Ira 27. *Quam angusta innocentia est ad legem bonum esse? Quanto latius officiorum patet, quam juris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt? quæ omnia extra publicas tabulas sunt*. Nam *quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor*, ut recte Seneca in Agamemnone. Quo in loco pudor non tam hominum & famæ, quam æqui, & boni, aut certe ejus, quod æquius melius est, respectum significat. H. Grotius III. de Iure Belli & Pacis c.9. ubi vide plura. Idem.

Leges quatenus manu tenere possunt) Corrupte hic inserta erat dictio, *res*. Sic in Bruto: *Cum indicia mortis se comperisse manifesto, & manu tenere diceret*. C. Lang. *Quatenus tenere manu possunt*) In vulgatis libris additur vox, *res*, quam abesse a libris antiquis Balduinus, Victorius, & Camerarius jampridem testati sunt. Manu autem teneri dicitur, quod ita est in promtu, & ante oculos positum, ut nullo negotio comprehendatur. Fr. Fabrit. Leges dicuntur *manu tenere*, ubi fraus nimis manifesta est, ut ex factis a judice possit convinci; aut cum modum excedit; nam minima non curat prætor. Exempli gratia, cum leges puniunt iniquitatem venditoris, si emtor inductus est, ut emerit quid tanto pretio, quod dimidium justi excederet, cum Philosophia sciscat, etiam minima, si de pretio erratum sit, esse resarcienda. Vide Grotium II. de Iure Belli & Pacis cap. 12. Græv.

Etiam si excitaturus non sis) MSi tres Oxonienses cum Reg. tert. habent *non sis bestiam*: at Mert. pr. *non sis feras*. Hanc posteriorem lectionem probo, censeoque vocem *feræ* in sequentibus delendam esse: ubi etiam Lambinus ex conjectura legit, *sæpe in eas incidunt*. Pearce.

Sic tu ædes proscribas) Ita vulgo: sed MSi Lameth. & Reg. tertius habent: *Sic si tu ædes proscribas*. Idem.

Ex

naturæ, & veritatis exemplis. Nam quanti verba illa, VTI NE PROPTER TE, FIDEMVE TVAM CAPTVS, FRAVDATVS VE SIEM? quam illa aurea? VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, ET SINE FRAVDATIONE? Sed, qui ſint *boni*, & quid ſit, *bene agi*, magna quæſtio eſt. Qu. quidem Scævola, pontifex max. ſummam vim dicebat eſſe in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur, EX FIDE BONA: fideique bonæ nomen exiſtimabat manare latiſſime, idque verſari in tutelis, ſocietatibus, fiduciis, mandatis, rebus emtis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ ſocietas continetur: in his magni eſſe judicis, ſtatuere (præſertim cum in pleriſque eſſent judicia contraria) quid quemque cuique præſtare oporteret. Quocirca aſtutiæ tollendæ ſunt, eaque malitia, quæ vult illa quidem videri ſe eſſe prudentiam, ſed abeſt ab ea diſtatque plurimum. Prudentia eſt enim locata in delectu bonorum, & malorum: malitia (ſi omnia, quæ turpia ſunt, mala ſunt) mala bonis ponit ante. Nec vero in prædiis ſolum jus civile, ductum a natura, malitiam fraudemque vindicat, ſed etiam in mancipiorum venditione fraus venditoris omnis

Ex optimis naturæ principiis) *Principiis* abeſt a tribus libris ſcriptis, & impreſſo Victoriano. Lactantius quoque lib. VI. cap. 6. legit: *feruntur enim ex optimis naturæ ac veritatis exemplis*: ut habent duo libri manuſcripti. FR. FABRIT. Vox *principiis* hæret edit. Manutii, & Lambini, & neceſſaria ſenſui videtur. Quæ enim, quæſo, ſunt *exempla naturæ*? Equidem non video: ſed bene dicitur *principia naturæ*, ut in c. 12. *Et ea habeas principia naturæ, quibus parere, & ſequi debeas*. Nec deeſt vox *principiis* in nonnullis MSis tum Ciceronis, tum Lactantii, qui hunc locum citat. PEARCE.

Et quid ſit bene agi) *Agier* eſt in manuſcripto. F. URSIN.

In omnibus iis arbitriis.) Hoc eſt, in actionibus illis arbitrariis, quæ ab arbitrio & poteſtate judicantis pendent, qui non ex natura rei, ſed ex accidenti rem æſtimat. GRÆV.

Fiduciis) Hoc eſt, pignoribus, ſeu hypothecis; vide ſuperius ad cap. 15. hujus libri. IDEM.

Mandatis) Paradoxon videtur, mandati eſſe obligationem. Nam ſi mandatum niſi gratuitum nullum eſt, originemque ex officio atque amicitia trahit, neque quiſquam invitus ad mandatum ſuſcipiendum compelli poteſt, quia nemo ad benefaciendum invitus cogi poteſt, niſi forte obligationem faciat ſpontanea ſuſceptio. Vi. de tit. mandati lib. XVII. D. & Platonis librum de Legibus XII. & Gellium lib. I. cap. 13. BETULEIUS.

In pleriſque eſſent judicia contraria) Hoc eſt, præſertim cum plerique homines aliter judicant: vel (ut aliis placet) cum in pleriſque arbitriis judicia eſſent ſibi contraria; his arbitris uno modo, illis plane diverſo de re conſimili ſtatuentibus. PEARCE.

Mala bonis anteponit) In vetuſt. V. codicibus, *ponit ante*, ſcribitur. Sic Teren. I. præ. C. LANG. *Mala bonis anteponit*) Noſtri libri, ut & Langiani habent, *ponit ante*. LAMB. Sic & Grævii

mnis excluditur; qui enim scire debuit, de sanitate, de fuga, de furtis, præstat edicto Ædilium. Heredum alia causa est. Ex quo intelligitur, quoniam juris natura fons sit, hoc secundum naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius prædetur inscientia. Nec ulla pernicies vitæ major inveniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiæ: ex quo ista innumerabilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare videantur. Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate, & ignoratione omnium proposita, abstinere possit injuria?

18. Periclitemur, si placet, in iis quidem exemplis, in quibus peccari vulgus hominum fortasse non putat. Neque enim de sicariis, veneficis, testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est: qui non verbis sunt, & disputatione philosophorum, sed vinculis & car-

vii secundus. Grev.

Qui enim scire debuit) Sc. venditor, cui ignotum esse non potuit, an mancipium morbosum esset, an fugæ furtisque deditum, cogitur edicto Ædilium id vitium præstare emtori, quod reticuerat. Pearce.

De sanitate) Scholiastes Horatii ad II. Sat. 3. *Mentem nisi litigiosus exciperet dominus: sumtum est hoc argumentum a dominis mancipia vendentibus, quorum omnia vitia sibi cognita, tam animi, quam corporis debeat aperire emtori, nisi postea litigare vellet propter celatum vitium.* Vide & Gellium lib. IV. 2. Sed servorum, qui pileati vendebantur, nomine nihil præstari solitum docet idem Gellius VII. 4. Grev.

De fuga) Solebat majoris cautionis ergo edici: *furem non esse, fugitivum non esse*. l. si ita quis. D. de evictionibus. l. cum in venditione & l. Lucius §. ult. l. evicta re §. ult. l. si emtor. l. si ita quis; l. quia dicitur. D. ibidem; l. quoties D. si familia furtum fecisse dicatur; l. exemto §. venditorem D. de act. emti. Varro I. de Re Rustica. Seneca controversia III. 2. Marculfus formula 132. 133. H. Grot. vide & Lactantium lib. V. cap. 17. Idem.

Præstat edicto ædilium) Vide Gellium IV. 2. Idem.

Heredum alia causa est) H. e. heredes in vendendis bonis defuncti, non coguntur sarcire aut præstare, si quid vitiosi sit in mancipiis, aut aliis rebus, quas vendunt, quia creduntur ignorare vitia. Idem.

Hoc secundum naturam esse) De hoc Vlpianus alicubi præclare: *Contra naturam est, aliquem ex aliquo incommodo suum commodum comparare*. Ratio est, quia natura dictitat, proximo cuique idem faciendum esse, quod sibi quisque fieri velit. Betvleivs.

Simulatio intelligentiæ) Hoc non dicitur de eo, qui se simulat esse intelligentem, cum non sit; sed de eo, qui, quod malus facit, vult videri in eo se esse intelligentem. Eodem sensu dicitur *simulatio prudentiæ*, in c. 25. quam Cicero ibi sic explicat, *cum prudentiam vult imitari malitia*. Pearce.

Pugnare videantur) Pro *videantur* libri quidam manuscripti habent *dicantur*. C. Lang.

Ignoratione omnium) Sc. proposito, ut omnes id, quod fecerit, ignorent. De hoc vocis *ignoratio* sensu vide notam meam ad II. 13. Pearce.

Testamentariis) Sc. iis, qui falsa testamenta conficiunt & supponunt. Ita vox hæc significat etiam in Orat. pro Sextio c. 17. Idem.

Sed vinculis & carcere fatigandi) Cum libri

& carcere fatigandi; sed hæc consideremus, quæ faciunt ii, qui habentur boni. L. Minutii Basili, locupletis hominis, falsum testamentum quidam e Græcia Romam attulerunt: quod quo facilius obtinerent, scripserunt heredes secum M. Crassum, & Q. Hortensium, homines ejusdem ætatis potentissimos: qui, cum illud falsum esse suspicarentur, sibi autem nullius essent conscii culpæ, alieni facinoris munusculum non repudiaverunt. Quid ergo? satin' hoc est, ut non deliquisse videantur? mihi quidem non

libri nostri veteres omnes habeant, *& carcere fatigandi*, quo modo & Langiani, sic legendum censeo; quamvis vulgata lectio, *sed vinculis & carcere castigandi*, non sit rejicienda. LAMBIN. *Carcere fatigandi*) In quibusdam vulgatis legitur, *castigandi*; sed *fatigandi*, in vetustis recte legi, Nonius ostendit, qui hoc loco adducto scribit, *fatigare* esse cohibere, comprimere. FR. FABRIT.

L. Minutii Basili) Male, *Basilii*, legebatur. Est enim *Basilus* cognomen Minuciorum, quod cum ex hoc loco, tum ex Appiani lib. III. de Bello Civili apparet, ubi *Minucium Basilum* virum prætorium unum de Cæsaris interfectoribus numerat, qui sesquianno post Cæsarem interemtum a servo suo interfectus sit. Meminit & Florus lib. IV. & Dion. Videndum, an hic ipse L. Basilus sit, quem Sullæ præfectum Plutarch. tradit fuisse, cum urbem occuparet. Extant & Ciceronis epistolæ ad Basilum lib. VI. Familiarium, qui cum Bruto in Cæsarem conjuravit. C. LANG. *L. Minucii Basili*) De hoc cognomine gentis Minuciæ vide quæ scripsimus in cap. 18. lib VI. Orosii, ubi etsi Basillum ex libris vetustis, & Appiano probavi; nunc tamen Basilum malo. Sic enim Iuvenalis I. *Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus pupillos*. Et Lucanus lib. IV. Et *Basilum videre ducem*. FR. FABRIT.

Quod quo facilius obtinerent) *Obtinere* hic idem est, quod efficere, ut ratum esset illud falsum testamentum: eodem fere modo, quo *obtinere caussam* aliquis dicitur, cum ea judicum sententiis comprobetur. PEARCE.

Heredes secum) Hæ duæ voces, *heredes secum*, in quibusdam libris desunt; & credo adulterinas. C. LANG.

Homines ejusdem civitatis potentissimos) Omnes libri veteres habent, *homines ejusdem ætatis potentissimos*: quod probo. LAMBIN. *Homines ejusdem civitatis*) *Ætatis* legitur in duobus manuscriptis, itaque Langius edidit. FR. FABRIT. MSi sex mei & omnes Oxonienses, duobus exceptis, habent *ejusdem ætatis*. Victorius vero, aliique etiam ex MSis ediderunt *ejusdem civitatis*, quod non probo; quamvis huic lectioni suffragari videatur Val. Maximus, cum hanc historiam memorans in IX. 4. dicit *potentissimos nostræ civitatis viros*. Nam nemini Romano tum temporis, præsertim Ciceronis filio, ignotum esse potuit, Crassum, & Hortensium fuisse *ejusdem civitatis* (SC. Romæ) *potentissimos*. *Ejusdem ætatis* homines sunt ii, qui *æquales* esse dicuntur, quia una floruerunt. Hoc Crasso & Hortensio accidisse Cicero alibi dicit. Nam de Hortensio in Bruto c. 64. sic scribit: *Hoc loco voluimus ætatem ejus in disparem oratorum ætatem includere . . . in eorum, quos in Sulpicii ætate posui, numerum facile pervenerat: & suos inter æquales M. Pisonem, M. Crassum, Cn. Lentulum longe præstitit*. PEARCE.

Mihi quidem non videtur) Merito. Nam jus naturæ præcipit, ut rem alienam, quam quis in sua potestate habet, reddat domino; nec enim sine scelere retineri potest. Vide H. Grotium II. de Iure Belli & Pacis cap. 10. §. 1. & ejusdem libri cap. 21. §. 1. GRÆV.

Quam-

non videtur; quamquam alterum amavi vivum, alterum non odi mortuum. Sed cum Basilus M. Satrium, sororis filium, nomen suum ferre voluisset, eumque fecisset heredem: hunc, ait, dico patronum agri Piceni, & Sabini:

Quamquam alterum) Hoc de illis dico; in hoc illos deliquisse mihi videri affirmo, quamquam alterum amavi vivum &c. Hæc est hoc in loco vis vocis *quamquam*. PEARCE.

M. Satrium) Male, *Satirium*, legebatur contra veteres libros. Satria familia Romana est, quam T. Pomponium Atticum aliquo modo attigisse ex Suetonio satis liquet, libro de Grammaticis; ut fortassis hic Cicero non nihil privatim motus sit, de cujus gente hic ipse Satrius fuerit. Huc etiam forte spectet, quod primo ad Attic. scribitur, Cæcilium Attici avunculum a Caninio Satrio in nescio qua hereditate fraudatum; quamquam locus mendo non careat. Nam vel *Caninio*, vel *C. Annio Satrieno*, vel *C. Satrio* legendum videtur ex ratione nominum Romanorum. C. LANG. Basilus (ut mihi quidem videtur) testamento quodam M. Satrium, sororis suæ filium, nomen suum ferre voluerat, & his insuper verbis usus fuerat: *hunc dico patronum agri Piceni & Sabini*; quibus vellet Satrium facere heredem suum, eique dare illum agrum, quem habuit inter Picenos, & Sabinos. At post mortem Basili, cum in manus quorumdam forte venerit hoc testamentum, viderentque illi Basilum non ipsissimis verbis scripsisse Satrium heredem, quædam verba in illud testamentum inseruerunt (unde *falsum* erat testamentum), quibus se heredes scripserint, una cum Crasso & Hortensio. Cum vero de hoc testamento lis esset, Crassus & Hortensius contendebant, nihil aliud ex istis Basili verbis concludi potuisse, quam *nomen* patroni agri Piceni & Sabini ad Satrium pervenisse; hereditatem non item. Quod si hereditas illa hac vera testamenti parte non esset Satrio aut alii cui data, dicebant illa altera (sc. ficta) parte hereditatem ad se ceterosque scriptos heredes jure pervenisse. PEARCE.

Nomen suum ferre) Sic Suetonius in Augusto: *Heredes instituit primos Tiberium ex parte dimidia & sextante, Liviam ex parte tertia: quos & ferre nomen suum jussit*. Et in testamento antiquo L. Cuspidii: *Agros, domumque relinquo consobrinis, & L. precipue, quod is nomen ferat nostrum*. Fert igitur nomen, qui est διαδοχος τȣ ονοματος, ut loquitur Dio initio libro XLV. FR. FABRIT.

Hunc dico patronum agri Piceni & Sabini) *Hunc dico patronum*; quidam libri habent, alii, *hunc ait, dico patronum*, quos secutus sum. Sunt enim verba ex Minucii testamento. *Patronus* autem honoris dumtaxat appellatio est, & ad clientelas pertinens. Sic supra lib. I. *Et ii qui civitates, aut nationes bello devictas in fidem recepissent, earum patroni essent more majorum*. Livius lib. IX. *Antiatibus quoque qui se sine legibus certis, sine magistratibus agere querebantur, dati ab Senatu ad jura statuenda ipsius coloniæ patroni*. Et in antiquis monumentis sæpe legitur, Tibure, Patavii, Interamnæ, *Patrono municipii*: Tridenti, & alibi, *Patrono coloniæ*. Sic Tullii Locrensium: iidem, & Marcelli Siculorum fuere patroni. Sic M Bruti clientes *Transpadanos* vocat XII. epistolarum. Et ad Attic. VI. *M. Cato*, inquit, *Cypriorum patronus more majorum*. C. LANG. Vulgo, *hunc, ait, dico &c.* Sed vox *ait* abest a MSis tribus Regiis, Mead. duobus, & plerisque Oxoniens. Nec illa opus est. Subintellige *his verbis usus*, vel *hac formula*. Patronus agri hic idem videtur significare, quod Dominus agri. Vide quæ Fabrus in suo Thesauro Erud. Scholast. (v. *Patronus*) ex Hieronymo citavit. Et in Martinii Lex. Philol. dicitur *Patronus*, dominus feudi, senior, a quo vasallus beneficium accipit. An hoc sensu diceretur *patronus agri* in Basili temporibus, videant ii, qui scientia juris civilis Romani satis

ni: (o turpem notam temporum illorum!) num erat æquum, principes civis rem habere, ad Satrium nihil præter nomen pervenire? Etenim, si is, qui non defendit injuriam, neque propulsat a suis, cum potest, injuste facit, ut in primo libro disserui: qualis habendus est is, qui non modo non repellit, sed etiam adjuvat injuriam? Mihi quidem etiam veræ hereditates non honestæ videntur, si sint malitiosis blanditiis officiorum, non veritate, sed simulatione quæsitæ. Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum videri solet. Falso: nam eadem utilitatis, quæ honestatis est regula: qui hoc non perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans: *Est istuc quidem honestum, verum hoc expedit*; res a natura copulatas audebit errore divellere: qui fons est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium.

19. Itaque si vir bonus habeat hanc vim, ut, si digitis concrepuerit, possit in locupletium testamenta nomen ejus

satis instructi sunt. PEARCE.

Non erat æquum) *Num erat æquum*, liber vetus. F. URSIN.

Principes civis) Libri Memmiani habent, *principes civis*. Quam scripturam si probabimus (non video autem cur improbemus) *civis*, scilicet accusandi casus erit, numeri multitudinis. LAMBIN. *Principes civitatis*) Victorius edidit, *Principes civis*, quo modo esse in libris Memmianis Lambinus testatur, & ego in meis omnibus invenio. Est autem *civis* hic accusativus pluralis. F. FABRIT.

Si sint malitiosis blanditiis) Heredipetas damnat, quos exagitant Satyrici multis in locis. GRÆV. Id est, a malo animo profectis. Vide Not. ad III. 14. PEARCE.

Simulatione quæsitæ) Recte in libris vet. *adquisitæ*, scriptum est. Nam *adquirere*, augere est; ut II. Invectiva: *Tu agris, tu ædificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus & copiosus sis, & dubites de possessione detrahere, adquirere ad fidem*. Sic, *adlaborare*, dixit Horat. pro eo quod est, novo labore adjicere. Cum autem hic legeretur, *non veritate, sed simulatione adquisitæ*, expunxi duas voces *sed simulatione*, ut adulterinas, contra tamen vet. libros. Audacior aliquis etiam duas proxime præcedentes lege Papia expelleret. Dubitavi quoque, an pro *veræ*, rectius *vero* legeretur adverbium. *Sed simulatione*, habeo vehementer suspectas. C. LANG.

Qui fons est fraudium) Sic Philipp. II. *Mearum laudium*. C. LANG. *Qui fons est fraudium*) Sic est legendum: & ita habent libri veteres omnes. LAMBIN. *Qui fons est fraudium*) Sic est quoque in nostris manuscriptis, ut & de suis Langius, & Lambinus affirmant. FR. FABRIT.

Ut si digitis concrepuerit) Nihil hoc est aliud, quam nullo negotio, facillime; pro quo paullo post dicit *digitorum percussione*. Sunt locutiones quæ nihil faciunt ad turpitudinem, aut ad honestatem. Sic dicebant *ad digiti crepitum præsto esse*, sive præsto sis ad rem bonam, sive ad malam, aut turpem. Sic & in sequentibus *saltaret in foro*, nil aliud est, quam faceret aliquid, quod se aut quemvis gravem hominem

ejus irrepere, ac vi non utatur, ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem umquam suspicaturum. At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui re vera non esset heres, in foro, mihi crede, saltaret: homo autem justus, isque quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is se, quid sit vir bonus, nescire fateatur. At vero si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere, jam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit, quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus injuria. Quid ergo? hic non noceat,

nem aut pudentem maxime dedeceret. Nihil hoc quoque pertinet ad id, quod est turpe sive natura, sive opinione. Neque hîc agitur de perfecto sapiente Stoico, sed de viro bono, cui opponit Crassum hominem avarissimum, quem etiam perdidit avaritia. Is nihil, inquit, pensi haberet, & faceret palam etiam indignissima viro bono, & gravi, si modo possit augere suas facultates, & efficere quocumque modo supposititio, ut heres scribatur hominis opulenti, sicuti ex testamento Minutii Basili contra jus, & fas, & officium viri boni partem bonorum acceperat. Hoc non tantum non faceret sapiens Stoicus, sed nec vir quilibet bonus. De talibus enim casibus loquitur hic Cicero. Non repudianda existimet legata hominum divitum, virtute parta, sive veras hereditates, ut loquitur capite præcedente, sed malitiosis blanditiis quæsitas. Hæc non notassem, nisi immerito barbam vellii Tullio & hic, & nonnumquam alibi viderem. Græv.

At si dares) Quidam libri *adderes*, alii *at dares*. Utrumque elegans. Quod autem sequitur: *in foro, mihi crede, saltaret*, hoc est, rem viro gravi etiam indignissimam faceret, & utile cuivis decoro præponeret. Nam de saltatione histrionica vel artificiosa loquitur, quæ ad cantum fit: id quod ex sequentibus palam fiet, ubi de controversiis Stoicorum disputat. Hoc volui adnotare, ne quis *saltare* pro *gaudio exultare* capiat, ut video, doctissimum virum fecisse. C. Lang. *At dares*) *Dares*, infinite usurpatur, pro, *si quis daret*, ubi nihil opus est particula, *si*, quæ in vulgatis additur. F. Fabrit.

Animi sui complicatam notionem evolvere) Recte Manutius exponit, & clarius ὁ πάνυ Gronovius, id quod animo insitum est & innatum, & si obscurius & involutum, meditando acuere & penitus recognoscere: id respicere, quod mens ipsa, si excutiatur, & conscientia dictitat. IV. Tuscul. 24. *Notionem nostram de fortitudine habemus omnes tectam & involutam*. Ex his notionibus, quas evolverunt viri sapientes, nata est Philosophia moralis. Apud gentes barbaras, quæ eas non explicuerunt & excusserunt, manent etiam nunc complicatæ. Græv. Singularis est vis ac venustas in his vocibus, quæ ducuntur unice ex Platonis philosophia. *Ille animi memoriam* docebat ex persona Socratis esse *recordationem superioris vitæ, nec fieri posse, ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas & quasi consignatas in animis notiones, quas* Ἐννοίας *vocant, haberemus, nisi animus, antequam in corpus intravisset, in rerum cognitione viguisset*. Tusc. disp. I. 24. Hinc utique *notio complicata* apud Nostrum, quæ scilicet ex vita superiore jamdiu hausta cum in hac animo renascentium inhæreret, convoluta arctius ac compressa, *evolventi* illico *explicaret* sese, ac lumen diffunderet. Chapman.

Nisi lacessitus injuria) Non ulciscendo, sed se defendendo & arcendo injuriam;

noceat, qui quodam quasi veneno perficiat, ut veros heredes moveat, in eorum locum ipse succedat? Non igitur faciat (dixerit quis) quod utile sit, quod expediat? Immo intelligat, nihil nec expedire, nec utile esse, quod sit injustum; hoc qui non didicerit, bonus vir esse non poterit. Fimbriam consularem audiebam de patre nostro puer, judicem M. Lutatio Pinthiæ fuisse, equiti Rom. sane honesto, cum is sponsionem fecisset, ni bonus vir esset; itaque ei dixisse Fimbriam, se illam rem numquam judicaturum: ne aut spoliaret fama probatum hominem, si contra judicasset, aut statuisse videretur, virum bonum aliquem esse, cum ea res innumerabilibus officiis, & laudibus contineretur. Huic igitur viro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates noverat, nullo modo videri potest quidquam esse utile, quod non honestum sit. Itaque talis vir non modo facere, sed nec cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat prædicare.

juriam; quod viro bono licere numquam inficiabitur Lactantius, qui perperam hic Tullium reprehendit. GRÆVIUS. Vide quæ dixi in Nota ad I. 7. PEARCE.

Cum is sponsionem fecisset) Qui petere vult, id est, qui litem facit, ut Fortunatianus IC. loquitur, ante omnia sponsione provocat adversarium: is unde petitur, sic contendit, ex provocatione spondet, rursusque restipulatur a petitore, qui etiam vicissim respondere cogitur. Eugraphius in illud Terent. *Iusjurandum dabitur te esse indignum injuria hac. Quemadmodum sponsio ante judicium fieri solet, ita hic dixit, jusjurandum dabit, quod* &c. Hujus sponsionis pignus legitimum est sacramentum, ut Isidorus ex quopiam meliore auctore scribit Etymol. V. Quamvis autem hujusmodi stipulationes sponsionesque mutuæ sint: proprie tamen qui provocat primum, *sacramento rogare, petere*, vel *quærere* dicitur: qui provocatur, *sacramento contendere*, quod ex eventu judicii justum injustumve dicitur, & pronunciatur. Pecunia hæc ab utraque parte deponebatur apud Pontificem, dicebaturque sacramentum. Victor suam recipiebat, victi in sacrorum usum retinebat Pontifex. P. PITHŒUS Adverf. I. 18. ubi vide plura, vide & H. Grotii Florum Sparsionem ad Ius Iustinianeum p. 128. GRÆV.

Officiis & laudibus) I. e. officiis, quæ laudi sunt illi, qui iis recte fungitur. Non aliter bonitas *laudibus continetur*, quibus (si vere dicas) etiam absentibus, aut bono viro non delatis, non minus bonitas suam habet naturam, & se satis tuetur. PEARCE.

Nec cogitare quidem) Idem præcipit sapientissimus Imperator M. Antoninus III. Των περι ἑαυτȣ. Sect. 4. Εθιςεον ἑαυτον μονα φανταζεσθαι περι ὧν ειτις αφνω επαγεροιτο, τι νυν διανοῃ, μετα παρρησιας παραχρημα αν αποκριναιο, ὁτι το, και το ὡς εξ αυτων ευθυς δηλα ειναι, ὁτι παντα ἁπλα και ευμενη, και ζωȣ κοινωνικȣ, και αμελȣντος ἡδονικων η καθαπαξ απολαυστικων φαντασματων. *Assuescere te debes ea solum cogitare, de quibus si quis repente te interroget; Quid nunc cogitas? libere statim possis respondere: hoc aut hoc; ut statim constet, cogitationes tuas esse simplices,*

care. Hæc nonne est turpe dubitare philosophos, quæ ne rustici quidem dubitent? a quibus natum est id, quod jam tritum est vetustate proverbium: cum enim fidem alicujus bonitatemque laudant, dignum esse dicunt, quicum in tenebris mices. Hoc quam habet vim, nisi illam, nihil expedire, quod non deceat, etiam si id possis nullo refellente obtinere? Vides ne igitur, hoc proverbio neque Gygi illi posse veniam dari, neque huic, quem paullo ante fingebam digitorum percussione hereditates omnium posse con-

plices, placidas, consentaneas animali ad societatem nato, ac spernat, quæ ad voluptatem oblectationemve faciant. Hinc recte dixit Democrates in sententiis: Δοκιμος ανηρ και αδοκιμος ουκ εξ ων πρασσει μονον, αλλα και εξ ων βουλεται. *Vir probus aut improbus non ex operibus tantum, sed etiam ex voluntate spectatur.* Itaque sapienter Alcæum reprehendit Sappho apud Aristot. I. Rhet. 9. cum is dixisset:

Θελω τι σ' ειπειν, αλλα με κωλυει αιδως.

Dicere velim aliquid, sed me prohibet pudor.

Respondet Sappho:

Αι δ' ηχε σ' εσθλων ἱμερος η καλων,
Και μηδεν ειπη γλωσσ' εκυκα κακον,
Αιδως κεν ουχι σ' ειχεν ὀμματ'
Αλλ' ελεγες περι τω δικαιω.

Hoc est, interprete Mureto:

Si quidquam honesti mens ferat ac boni,
Nec lingua quidquam turpe paret tua:
Nullo impedixeris pudore,
Sed facile eloquerere honesta.

In tenebris mices) Vide Sueton. Octav. cap. 13. & Casauboni ad illum locum notas. GRÆV.

Hereditates omnium posse converrere) Quidam lib. *converrere*: ut in re odiosa verbo vili usus videatur. Sed melius *convertere*, propter consequentia. Vult enim cum quibusdam velut præstigiis in testamenta irrepere ea, in quibus vere scriptus non sit. C. LANG. *Hereditates omnium posse converrere*) Sic est sine dubio legendum: & ita scriptum est in duobus libris antiquissimis, & longe optimis: quomodo & Langius admonet legi in aliquot suorum. Atque ut magis credas ita legendum, nulli libri habent, *ad se*; adscripta sunt scilicet ab aliquo magistro semidocto, cum fortasse ex, *converrere*, prius fecisset, *convertere*. Est autem translatio a piscatoribus, qui genere quodam retis, quod everriculum appellant, magnam vim piscium corripiunt. Potest etiam dici translationem esse ab iis servis aut ancillis, quæ scopis & verriculis quisquilias & sordes domus unum in locum converrunt, ut postea in unum acervum congestas parvo negotio auferant. Eadem translatione usus est Horatius Sat. IV. lib. II. *Nec satis est cara pisces averrere mensa*, &c. Sic enim scriptum est in libris manuscript. atque ita legendum: quamvis hic locus in nostra editione prima cum vulgatis consentiat, culpa operarum. LAMBIN. Probat hanc scripturam etiam Nannius, & Turnebus lib. XX. Advers. cap. 13. nec non Gruterus. Bernardus Gualterus vero I. Miscell. VI. legendum arbitratur, *cernere*. Non patior corrigi lectionem pluribus codd. interque alios nostris membranis non malis custoditam; neque aliter dictum est *hereditates convertere*, domum nempe aut ad se, quam quæ Senecæ *aversa hereditas*: est de constantia Sapientis: *si magno labore adfectata hereditas aversa est*. Sic Cic. de provinciis Consularibus: *Vectigal ac portorium Dyrrachinorum totum in hujus unius quæstum esse conversum*. Primo de Officiis: *Si in suam rem aliena convertant*. Frontinus IV. Stratag. 3. *Nihil ex tantis manubiis in suum convertit*. Est & in eadem re *intervertere* frequentissimum. GRONOV. IV. Observ. 5. ubi vide plura. *Convertere* in secundo Græ-

vii

convertere? Vt enim, quod turpe est, id quamvis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest: sic, quod honestum non est, id utile ut sit, effici non potest, adversante & repugnante natura.

20. At enim, cum permagna præmia sunt, est causa peccandi. C. Marius cum a spe consulatus longe abesset, & jam septimum annum post præturam jaceret, neque petiturus umquam consulatum videretur, Qu. Metellum, cujus legatus erat, summum virum & civem, cum ab eo, imperatore suo, Romam missus esset, apud pop. Rom. criminatus est, bellum ducere; si se consulem fecissent, brevi tempore aut vivum, aut mortuum Iugurtham se in potestatem pop. Rom. redacturum. Itaque factus est ille qui-

vii quoque habetur. GRÆV. Per *hereditates* ne intelligas ipsas pecunias, fundos &c. quæ res sæpius hac voce significantur (vide Top. c. 6.) sed jus eas res possidendi ex testamentis adquisitum. Hoc sensu in priore cap. *veræ hereditates* dicuntur; nam, quatenus possidentur, omnes hereditates veræ sunt. *Convertere* hic idem valet quod mutare; ut in Orat. c. 6. *Ad permovendos & convertendos animos instructi & parati*. Et in Horat. A. P. 166. *conversis studiis*. Et Epist. I. XVII. 26. *Vitæ via si conversa decebit*. Ergo *convertere* (sive mutare) *hereditates* non aliud est, quam efficere, ut is, qui non sit revera heres, omnium scriptus sit heres; vel, in omnium testamentis nomina eorum delere, qui veri sunt heredes, suumque nomen in eorum loco inserere. Contra Seneca in Constant. Sap. c. 9. (notante I. Fr. Gronovio) dicit. *Si magno labore adfectata hereditas aversa est*. Et ita Cicero in Ep. ad Fam. XII. 26. *Ne patiare Erotem Turium . . . . hereditatem Turianam avertere*. Lambinus legendum censuit *convertere*: sed omnes fere MSi retinent *convertere*, & hujus vocis sensum, loco accommodum, videor satis explicasse. PEARCE.

Q. *Metellum*) Vide Sallust. Bello Iugurthino c. 63. & 64. GRÆV.

Imperatore suo) Metuo ne verba hæc, *imperatore suo*, adulterina sint: satis enim constabat. Item paullo post, quidam libri ita habent, *in invidiam adduxerit falso crimine*. Item *Tr. plebi*: quo pacto Sallust. & Varro, aliique veteres locuti sunt: ut *Pref. urbi*; alii, *plebii*: eadem ratione, qua, *pernicii* a Cicerone dictum esse Gellius notat. C. LANG. *Imperatore suo*) Metuit Langius, ne hæc duo verba sint adulterina, quæ cum sint in omnibus libris, ego non dubito, quin a Cicerone sint adscripta, ut injuriam Metello a Mario factam amplificaret. Quod sequitur, *bellum illum ducere*, rectum esse ex Nonio etiam cognoscitur; itaque, *producere*, quod est in Manutianis, abjudico. FR. FABRIT. Recte *ducere*, sic & meus secundus, & meliores editiones Langii, Fabritii, aliæque; ut mirer *producere* retinuisse Lambinum, Manutium, Gruterum. Qui veterum codicum scripturam interpolarunt, nesciverunt *ducere* Ciceroni & Cæsari sæpissime accipi pro producere, protrahere. Cic. ep. ult ad Brutum: *Omnino jam tempora, bellum enim ducetur, integram tibi caussam reservant*. In l. VII. ep. 3. ad M. Marium: *Suadere institui, ut bellum duceret*. Hinc & *de die in diem ducere negotium* apud Cæsarem, & alios. GRÆV. Omnes fere MSi habent *illum*, quam vocem ideo, opinor, omiserunt editores, quia præcesserat *Metellum*: at loco melius, quam olim, interpuncto, suus est & locus & vis voci *illum*: nimirum, *criminatus est a bellum illum ducere; si se* &c. PEARCE.

quidem consul, sed a fide, justitiaque discessit, qui optimum, & gravissimum civem, cujus legatus, & a quo missus esset, in invidiam falso crimine adduxerit. Ne noster quidem Gratidianus officio boni viri functus est tum, cum prætor esset, collegiumque prætorum tribuni plebis adhibuissent, ut res nummaria de communi sententia constitueretur: jactabatur enim temporibus illis nummus sic, ut nemo posset scire, quid haberet. Conscripserunt communiter edictum cum pœna atque judicio; con-

Ne noster quidem Gratidianus) Superius cap. 16. hujus libri: *M. Marius Gratidianus, propinquus noster*. Græv.

Tribuni plebis adhibuissent) In manuscripto est *adiissent*, pro *adhibuissent*. F. Ursin. Non audiendus iste codex. *Adhibere* enim Ciceroni est *adhibere in consilium*, consulere. Vide, quæ notavi ad Luciani Solœcistam n. 40. Grævius.

Jactabatur enim temporibus illis nummus) Hic inserta vulgo legitur sententia: *jactabatur enim temporibus illis nummus, ita ut nemo sciret, quid haberet*; quam in omnibus exemplaribus cum antiquis, tum novis, eo modo reperi. Iovem tamen lapidem dejeraverim, non esse ab homine Romano prolatum; a coquo potius aliquo Sorboniano; itaque totam ad jus civitatis suæ, lege Mucia Licinia (de qua supra) relego. Mille talia passim obvia sunt in bonis scriptoribus, ut infra, *omnibus vicis statuæ factæ sunt*, præterquam quod MSS. codices duas postremas voces non habent; quis umquam *statuam facere* dictus est, nisi statuarius? populus *statuam statuit, ponit, collocat, donat*. C. Lang. *Jactabatur enim temporibus &c.*) Hæc Langius non putat esse Ciceronis: cui assentior; ea tamen retinui, neque ausus sum tollere, quia in omnibus libris antiquis reperiuntur: tantum jussi dissimilibus litteris imprimi. Lambin. Quidnam Langium ac Lambinum in eam sententiam impulerit, ut hanc pericopen a Cicerone abjudicarent, haud satis constat; neque putem sane aliam subesse rationem, nisi id solum, quod de ipsa historiola nihil quidquam aliunde resciverant. At lucem Ciceroni egregiam præbet in hac re Plinius; qui postquam tradidisset, *denario* (argenteo) *miscuisse ferrum Antonium Triumvirum*, alios *æra falsæ monetæ*, ab aliis aliquid *de justo pondere* subtractum, hæc addit de *Gratidiano* nostro: *Igitur ars facta denarios probare, tam jucunda lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas statuas dicaverit. Mirumque in hac* (lege) *artium sola vitia discuntur, & falsi denarii spectatur exemplar.* Hist. Nat. XXXIII. 9. Edit. Dalecamp. 1599. Ubi obiter ipse Plinii textus ex nostro emendari possit luculente, si pro *totas statuas*, quod est plane infacetum, legas *thus, & statuas*. Id quod etiam ex Seneca confirmari potest, quem Plinius videtur respexisse, cum sua scriberet: *M. Mario* (inquit Seneca), *cui vicatim populus statuas posuerat, cui thure et vino . . . supplicabat, L. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus jussit*. De Ira III. 18. Quin & iterum tangit rem eamdem Plinius in XXXIV. 6. ubi fuse de statuis in honorem virorum illustrium positis: *Statuerant Romæ etiam in omnibus vicis C. Mario Gratidiano Tribus, ut diximus, eisdemque subvertere Syllæ introitu*. Ubi rursum corrigendus vel ipse Plinius, vel potius recentior librarius, qui *C. Mario* efferebat pro *M. Mario*. Ex his igitur demum elucescit, *quis nummus* jactabatur, Prætore Gratidiano, & quo plebem munere is sedulo deliniverit; nec minus quid item velit *Edictum cum pœna atque judicio*, nimirum cum *judicio* de nummis veris & adulterinis, quo pacto denarii probentur, quid metalli vel ponderis omnes ferre deberent ex legis

constitueruntque, ut omnes simul in rostra post meridiem descenderent: & ceteri quidem alius alio, Marius a subselliis in rostra recta, idque quod communiter compositum fuerat, solus edixit, & ea res (si quæris) ei magno honori fuit; omnibus vicis statuæ: ad eas thus, & cerei; quid multa? nemo umquam multitudini fuit carior. Hæc sunt, quæ conturbant in deliberatione nonnumquam, cum id, in quo violatur æquitas, non ita magnum; illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur: ut Mario, præripere collegis & tribunis pleb. popularem gratiam, non ita turpe; consulem ob eam rem fieri, quod sibi tunc proposuerat, valde utile videbatur. Sed omnium una regula est, quam tibi cupio esse notissimam: aut illud, quod utile videtur, turpe ne sit: aut, si turpe est; ne videatur esse utile. Quid igitur? possumus ne aut illum Marium, virum bonum judicare, aut hunc? Explica atque

legis formula. CHAPMAN. Pro *totas statuas* malim, *togatas statuas*, quod est in marg. edit. Dal. Hæ statuæ Marii *togatæ* erant; ceteræ *ornatu fere militari*. I. 18. de Off. PEARCE.

In rostra post meridiem descenderent) Balduinus admonet, in scripto codice esse, *ascenderent*: nostri cum impressis faciunt. FR. FABRIT. *Ascenderet* male & contra Gruteri mentem in ejus editionem irrepsit, cum ille vellet *escenderent*, quod Muretus in uno codice repererat, & probarat XIV. Var. lect. 3. & Aldus in uno, nec non in Petri Danielis MS. reperit Guilielmius, & probavit lib. III. cap. 16. verosimil. ut & ante Muretus XV. Variar. Lect. 3. Sed librarii non ejus monitis obtemperaverunt. Veteres autem *escendere* dixisse pro *ascendere* infinitis fere probarunt exemplis viri doctissimi. Cic. pro Leg. Man. *Et his temporibus non pudebat magistratus populi Romani in hunc ipsum locum escendere.* Vide non modo laudatos ante viros, sed & Gronovium ad Livii lib. II. 28. & lib. XXIX. cap. 11. Sed nec *descenderunt*, quod tot alii libri præ se ferunt, est contemnendum; *descenderunt* enim sc. ex ædibus in rostra. Quia plerique procerum habitabant in collibus, & fora erant humiliora, dicebantur Romæ *descendere* cum prodirent in publicum, licet non habitarent in editioribus urbis locis. Sueton. Iul. XIII. *Cum mane ad comitia descenderet, prædixisse matri osculanti fertur.* Cic. II. Verr. *Postridie mane descendit, Agathinum ad se vocat.* Idem II. Philipp. *Hodie non descendit Antonius.* GRÆVIVS. Vide alia exempla, quæ Cl. R. Bentleius attulit in Not. ad Horat. Ep. I. xx. 5. PEARCE.

Omnibus vicis statuæ) In vulgatis libris additur, *jactæ sunt*, quod Victorius recte sustulit, atque a libris vetustis abest. Simile glossema omnes libros impressos Verrina quarta occupavit, in quibus legitur: *Hujus statuæ omnibus locis erectæ sunt*: cum in optimo & antiquissimo libro, unde emendationes multas ad Lambinum nostrum misi, tantum sit, *hujus statuæ locis omnibus*. Versu insequenti nostri libri cum Victorianis habent: *Hæc sunt quæ conturbant in deliberatione nonnumquam, cum id, in quo violatur æquitas, non ita magnum* &c. FR. FABRIT.

Hæc sunt, quæ conturbant homines) In nostris libris non est vox, *homines*: & vero videtur ab aliquo semidocto adjecta. LAMBIN. Applaudit quoque

ca atque excute intelligentiam tuam, ut videas, quæ sit in ea species, forma, & notio viri boni. Cadit ergo in virum bonum mentiri emolumenti sui causa, criminari, præripere, fallere? nihil profecto minus. Est ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni & splendorem, & nomen amittas? Quid est, quod afferre tantum utilitas ista, quæ dicitur, possit, quantum auferre, si boni viri nomen eripuerit? fidem justitiamque detraxerit? Quid enim interest, utrum ex homine se quis conferat in belluam, an hominis figura immanitatem gerat belluæ?

21. Quid?

Grævii secundus. GRÆV.

Quæ sit ea species, forma) *Specie*, legendum casu sexto: significat enim factum illud hujus, vel illius Marii, quod prius recensuerat. C. LANG. *Si qua sit in ea species, forma*) Nostri libri manuscripti omnes cum vulgatis consentientes habent: *quæ sit in ea species, forma, & notio*, eodemque modo legitur apud Nonium in verbo *Explicare*. Langius ait legendum esse, *specie*, ut significetur factum hujus vel illius Marii; quod Lambinus, ut a Ciceronis sententia & ratione loquendi alienum, merito repudiat: (vide quæ notavit ad sequentia verba) nam trib. his nominibus significatur insita & ante percepta cujusque formæ cognitio, quam Græci tum ἐννοιαν, tum προληψιν dicunt, ut est in Topicis. FR. FABRIT.

Utrum ex homine se quis convertat in belluam) Confeat in opt. libris erat. Et ita alibi Cicero dixit: *conferre se in bestias*, ut Ovid. *Corpus Deus æquoris albam contulit in volucrem*. C. LANG. *Se convertat quis in belluam*) Nihil muto: sic enim habent libri, & quos mihi Memmius suppeditavit, & alii; quamvis Langius alios libros secutus, ut ait, *conferat*, ediderit. Præterea supra ubi idem ille edidit, *ut videas, quæ sit in ea specie*, &c. nos, *species*, edidimus, quia sic in nostris libris omnibus antiquis scriptum reperimus. Neque vero Langii sententiam probare possumus, qui per speciem, eventum illum, & factum vel hujus, vel illius Marii significari putat. Nam apud Iurisconsultos nomen *species*, hoc interdum significat; apud Ciceronem non item; ibi, igitur *in ea*, subintelligimus, *intelligentia tua*. LAMBIN. *Utrum ex homine se convertat quis*) Sic retinuit Lambinus secutus libros Memmianos, & alios. Langius edidit, *utrum ex homine se conferat quis*, atque ita in optimis libris esse affirmat. Optimus certe ex iis, quibus nos usi sumus, *conferat*, habet; ceteri, *convertat*. Nostri quoque omnes cum Victorianis legunt, *an hominis figura*, sine præpositione, *in*. FR. FABRIT. Sed cum *conferre* pro convertere veteres sint usi, uti constat ex exemplis a Langio allatis, & id in codicibus antiquis reperiatur, dubitari non potest, quin ignotius vocabulum postea mutarint scioli, & supposuerint tritius. Vere autem Aristoteles I. Polit. 2. Ὥσπερ γὰρ τελεωθὲν βέλτιστον τῶν ζώων ἄνθρωπος ἐστιν, οὕτω καὶ χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης χείριστον πάντων. *Ut ex animantibus homo recte institutus est præstantissimum animal: sic sine lege & justitia omnium immanissimum*. GRÆV. Sequor editiones Victorii, Mogunt. & Rom. MSos etiam omnes meos, & Oxonienses, qui cum Lambini codicibus habent *convertat quis*. Hæc lectio majore auctoritate nititur; illa vero non placet, quia Poetice sonare videtur. PEARCE.

An hominis figura) MSi Mead. sec. & Mill. & editiones nonnullæ veteres habent, *an in hominis figura*: & huic simi-

21. Quid? qui omnia recta & honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur, nonne idem faciunt, quod is, qui etiam socerum habere voluit eum, cujus ipse audacia potens esset? Vtile ei videbatur plurimum posse alterius invidia; id quam injustum in patriam, quam inutile, quam turpe esset non videbat. Ipse autem socer in ore semper Græcos versus de Phœnissis habebat, quos dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intelligi:

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum, quod omnium sceleratissimum fuerat, exceperit. Quid igitur minuta colligimus, hereditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex pop. Roman. dominusque

simile est quod dicitur in c. 6. *Sic ista, in figura hominis, feritas & immanitas belluæ*. Minus placet quod hodie vulgo editur: *an hominis figura immanitatem gerat belluæ*. IDEM.

Qui etiam socerum) Intellige Pompeium, qui Iuliam Cæsaris filiam in matrimonio habuit. IDEM.

Vtile enim videbatur) Sic est in Manutianis: nostri cum aliis habent, *utile ei videbatur*, ab iisdem *Euripidis* nomen paulo post abest. FR. FABRIT.

Quam inutile) Hæc verba absunt a tribus MSis Manutii, a MSis Mead. pr. & Reg. tert. atque etiam tribus Oxoniensibus; neque hic locum habere, opinor, debuerunt. Num hoc Cicero voluit, eum non vidisse, *quam inutile*, esset *sibi*? at majus quiddam antea dixerat, etiam *utile ei visum esse*. Num igitur hoc voluit, *quam inutile patriæ*? at hoc multo minus est, quam quod præcederet, *quam injustum in patriam*. PEARCE.

Eteocles, vel potius Euripides) Valde suspectus est mihi hic locus. Qui enim Noster potuit dicere capitalem fuisse ob hos versus *Euripidem*, quibus solum loquentis personæ servierit? Audi Ciceronis ipsius de hac re sententiam. In I. 28. dicit: *Tum servare illud poetas dicimus, quod deceat, cum id, quod quaque persona dignum est, & fit, & dicitur*. In eodem cap. cum citasset ista: *Oderint, dum metuant, & natis sepulcro ipse est parens*, addit: *Atreo dicente, plausus excitantur: est enim digna persona oratio*. Et mox: *Poetæ in magna varietate personarum etiam vitiosis quid conveniat, & quid deceat, videbunt*. Item in III. 29. cum citasset illud: *Neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam*, subjungit Noster: *Idcirco recte a poeta; quia, cum tractaretur Atreus, personæ serviendum fuit*. Hinc (opinor) satis patet Ciceronem non voluisse *Euripidem* dicere *capitalem*. Vnde nata est mihi conjectura, hunc verborum ordinem sequendum esse, *Capitalis Euripides, vel potius Eteocles*. IDEM.

Quod omnium sceleratissimum fuerat) Nimirum tyrannis. GRÆV. Legitur *fuerit* in MSis Mead. pr. Reg. tert. & Cant. (Mead. sec. *fuit*) pro vulgato *fuerat*, quod non placet; quia non solum in tempore præterito, sed tum etiam temporis, cum Cicero hoc scripserit, omnium sceleratissimum fuerit. PEARCE.

Qui rex populi Romani) Suetonius in Iulio cap. 79.: *Nec ex eo infamiam affectati etiam regis nominis discutere valuit*. Vide caussas ibi. Hinc in cap. 30. no-

nusque omnium gentium esse concupierit, idque perfecerit. Hanc cupiditatem si honestam quis esse dicit, amens est; probat enim legum & libertatis interitum, earumque oppressionem tetram, & detestabilem, gloriosam putat Qui autem fatetur, honestum non esse in ea civitate, quæ libera fuit, quæque esse debeat, regnare, sed ei, qui id facere possit, esse utile, qua hunc objurgatione, aut quo potius convicio a tanto errore coner avellere? Potest enim, dii immortales! cuiquam esse utile fœdissimum, & teterrimum parricidium patriæ: quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab oppressis civibus Parens nominetur? Honestate igitur dirigenda utilitas est, & quidem sic, ut hæc duo, verbo inter se discrepare, re tamen unum sonare videantur. Non habeo, ad vulgi opinionem, quæ major utilitas, quam regnandi, esse possit: nihil contra inuti-

80. notat, ejus statuæ fuisse subscriptum:

Brutus quia reges ejecit, Consul primum factus est:

Hic quia consules ejecit, Rex postremo factus est.

Regis autem & *regni* nomen in republica Romana fuit invidiosissimum, ut semper, cum de Romanis loquerentur, tyrannum & tyrannidem denotet. Hinc *regie, & crudeliter facere* apud Ciceronem est more tyrannorum. Græv.

Hanc cupiditatem si honestam quis esse ducit) Omnes libri veteres, quos vidimus, habent, *esse dicit*; neque aliter edidit Langius. Rivius tamen legendum censet, *ducit*: quod probo, Lambin. Nulla est caussa cur recedamus a librorum omnium scriptura. Græv.

Gloriosam putat) Al. *gloriam putat*. C. Lang.

Errore coner avertere) Omnes vet. *avellere*; uno demto, qui, *absolvere*: quod nihil ad rem. C. Lang. *Coner avertere*) Legendum videtur, *avellere*: si librorum antiquorum auctoritatem sequi volumus: quamquam nonnulli habent, *divellere*: quod minus probo. Lambin. *Coner avertere*) *Evellere* est in duobus manuscriptis & impressis Victorii libris: ceteri nostri habent, *avellere*: quod Langius, & Lambinus in suis quoque invenerunt, ac probant. Fr. Fabrit. Palatinus etiam *avellere*, sed Græv. sec. *evellere*. Græv.

Parens nominetur) Sueton. Iul. cap. 76.: *Honores modo nimios recepit*, &c. *ut prænomen imperatoris, cognomen patris patriæ*. Idem.

Vnum sonare) *Sonare*, idem est, quod significare. II. de Finibus: *Epicurum non intelligere interdum, quid sonet hæc vox voluptas*; id est, quæ vis huic voci subjiciatur. C. Lang. *Verbo inter se discrepare, unum sonare videantur*) Videtur legendum, *re unum sonare vid.* idque ex obscuris duorum librorum veterum litterarum vestigiis. Lambin. *Vnum sonare videantur*) Hoc tantum est in nostris manuscriptis; alii addunt, *sed*, alii, *sed tamen*: probabilius est, particulam, *re*, propter ultimam syllabam verbi, *discrepare*, esse prætermissam: nam *verbo*, & *re* sic apud Latinos opponuntur, ut apud Græcos λογῳ, και εργῳ. Quod autem Langius cum quibusdam aliis deinde habet, *nunc adeo*, pro, *nunc abeo*, mendosum est, atque a libris antiquis improbatur. Fr. Fabrit.

Non habeo, ad vulgi opinionem, quæ major utilitas) Sic hunc locum primus ex antiquo codice restituit Muretus

inutilius ei, qui id injuste consecutus sit, invenio, cum ad veritatem cœpi revocare rationem; possunt enim cuiquam esse utiles angores, sollicitudines, diurni, & nocturni metus, vita insidiarum periculorumque plenissima?

Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt boni, inquit Accius. At cui regno? quod a Tantalo, & Pelope proditum jure obtinebatur. Nam quanto plures ei regi putas, qui exercitu populi Romani populum ipsum Rom. oppressisset, civitatemque non modo liberam, sed etiam gentibus imperantem, servire sibi coegisset? Hunc tu quas conscientiæ labes in animo censes habuisse? quæ vulnera? Cujus autem vita ipsi potest utilis esse, cum ejus vitæ ea condi-

retus Var. lect. XIV. 3. quod adprobat unus Baldi, duo Palatini, & merito recepit Gruterus. Vulgata, *nunc abeo ad vulgi opinionem* sunt fatua. *Non habeo* autem est, non habeo dicere. GRÆV. *Nunc abeo ad vulgi opinionem*) Hoc est, Nunc a veritate abeo ad vulgi opinionem in iis, quæ dicturus sum, sc. *Quæ major utilitas*, &c. *Abire* ad aliquem, aut ad aliquam rem, (non addita re, a qua abitur) non ignota est Ciceroni loquendi formula. Sic in Tusc. disp. I. 14. *Abiit ad Deos Hercules*, sc. a terra. Sic etiam in hujus operis I. 37. dicitur: *Etiam si aberrare ad alia cœperit, ad hæc revocetur oratio*. Adde quod satis innuit Noster se usum esse verbo *abire*; quia mox addit, *cum ad veritatem cœpi revocare rationem*: a veritate igitur abierat. Miror equidem hanc lectionem Grævio fatuam videri, cum se tam commodo sensu tueatur, cumque exstet in MSis Mead. pr. Gron. Lameth. Mill. Cant. Reg. sec. & quarto, & omnibus fere Oxon. item in Edit. Victorii, multisque aliis veteribus. Qui cum vulgatis libris legunt, *Non habeo ad vulgi opinionem*, & subintelligunt *dicere*, non mihi videntur curare, quid Ciceroni aut usitatum sit, aut consentaneum dicere. PEARCE.

Angores, sollicitudines) Exemplum superius attulit ipse non unum. His addatur, ut infinita prætaream, insigne Tiberii. Vide de ejus angoribus Suetonium in ejus vita cap. 63. & sequentibus. Ipse vero fatetur miserrimum suum statum in ad Senatum epistola ibid. in cap. 76.: *Quid scribam vobis, patres conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, Dii me, Deæque pejus perdant, quam quotidie perire sentio, si scio*. GRÆV.

Hunc tu quas conscientiæ labes in animo censes habuisse? quæ vulnera?) De his ex Platonis sententia Tacitus ad illa verba, quæ modo ex Tiberii epistola attuli, VI. Annal. cap. 6. sic disputat: *Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur*. Claudian. II. in Rufin.

---- En pectus inustæ
Deformant maculæ, vitiisque inolevit imago,
Nec sese commissa tegunt.

Videndus etiam Lucianus, qui lepide hæc explicat in Cataplo. IDEM.

Cujus autem vita ipsi potest utilis esse) Vetus liber habet: *cui autem vita ipsi potest utilis esse*: & ita legendum opinor. In Lælio, *vitalis* legitur, pro *utilis*. F. URSIN. Sed repugnant libri omnes

conditio sit, ut, qui illam eripuerit, in maxima & gratia futurus sit, & gloria? Quod si hæc utilia non sunt, quæ maxime videntur, quia plena sunt dedecoris, ac turpitudinis, satis persuasum esse debet, nihil esse utile, quod non honestum sit.

22. Quamquam id quidem, cum sæpe alias, tum Pyrrhi bello a C. Fabricio, consule iterum, & a senatu nostro judicatum est. Cum enim rex Pyrrhus populo Rom. bellum ultro intulisset, cumque de imperio certamen esset cum rege generoso, ac potente; perfuga ab eo venit in castra Fabricii, eique est pollicitus, si præmium sibi proposuisset, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, & eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum: idque factum ejus a senatu laudatum est. Atqui si speciem utilitatis opinionemque quærimus, magnum illud bellum perfuga unus, & gravem adversarium imperii sustulisset: sed magnum dedecus & flagitium, quicum laudis certamen fuisset, eum non virtute, sed scelere superatum. Vtrum igitur utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Aristides Athenis fuit, vel senatui nostro, qui numquam utilitatem a digni-

omnes alii. Graev.

In maxima & gratia futurus sit & gloria) Vt Harmodius & Aristogiton interfecto Hipparco, Pisistrati filio, & aliis tyrannicidis, quibus statuæ aliique honores sunt decreti. Idem.

Quamquam id quidem) Legendum omnino, *quamobrem*; eo quod hac voce Cicero non reprimit superiora, sed confirmat exemplo. Simile mendum notavi supra ad II. 12. Chapman.

De imperio) Vide superius librum I. c. 12. Graev.

Hunc Fabritius reducendum curavit ad Pyrrhum, idque factum ejus a senatu laudatum est) Merito laudatum est a senatu. Rationem reddit Grotius III. de Iure Belli & Pacis cap. 1. §. 21. & 22. quem vide, ut & Albericum Gentilem de Iure Belli lib. II. cap. 6. Idem.

Sed scelere superatum) Recte hic Cicero utitur participio præteriti temporis; quia ex præcedentibus subintelligenda sunt ad explendam sententiam verba: *si perfuga unus gravem adversarium sustulisset*. Idem.

Vtrum igitur utilius) In Victoriana editione legitur, *visum igitur utilius*: & ambitus hic absque interrogatione ita clauditur, *armis cum hoste certare, non venenis*; quam lectionem Maturantius in suo commentario sequitur. F. Fabrit.

Vel Senatui nostro, qui numquam utilitatem &c.) Atqui statim dicit Cicero, senatum in adprobanda L. Philippi sententia dignitatem ab utilitate sejunxisse. Sed in aliis etiam locis hoc nomine reprehendit senatum, ut superius in c. 11. hujus libri: *Vtilitatis specie in rep. sæpissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri*. Nec enim aut Corinthus deleri, aut ab eversore Corinthi triumphari sine senatus decreto potuit. Nihil igitur Cice-

dignitate sejunxit, armis cum hoste certare, an venenis? Si gloriæ causa imperium expetendum est, scelus absit, in quo non potest esse gloria; sin ipsæ opes expetuntur quoquo modo, non poterunt utiles esse cum infamia. Non igitur utilis illa L. Philippi, Qu. filii, sententia: quas civitates L. Sulla, pecunia accepta, ex senatusconsulto liberavisset, ut hæ rursus vectigales essent: neque his pecuniam, quam pro libertate dederant, redderemus. Est ei senatus assensus; turpe imperio; piratarum enim melior fides, quam senatus. At aucta vectigalia; utile igitur. Quousque audebunt dicere quidquam utile, quod non honestum? Potest autem ulli imperio, quod gloria fultum esse debet, & benevolentia sociorum, utile esse odium,

Cicero his verbis, *numquam utilitatem a dignitate sejunxit*, significat aliud, quam senatus hoc fuisse institutum, hanc rationem & disciplinam a dignitate numquam sejungere utilitatem; eamque rationem semper secutum esse, nisi cum interdum speciosis ac fucatis quibusdam disputationibus & argumentis se passus sit ab hac sententia dimoveri contra suum propositum. Sic passim loquuntur & sacri, & *οἱ ἔξω* scriptores de hominibus, qui plerumque aut fere semper secundum sectam vitæ, cui se manciparunt, agunt & vivunt, quamvis nonnumquam, sed rarius ab hac agendi ratione recedant. Nulla est repugnantia Ciceronis in his verbis, sed est loquendi genus omnibus linguis & scriptoribus commune, quo utuntur de eo, quod plerumque & omni propemodum tempore fit, quasi numquam non fieret. Ciceronem sane in hoc loco tantum flagitium in se admisisse, cujus nuperius insimulatus fuit, nemo credet, nisi qui, ut videatur sapere, cælum vituperat. GRÆV. Cicero paullo infra, de temporibus agens ævum Fabricii sequentibus, dicit: *Ei* (Philippo) *Senatus est assensus: turpe imperio; piratarum enim melior fides, quam Senatus.* Et in c. 11. *Utilitatis specie in republica sæpissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri.* Ne igitur Cicero sibi ipse contradicere videatur, legendum esse puto, *qui tum numquam utilitatem a dignitate sejunxit*. Grævius tamen vulgatam lectionem retinens, &, ut Ciceronem sibi conciliet, docet hoc loquendi genus omnibus linguis & scriptoribus esse commune; quo utuntur de eo, quod plerumque & omni propemodum tempore fit, quasi numquam non fieret. At verius hoc dici potest (opinor) de affirmantibus sententiis, quam de negantibus. Si Cicero dixisset: *Senatus dignitati reipublicæ semper consulit*, hoc verum esset, semel licet aut iterum ei non consuluerit, quia plerumque consulere solebat. At, cum in hac, de qua agimus, sententia occurrit negativum adverbium *numquam*, vereor ut hic locus duobus antea citatis locis conciliari queat: quapropter vocem *tum* recipiendam esse judico. PEARCE.

Ex senatusconsulto liberavisset) Cum civitates has ex senatusconsulto immunes ac liberas esse jussisset Sulla, cur dubitemus, recte reprehendi Q. Philippum, qui contra datam a senatu, penes quem dandi negandive talia potestas erat, fidem vectigales illas civitates esse censuerit, nec pecuniam, qua redemerant libertatem, reddiderit: quæ quia senatu decernente erat accepta, ita aut in ærarium relata, aut in rempublicam impensa. GRÆV.

Quam senatus) Has duas voces Langii

odium, & infamia? Ego etiam cum Catone meo sæpe dissensi; nimis mihi præfracte videbatur ærarium, vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis: cum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic agere, ut cum colonis nostris soleremus, eoque magis, quo illa ordinum conjunctio ad salutem reipub. pertinebat. Male etiam Curio, cum causam Transpadanorum æquam esse dicebat: semper autem addebat: Vincat utilitas. Potius diceret, non esse æquam, quia non esset utilis

...gii codex non habet, ac videntur ex glossemate irrepsisse. Fr. Fabrit.

Nimis mihi præfracte) *Præfracte*, pro pertinaciter positum esse, Erasmus adnotavit. Nonius legit, *nimis mihi præfractum videbatur*: & *præfractum* interpretatur durum, inflexibile. Fr. Fabrit. Vere damnat hic Cicero Catonis præfractum nimis vectigalia urgendi & a publicanis exigendi studium. Cum iis enim agendum tamquam cum colonis, quibus, si calamitas quædam fundum infestavit, & proventum perdidit, remittimus aliquid de pacta mercede, aut vectigali, quod annuum nobis pro usu soli pendunt: sic & publicanis, si animose nimis vectigalia publica conduxerunt, & inopinata mala intercesserunt, per quæ non possunt solvere, quantum ad reip. solvendum se obstrinxerunt, æquitas postulat, ut non nihil pecuniæ debitæ remittatur. Quod cum Cato nollet facere, ordinem equestrem a senatu disjunxit, & fenestram aperuit Cæsari & Pompeio rempublicam opprimendi, uti queritur verissime Cicero non hic modo, sed in epistolis ad Atticum in libro primo ep. 17. & 18. & in libro secundo epistola prima. Græv.

Omnia publicanis negare) Vectigalia provinciis imposita erant, aut *certa*, quæ stipendia dicebantur, aut *incerta* seu ea, quæ ex annuis proventibus orirentur, qualia erant *portoria*, seu tributa ex mercibus ultro citroque devehendis; *decumæ* frumentariæ ab agri publici cultoribus; *Scriptura* seu quinta ex sylvis & pascuis publicis &c. Hæc autem *incerta* vectigalia redimi solebant quotannis a Censoribus ad hastam, ab iis qui vocabantur *publicani*, datis modo reipublicæ sponsoribus, ni ipsi solvendo essent. Hinc maxima Reipublicæ commoda, ipsique ordini publicanorum haud parva dignitas: *Flos* nempe *Equitum Romanorum*, ut ait Cicero in Orat. pro Planc. c. 9. *eo ordine continebatur*. Unde ad Quintum fratrem, cum haberet ille provinciam, sic scripsit: *Potes etiam tu id facere, ut commemores* (Græcos), *quanta sit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus . . . Hoc ab eis petas, ut facilitate sua nos eam necessitudinem, quæ est nobis cum publicanis, obtinere & conservare patiantur*. Ad Quint. Ep. I. 1. 12. Hæc autem ni probe intelligantur, parum liquent, quorsum ista de *publicanis* apud Nostrum, *eoque magis, quo illa ordinum conjunctio ad salutem reipublicæ pertinebat*; quippe quæ de ordinum Equitum, & Senatorum dicuntur. Chapman.

Quod illa ordinum conjunctio) *Quo illa* Victorius, Langius, & meliores libri manuscripti. Fr. Fabrit.

Cum caussam Transpadanorum) Qui petebant jus civitatis, de quibus Sueton. Iul. cap. 8. *Decedens ergo ante tempus, colonias Latinas de petenda civitate agitantes adiit*. Harum caussam egisse videtur etiam Curio: eorum etiam meminit Suetonius in capite sequente, ubi ait Lambranos & Transpadanos voluisse novas res moliri, nimirum ob civitatem, quam petebant, negatam. Grævius.

Vincat utilitas) Quidam libri manuscr. habent: *vincat reip. utilitas*. Lambin.

Potius diceret) *Doceret*, est in optimo

lis reip. quam, cum utilem esse diceret, non esse æquam fateretur.

23. Plenus est sextus liber de officiis Hecatonis talium quæstionum: Sit ne boni viri in maxima caritate annonæ familiam non alere; in utramque partem disputat: sed tamen ad extremum utilitate putat officium dirigi magis, quam

mo libro nostro, quod malo: nam Curio, cum orator esset, populum docere debebat, eam caussam, quæ non esset utilis reip. ne æquam quidem esse. Quod sequitur, Paulus Manutius ita legendum esse putat: *Quam, cum æquam esse fateretur, non esse utilem diceret*. Victorius edidit: *quam cum utilem esse diceret, non esse æquam fateretur*, atque ita in nostris manuscriptis legitur. Quod Lambinus edidit, Langii liber habet. FR. FABRIT.

Potius diceret non esse æquam, quia non esset utilis reip.) Præcedentia, & sequentia verba postulant, ut vel invitis libris scribatur: *Potius diceret non esse utilem reipublicæ, quia non esset æqua, quam, cum utilem esse diceret, non esse æquam fateretur*. Sic enim ultima verba ex Palatinis; editione Victoriana, libris Suffridi, & Petri Danielis, ac editionibus principibus restituit Gruterus, cum in vulgatis pessime & ineptissime legeretur: *æquam esse diceret, non esse utilem fateretur*. Clamabat Curio: *vincat utilitas*, quamvis adversaretur æquum, jus & fas. Cicero vero docet, Curioni potius dicendum fuisse, *vincat æquum*, licet aliud suadere videatur utilitas, sed quia ei repugnat æquitas, ideo utilitas est repudianda. GRÆVIVS. Merito doctis semper displicuit vulgata hujus loci lectio; quamvis aut nihil, aut fere nihil ab illa recedant MSi. Curio dixerat id, quod petebant Transpadani (sc. jus civitatis), æquum fuisse, sed minime utile reipublicæ, ut iis concederetur; ideoque repudiandum fuisse, ut illam utilitatem *vinceret* utilitas reipublicæ. Credas ne igitur Ciceronem hîc voluisse de Curione dicere, *cum utilem esse diceret*, & *non esse æquam fateretur*, sc. caussam Transpadanorum? Mihi quidem videtur hoc ab ejus manu profectum esse: *Potius diceret, non esse æquam, quia non esset utilis reipublicæ, quam non utilem esse diceret, cum esse æquam fateretur*. Nec ab hac lectione multum abit Lambini conjectura: *quam, cum utilem non esse diceret, esse æquam fateretur*: ut locum conjunctionis *cum* mutandum fuisse facile is (opinor) videbit, qui sententiam totam paullo accuratius expendet. PEARCE.

Familiam non alere) Se. Servos suos; nam de iis solum hæc quæstio intelligenda est. Lactantius in Div. Inst. IV. 3. de voce *paterfamilias* locutus, addit: *Nomen patris complectitur etiam servos, quia familias sequitur*. Et Cic. in Ep. ad Fam. XIV. 4. Servos manumissos vocat *familiam liberatam*. IDEM.

Vtilitate putat officium dirigi magis, quam humanitate) Palat. primus, & editio Rom. prima *utilitate ut putat*, nec aliter editio Victorii, & Palatinus secundus; nisi quod ii præterea *dirigit*, unde suspicio mihi oritur fuisse primitus, *utilitate putat officium magis*, omisso illo *dirigi*. GRVTERVS. Male. Non recedendum a vulgata, quam firmat meus secundus. Idem loquendi genus occurrit in cap. 21. hujus libri, *dirigenda est utilitas honestate*, hoc est, metienda. Recte vero Hecaton, quia sum proximus mihi, & primo mei, tum qui me proxime tangunt, uxoris, liberorum, fratrum, conservationi debeo studere, quam servorum, præsertim ubi mihi cum illis, si eis demensum do, brevi est fame pereundum. GRÆVIVS.

Vtilitate, ut putat, officium dirigit) Ita MSi quatuor Oxon. MSi Mead. pr. & Pal. sec. itemque editio Victorii, & Rom. habetque *ut* MSus Pal. pr. Hanc lectionem ideo sequor, quia improbare videtur (ut revera improbandum fuit) judicium Hecatonis: innuit

quam humanitate. Quærit, si in mari jactura facienda sit, equi ne pretiosi potius jacturam faciat, an servuli vilis: hic alio res familiaris, alio ducit humanitas. Si tabulam de naufragio stultus arripuerit, extorquebit ne eam sapiens, si potuerit? negat, quia sit injurium. Quid? dominus navis, eripiet ne suum? minime: non plus, quam si navigantem in alto ejicere de navi velit, quia sua sit; quoad enim perventum sit eo, quo sumta navis est, non domini est navis, sed navigantium. Quid, si in una tabula sint duo naufragi, æque sapientes, sibi ne uter rapiat, an alter cedat alteri? cedat vero: sed ei, cujus magis intersit vel suæ, vel reipub. causa vivere. Quid, si hæc paria in utroque? nullum erit certamen, sed quasi sorte, aut

innuit enim eam utilitatem non esse, sed videri, quæ humanitati ita repugnaret. De Hecatonis in hujusmodi rebus judicio Noster dixerat in c. 15. *Omnino tantum se negat facturum compendii sui caussa, quod non liceat. Huic nec laus magna tribuenda, nec gratia est*. In vulgata lectione, *utilitate putat officium dirigi magis, quam humanitate*, deest necessaria (ut videtur) vox *oportere*. Pearce.

Alio res familiaris &c.) His verbis Cicero videtur significare, Hecatonem dubitasse, quid in hac re faciendum esset. Idem.

Quia sit injurium) Certe injurium. Nam quamvis conservationi mei inprimis servire me docuerit natura, tamen non vult, ut cum injuria alterius me servem. Neque enim hoc mihi fieri velim: itaque nec alteri faciendum. Grævius.

Ejicere de navi velit, quia sua sit) Sic legendum: & ita habent omnes veteres codices. Est autem ratio, quam affert dominus navis, quare navigantem in alto e navi ejiciat: quo modo autem in vulgatis legitur, esset ratio Hecatonis propter quam neget, a navis domino eum, qui in alto naviget, e navi ejici debere. Lambin.

Quo sumta navis sit) Hujus loci testimonio Nonius docet, *sumere* esse conducere. Fr. Fabrit.

Sibi ne uter rapiat) Ante nullus sensus erat. *Uter*, idem quod utervis: ut pro Sestio; *Horum utro uti volueris, altero est carendum*. Ita & infra in Paradox. Inde *neuter* quasi *ne uter*. Car. Lang. *Sibi ne uter rapiat*) In libris vulgatis legitur, *sibique uterque rapiat*. Tres manuscripti nostri cum Langianis habent *sibi ne uter rapiat*, quam lectionem Cratander quoque ad oram sui libri adscripsit. *Uter* autem pro utervis usurpatur, ut in clausula edicti Verrini: *Si uter volet, recuperatores dabo*; qua Verres tam aratori, quam decumano potestatem agendi fecit, ut utercumque vellet, illi experiundi facultas esset. Sic epist. 9. lib. I. ad Att. *Sed hæc aut sanabuntur, cum veneris, aut ei molesta erunt, in utro culpa erit*. Langius quoque Paradoxo tertio ex libris antiquis legit: *Quæ quando utro accessit, id fit propensius*. Fr. Fabrit. Vulgo *uter*; & interpretes dicunt *uter* idem significare, quod *utervis* aut *uterque*. Mihi tamen non satis constat, Ciceronem hanc vocem in hoc sensu alibi usurpasse. Sequor igitur lectionem Victorii, Manutii, & Gruteri, *uterque*, cui multi MSi suffragantur. Pearce.

Quasi sorte) Ut Ionas in sacris litteris: male Gruterus *forte*. Grævii quoque secundus: *quasi sorte, aut micando*. Grævius.

aut

aut micando victus, alteri cedat alter. Quid si pater fana expilet, cuniculos agat ad ærarium: indicet ne id magistratibus filius? nefas id quidem est; quin etiam defendat patrem, si arguatur; non igitur patria præstat omnibus officiis? immo vero: sed ipsi patriæ conducit, pios cives habere in parentes. Quid, si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? silebit ne filius? immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat, si nihil proficiet, accusabit, minabitur etiam: ad extremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris. Quærit etiam, si sapiens adulterinos nummos acceperit

Aut micando victus) Liber vallis S. Lamberti, *micando* habuit: recte. Micationis digitorum, qualem ludum Græci *αρτιαζειν* hoc est *par impar*, videntur appellasse, meminit & supra; & de Divinat. & de Finibus, item Varro. Controversias autem micationibus decidi solere; æque ut sortibus, ex Turci Aproniani Pr. urb. edicto, quod extat, clarum est. Sic quoque lego in Suet. Augustos *Patrem & filium, pro vita rogantes, sortiri aut micare jussisse*, ubi vulgo *dimicare*, ridicule. CAR. LANG. *Quasi sorte, aut micando*) *Micando*, recte Langius ex antiquo libro, pro *dimicando* reposuit, nam & Turnebus præceptor noster lib. XX. Adversar. cap. 13. ita legendum esse probat. Versu sequenti Lambinus cum Langio legit, *cuniculos agat in ærarium*, ubi nostri MSi cum impressis aliis, *ad ærarium*, habent. Sic Cæsar lib. III. de Bello Gallico, *cuniculis ad aggerem vineasque actis*. Livius lib. IV. *Agere in arcem cuniculum instituit*: idem lib. V. *Cuniculus in arcem hostium agi cœptus*. Græci, ut Plutarchus in Camillo, *ὑπονομας τεμνειν*, dicunt. FR. FABRIT. Opinor Ciceronem voluisse dicere, His sapientibus utendam esse sortem aut micationem: aliter non dicitur, quo modo efficiendum sit, ut alter eorum alteri cedat. Quapropter Cicero mihi videtur scripsisse, *sed sorte aut micando victus*, omissa voce *quasi*. Scilicet in quodam MSo olim (ut hodie etiam) extabat *forte* pro *sorte*; quam vocem *forte* ut explicaret librarius, in margine codicis apposuit *quasi*; unde in textum istud *quasi* postea negligentia exscriptoris sequentis irrepsisse credatur. PEARCE.

Quin etiam defendat patrem, si arguatur) Id utique pietas liberorum in parentes requirit, si parentum crimina non ad interitum patriæ spectant. Nam *atrox exemplum, reus pater, accusator filius*, ut Tacitus ait annal. IV. cap. 28. Quin non tantum laudi ducitur filio, si patrem defendit; (Nam si oratori hoc licet, ut in libro secundo vidimus, cur non & filio?) sed & recte Tiberius Pisonis, qui civile bellum moverat, filio ignovit, quod parenti dicto audiens esse tanquam filius fuerit obstrictus. Tiberius, inquit Tac. III. ann. 17. *adolescentem Pisonem crimine belli civilis purgavit, patris quippe jussa nec potuisse filium detrectare*. GRÆV.

Accusabit) I. e. culpam patri objiciet, sive eum quasi criminosum reprehendet; neque enim hîc de accusatione coram judicibus agitur. At videtur recipiendam esse lectionem MSorum Reg. sec. & tertii, *accusare minabitur etiam; ad extremum* &c. PEARCE.

Patriæ salutem anteponet saluti patris) Quod in libro primo pluribus declaravit, cum comparavit, & quasi libravit officia, docuitque primum locum sibi vindicare, quæ debentur patriæ, secundum, quæ parentibus, tertium, quæ liberis & familiæ, denique,

perit imprudens pro bonis: cum id rescierit, soluturus ne sit eos, si cui debeat, pro bonis. Diogenes ait, Antipater negat, cui potius assentior. Qui vinum fugiens vendat sciens, debeat ne dicere. Non necesse putat Diogenes: Antipater viri boni existimat. Hæc sunt quasi controversa jura Stoicorum. In mancipio vendendo dicenda ne vitia, non ea, quæ nisi dixeris, redhibeatur mancipium jure civi-

nique, quæ amicis & propinquis sunt præstanda, quia ut ibidem ait *omnium caritates patria una complexa est*. Hinc & Valer. Max. lib. V. cap. 6. *Patriæ majestati etiam illa, quæ deorum numinibus æquatur, auctoritas parentum, vires suas subjecit: fraterna quoque caritas æquo animo ac libenti cedit*. Græv.

Venenum fugiens vendat sciens) Libri fere omnes veteres, quibus usus sum, habent, *venenum fugiens*: quomodo & Barnabas Brissonius se in uno item libro antiquissimo scriptum vidisse mihi asseveravit, idque litteris mandavit; probat enim antiquam hanc scripturam: & ait per, *venenum*, significari bonum & salutare venenum, seu pharmacum: *fugiens autem*, id est, cujus vis & virtus evanuerit. Lambin. *Qui venenum fugiens*) Sic esse in omnibus libris veteribus, quibus usus sit, Lambinus noster scribit, nostri quoque omnes, *venenum*, non, *vinum*, habent, eodem modo Turnebus in pervetusto codice invenit, ut ipse testatur lib. XX. Advers. c. 13. probat idem Barnabas Brissonius, & ait per *venenum* significari bonum & salutare venenum seu pharmacum, de qua significatione hujus verbi Caius in l. *qui venenum*, 236. D. de Verbor. signif. *fugiens* autem, id est, cujus vis & virtus evanuerit. Nonius ita scribit *fugere* dictum est deterius fieri. M. Tullius Officiorum lib. III. *Si quis vinum fugiens vendat sciens*. Fr. Fabrit. *Venenum* extat quoque in meo secundo, & Pithœi excerptis, nec non Palatinis. Sed tamen rectius Manutius, secutus auctoritatem Nonii, & libros, quos ille proculdubio vetustiores his, quos nunc habemus, vidit, *vinum fugiens* prætulit. Nam, quæ Gruterus opponit, vinum fugiens posse gustu deprehendi, non semper verum est. Multa vina fugientia primo gustu fallunt præsertim eos, qui palatum non habent satis eruditum. Est enim vinum fugiens, quod durare & ætatem ferre non potest, & cujus vis exolescit brevi tempore. Grævius. Simile est illud in Senecæ Ep. 12. *gratissima sunt poma, cum fugiunt*, i. e. jam cedentia ætati (ait Lipsius) & abeuntia. Pearce.

Hæc sunt quasi controversa jura Stoicorum) Quidam lib. *hæ sunt quasi controversiæ in jure Stoicorum*; alii, *hæc sunt quasi controversa jura Stoicorum, hæc*, nempe quæ sequuntur. Nam præcedentia, jam dissolvit; locus erat omnino corruptus: Dicenda ne, inquit, vitia: non ea, quæ nisi dixeris, redhiberi possit mancipium jure civili, ut servum fugitivum esse, equum lunaticum, & similia; hoc enim etiam inter Stoicos convenire supra dixerat, *sed hæc*, &c. C. Lang. *Hæc sunt quasi controversa jura Stoic.*) Sic legendum est, ratione postulante, ac pervincente: quam & veteres codices adjuvant. Dicunt autem Latini *jus controversum*, id est, jus ambiguum, quod opponitur *certo*, & de quo nulla controversia est. Lambin. *Hæc sunt quasi controversa jura*) Sic edidit Victorius, itaque in melioribus libris antiquis legitur. Sunt autem controversa jura Stoicorum, ut Turnebus scribit, causæ & consultationes, de quibus Stoici inter se dissentiunt, quæ translatio sumpta est a jurisconsultis, apud quos jura controversa, & dubia vocantur, de quibus inter jurisconsultos est dissensio, ut dum aliud videtur Mucio, aliud Bruto, aliud Manilio. Fr. Fabrit.

Sed

civili: sed hæc mendacem esse, aleatorem, furacem, ebriosum. Alteri dicenda videntur, alteri non videntur. Si quis aurum vendens, orichalcum se putet vendere, indicet ne ei vir bonus, aurum illud esse, an emat denario, quod sit mille denarium? Perspicuum jam est, & quid mihi videatur, & quæ sit inter eos philosophos, quos nominavi, controversia.

24. Pacta, & promissa semper ne servanda sint, quæ nec vi, nec dolo malo (ut prætores solent) facta sint? Si

Sed hæc mendacem esse, aleatorem, furem) Mancipium ob hæc vitia animi non redhibetur, L. 4. D. de ædilitio edicto. IDEM.

Furacem) I. e. furtis deditum: At (ut dicit in c. 17.) de *sanitate*, de *fuga*, & de *furtis* etiam mancipii, is, qui vendit, dicere emtori debuit: & qui non dixit, *præstat edicto Ædilium*. *Furax* igitur mancipium jure civili redhibendum fuit: Vnde mihi valde suspecta est hæc vox *furacem*, quæ hîc locum non habere debet, cum solum de *mendacibus*, *aleatoribus*, & *ebriosis* servis agitur, quorum vitia ut narrarentur emtori, non cautum fuit jure civili. Fortasse scripsit Cicero *voracem*, i. e. gulosum; quæ vox bene cum voce *ebriosum* conjungitur. Huic meæ conjecturæ favent ea, quæ Rachelius ex Iurisconsultis protulit, l. 4. §. 2. ff. de ædilitio edicto, *Aleatores & vinarios non contineri edicto quosdam respondisse, Pomponius ait; quemadmodum nec gulosos, nec impostores, aut mendaces, aut litigiosos*. PEARCE.

Si quis aurum orichalcum se putat vendere) Lactantius lib. V. Institut. Divin. 17. *Qui vendentis errorem non redarguit, ut parvo emat, aut qui non profitetur fugitivum servum, vel pestilentem se domum vendere, lucro & commodo suo consulens, non est ille sapiens, ut Carneades volebat, sed callidus, & astutus*; vide & Seldenum de Iure naturæ & gentium secundum Hebræos lib. VI. cap. 5. GRÆVIVS. Vulgo *aurichalcum*; male; Victorium sequor & Verburgium, itemque MSos Mead. pr. & Mill. nam ex *auro* & *ære* non compositum fuit *orichalcum*: æs potius montanum significat vox hæc, ex ορος & χαλκος composita; unde brevis est prima hujus vocis syllaba, in Horat. de Art. Poet. 202.

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, PEARCE.

Quod sit mille denarium) In Manutianis est, *quod sit millenarium*. Vetusti, *mille denarium*, & quidam, *denariorum*, habent. Nonius *denarium* probat. FR. FABRIT. *Quod si mille denarium*, est, quod æstimetur, vendatur mille denariis. *Esse* enim est venalem esse, æstimari. Cic. III. Verrin. *Quum in Sicilia sestertiis binis tritici modius esset*. Et mox: *Vt sibi pro frumento, quanti frumentum esset, dare liceret*, Liv. 29. *Sextante sal & Romæ, & per totam Italiam erat*. Sed *denarium* est *denariorum*. I. FR. GRONOVIVS.

Pacta, & promissa semper ne servanda sint) Vide quæ de hoc argumento disputat H. Grotius II. de Iure Belli & Pacis cap. 11. GRAV.

Vt prætores edicere solent) *Edicere* in nostris libris & Victorianis, & Langianis non legitur. Potest autem verbum *servare*, intelligi, quod in prætoris edicto exprimitur. L. Iuris gentium, 7. D. de pactis. FR. FABRIT. Subauditur *edicere*. GRÆVIVS. *Vt prætores solent dicere*) Ita Manutius; pro quo Lambinus habet *edicere*. Vox *dicere* est etiam in MSis quinque Oxon. & in MSo Mead. pr. a correctoris manu, & Reg. sec. & tertio. Ea omnino necessaria esse mihi videtur, in suis enim edictis prætores multa de vi, & de dolo malo solebant dicere.

Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem, pepigeritque, ne illo medicamento umquam postea uteretur; si eo medicamento sanus factus fuerit, & annis aliquot post inciderit in eumdem morbum, nec ab eo, quicum pepigerat, impetret, ut item eo liceat uti, quid faciendum sit. Cum sit is inhumanus, qui non concedat, nec ei quidquam fiat injuriæ, vitæ & saluti consulendum. Quid? si quis sapiens rogatus sit ab eo, qui eum heredem faciat, cum ei testamento sestertium millies relinquatur, ut ante, quam hereditatem adeat, luce palam in foro saltet, idque se facturum promiserit, quod aliter eum heredem scripturus ille non esset: faciat, quod promiserit, nec ne? Promisisse nollem, & id arbitror fuisse gravitatis; sed quoniam promisit, si saltare in foro turpe ducet, honestius mentietur, si ex hereditate nihil ceperit, nisi forte eam pecuniam in reip. magnum aliquod tempus contulerit: ut vel saltare eum, cum patriæ consulturus sit, turpe non sit.

25. Ac ne illa quidem promissa servanda sunt, quæ non

re. Quod si vocem *dicere* omittas, & subintelligas cum Fabritio verbum *servare*, hoc efficiet sensum Ciceronis menti minime accommodatum. PEARCE.

Ut item eo liceat uti) MSus Mead. sec. habet non *item*, sed *iterum*; quæ lectio potior mihi videtur, quam vulgata. Nec raro hæ duæ voces in MSis inter se commutantur, ut in II. 3. ubi alii MSi rectius habent, *Earumque item rerum*, habent alii, *Earumque iterum rerum*. IDEM.

Luce palam in foro saltet) Sic olim restitueram ex Nonio, *luce claro in foro saltet*, nam cum apud Nonium legissem, quo loco docet veteres usurpasse vocem, lux, in genere fœminino & masculino, M. Tull. III. de Offic. *Et cum prior ire luce claro non queo*, putaram Nonium dormitasse, & hunc locum proferre voluisse. Nunc sive Nonius dormitarit, quod verisimile est, sive quid aliud sit, lectionem vulgatam, a qua non discrepat antiqua; retineo. LAMBIN.

Promisisse nollem) Liber Parcensis habet, *promissione nollem*: forte legendum, *promissionem nollem*, quæ locutio est elegans, ut XIV. ad Att. *Tertullæ abortum nollem*. Id est, velim non abortisse, quomodo Terentius & Cicero sæpe loquuntur. C. LANG. *Promisisse nollem*) Sic habent nostri libri. Langius autem ex vestigiis antiquæ cujusdam scripturæ legit, *promissionem*. Omnino hæc vulgata, & recepta mihi suspecta est. Videtur enim legendum potius, *promisisset nollem*. Paullo ante, *quod promiserit illi*, non *quod promiserit ille*: vel delendum, *ille*, cujus vocis nulla exstant in libris veteribus vestigia. LAMBIN. *Promisisse nollem*) Sic est in nostris manuscriptis. Langius ex vestigiis unius libri vetusti legit, *promissionem nollem*. Lambino videtur potius legendum, *promisisset nollem*, id est, vellem non promisisset. FR. FABRIT.

Quam si ceperit) Hæc verba in duobus libris non comparent, itaque illa a Manutio & Langio merito esse inducta arbitror. IDEM.

Que

non ſunt iis ipſis utilia, quibus illa promiſeris. Sol Phæthonti filio (ut redeamus ad fabulas) facturum ſe eſſe dixit, quidquid optaſſet: optavit ut in currum patris tolleretur: ſublatus eſt; atque inſanus antequam conſtitit, ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat, in hoc promiſſum patris non eſſe ſervatum? Quid, quod Theſeus exegit promiſſum a Neptuno? Cui cum tres optationes Neptunus dediſſet, optavit interitum Hippolyti, filii ſui, cum is patri ſuſpectus eſſet de noverca: quo optato impetrato, Theſeus in maximis fuit luctibus. Quid? Agamemnon cum devoviſſet Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulcrius, promiſſum potius non faciendum, quam tam tetrum facinus admittendum fuit. Ergo & promiſſa non facienda nonnumquam: neque ſemper depoſita reddenda. Si gladium quis apud te ſana mente depoſuerit, repetat inſaniens, reddere peccatum ſit, non reddere officium. Quid? ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ, reddasne depoſitum? non, credo: facias enim contra remp. quæ debet

Quæ non ſunt iis ipſis inutilia) Itaque Seneca IV. de beneficiis 10. probe monet: *Nihil ſine ratione faciendum eſt; non eſt autem beneficium, niſi quod ratione datur: quoniam ratio omnis honeſti comes eſt. Quam ſæpe hominum donationem ſuam inconſultam objurgantium, hanc audimus vocem, Mallem perdidiſſe, quam illi dediſſe? Turpiſſimum genus damni eſt inconſulta donatio*. Itaque inutile aut noxium promiſſum non ſervandum, nam ut Seneca eod. lib. cap. 36. *Demens eſt, qui fidem præſtat errori.* vide 35. & 39. caput illius libri, vide ſuperius librum I. cap. 10. GRÆV.

Atque inſanus qua conſtitit) Langii, Fr. Fabritii, aliæque edd. nec non meus ſecundus: *atque inſanus antequam conſtitit*, h. e. antequam ſe colligeret, & ſic componeret, ut recte I. Fr. Gronovius exponit, ut ſtare poſſet. Simile huic loquendi genus ait eſſe, quod legitur lib. VII. ad fam. ep. 1. *Vix jurare cum cœpiſſet, vox eum defecit*. Sane *qua* locum hic nullum habet, quamvis id in Pithœanis excerptis quoque habeatur. Si *quam* acciperetur Latinis pro priuſquam, ut nonnulli viri docti notarunt ad Plautum, id ſane propter conſenſum veterrimorum codicum, in quibus *qua* legitur, reciperem, ſed exempla ſunt lubrica. Sequor itaque optimarum editionum lectionem. GRÆV. Videtur hic locus adhuc corruptus eſſe. PEARCE.

Quo optato impetrato) Deeſt in manuſcripto verbum, *optato*. F. URSIN. Potior videtur lectio MSi unius Urſini, duorumque Manutii, *quo impetrato*; ſc. interitu Hippolyti: ut in I. 10. *Hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit; quo impetrato in maximos luctus incidit*. Ego vero, cum fere omnes MSi habeant *optato*, & duo Oxon. Cant. duoque Regii *optato & impetrato*, hanc lectionem ſequendam eſſe duxi. PEARCE.

Neque ſemper depoſita reddenda) Idem ſentit Seneca IV. de benef. 10. GRÆV.

 Mul-

debet esse carissima. Sic multa, quæ honesta natura videntur esse, temporibus fiunt non honesta; facere promissa, stare conventis, reddere deposita, commutata utilitate, fiunt non honesta. Ac de iis quidem, quæ videntur esse utilitates contra justitiam simulatione prudentiæ, satis arbitror dictum. Sed quoniam a quatuor fontibus honestatis primo libro officia duximus, in eisdem versabimur, cum docebimus, ea, quæ videntur esse utilia, neque sunt, quam sint virtutis inimica. Ac de prudentia quidem, quam vult imitari malitia: itemque de justitia, quæ semper est utilis, disputatum est. Reliquæ sunt duæ partes hone-

Multa quæ honesta natura videntur esse, temporibus fiunt non honesta) Hinc Zeno apud Diogenem Laertium in ejus vita præcipit esse *τα μεν καθηκοντα ανευ περιστασεως, τα δε περιστατικα*, quæ ineptissime vertit interpres Latinus *officia alia calamitatis expertia, alia calamitosa*. Vertes, alia sunt *officia sine temporis ratione*, alia officia *ex tempore*. Officia sine temporis ratione, in quibus temporis ratio non habetur, sunt per se honesta, in quibus effulget ipsum honestum, semper præstanda: *officia ex tempore*, sunt quæ cum alias honesta sunt, fiunt tamen tempore, seu per temporis rationem, hoc est, ut nunc loquuntur in scholis Philosophorum, propter circumstantias temporis, non honesta, de quibus hoc loco disputat Cicero, & superius disseruit lib. I. cap. 10. ubi vide quæ notavi. Sic etiam bona distinguit Seneca epistola 66. *Quædam prima bona, tanquam gaudium, pax, salus patriæ: quædam secunda in materia infelici expressa, tamquam tormentorum patientia, & in morbo gravi temperantia*. Sic etiam est apud doctores civilis doctrinæ *περιστατικη* prudentia, quæ salutis reipublicæ caussa suadet interdum aliquid facere, quod aliter non faceremus, nisi necessitas hoc exigeret reipublicæ, &, si faceremus, esset iniquum & impium. Sic Epictetus apud Arrianum lib. IV. docet: Των *πραττομενων τα μεν προηγουμενως πραττεται, τα δε κατα περιστασιν, τα δε κατ' οικονομιαν, τα δε κατα συμπεριφοραν, τα δε κατ' ενστασιν*. Hoc est, ex interpretatione H. Wolfii: *Eorum quæ aguntur, partim præcipue spectantur, partim fiunt ratione temporis, partim certo consilio, partim obsequii caussa, partim ex instituto vitæ*. Hoc Seneca dicit *tempori se aptare*, in loco insigni apud Lactantium Institut. III. 15. *Faciet sapiens, & quæ non probabit, ut etiam ad majora transitum inveniat: nec relinquet bonos mores, sed tempori se aptabit: ut quibus alii utuntur in gloriam, aut voluptatem, utatur agendæ rei caussa. Omnia quæ luxuriosi faciunt, quæque imperiti, faciet & sapiens, sed non eodem modo, eodemque proposito*; vide & superius cap. 4. hujus libri, & quæ ibi notavimus. Græv.

Quæ videntur . . . contra justitiam simulatione) Forte, *quæ videntur esse utilitates contra justitiam, & simulatione prudentiæ*: nam de utilitatibus, quæ videntur tum *Justitiæ*, tum *Prudentiæ* repugnare, Cicero in præcedentibus capitibus dixerat: & in proxime sequentibus addit, *de prudentia quidem, quam vult imitari malitia: itemque de justitia, quæ semper est utilis disputatum est*. Vbi videt lector ea disjungi, quæ itidem in loco, quem expendimus, disjungi fortasse debuerint. Pearce.

Cum docebimus) Legendum: *in iisdem versabimur & docebimus*, h. e. tenebimus, & exsequemur propositum & institutum ordinem. I. Fr. Gronov. In Grævii secundo est: *in eisdem*

honeſtatis, quarum altera in animi excellentis magnitudine & præſtantia cernitur, altera in conformatione & moderatione continentiæ & temperantiæ.

26. Vtile videbatur Vlyſſi, ut quidem poetæ tragici prodiderunt, nam apud Homerum, optimum auctorem, talis de Vlyſſe nulla ſuſpicio eſt: ſed inſimulant eum tragœdiæ, ſimulatione inſaniæ militiam ſubterfugere voluiſſe: non honeſtum conſilium, at utile (ut aliquis fortaſſe dixerit) regnare, & Ithacæ vivere otioſe cum parentibus, cum uxore, cum filio. Vllum tu decus in quotidianis periculis & laboribus cum hac tranquillitate conferendum putas? Ego vero iſtam contemnendam, & abjiciendam: quoniam, quæ honeſta non ſit, ne utilem quidem eſſe arbitror. Quid enim auditurum putas fuiſſe Vlyſſem, ſi in illa ſimulatione perſeveraſſet? qui cum maximas res geſſerit in bello, tamen hæc audiat ab Ajace:

Cuju' ipſe princeps jurisjurandi fuit,
Quod omnes ſcitis, ſolus neglexit fidem.
Furere aſſimulavit, ne coiret inſtitit.

Quod

dem verſabuntur, cum docebimus. GRÆV.

In conformatione & moderatione continentiæ &c.) *Moderatio*, *continentia*, & *temperantia* ſunt officia ſive virtutes (ut videre eſt in I. 40. & Tuſc. diſp. III. 8.) Vnde Noſter c. 33. *quæ decore, moderatione, modeſtia, continentia, temperantia continetur.* Vide etiam I. 28. Legendum igitur cenſeo, *in conformatione moderationis, & continentiæ, & temperantiæ.* Dicit in V. 6. de Fin. *Inventa vitæ via eſt, & conformatio omnium officiorum.* PEARCE.

Nam apud Homerum) *Homeri* nomen hîc expunxi. Faciebat enim elumbem & anhelantem orationem; accedit, quod in omnibus libris non eodem loco erat collocatum, quæ res ſemper mihi ſuſpecta eſt. Interim monendum hîc Ciceronem negligere, id quod ab Ariſtotele in Poeticis recte annotatum eſt: non omnia a Poeta referri debere. Cum enim Homerus laudes Vlyſſis celebret, extra rem faciat, ſi vitia ejus recenſeat. Quamquam dum odium inter Palamedem & Vlyſſem commemorat, poteſt huc reſpexiſſe. CAR. LANG. Cur Homerus hujus rei non meminerit vide apud P. Victor. Var. lect. VII. 19. GRÆVIVS.

Tamen hæc audivit) *Audiat*, Victorius, Langius, & noſtri libri MSi omnes. FR. FABRIT. Quidam viri docti credunt verſus ſenarios, qui ſequuntur, deſumtos fuiſſe ex Pacuvii tragœdia, vocata, *judicium armorum.* Ad hos autem videtur reſpexiſſe Ovidius in Metam. XIII. 35. ubi hæc etiam Vlyſſes audit ab Ajace,

Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille,
Vltima qui cepit, detrectavitque furore
Militiam ficto; donec ſolertior illo
&c. PEARCE.

Neglexit fidem) Sc. Fidem ejus jurisjurandi, cujus ipſe princeps fuit, ſive auctor. IDEM.

Furere ſe ſimulavit) *Furere aſſimulavit* noſtri libri cum vulgatis habent, & verſui melius convenit. *Coiret* autem

Quod ni Palamedis perspicax prudentia
Istius percepset malitiosam audaciam,
Fide sacratum jus perpetuo falleret.

Illi vero non modo cum hostibus, verum etiam cum fluctibus, id quod fecit, dimicare melius fuit, quam deserere consentientem Græciam ad bellum barbaris inferendum. Sed dimittamus & fabulas, & externa; ad rem factam nostraque veniamus. M. Atilius Regulus, cum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset, duce Xantippo Lacedæmonio, imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare, juratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Pœnis

tem est, cum reliquis Græcis ad Troiam proficisceretur, cujus loco, *quo iret*, vulgo mendose legitur. FR. FABRIT.

Ne coiret) Male quidam scripserunt, *ne quo iret*. Nam illud *εν τω αγερμω*, hoc est, *in concilio principum Græciæ actum est*. Aristotel. in Poeticis. C. LANG.

Istius percepset malitiosam) Quemadmodum apud Terentium *ejus*, & *Deos* monosyllaba sunt ubique, simili contractione *istius* fit dissyllabum. ERASMVS. Vide Bentleii schediasma de metris Terentianis, suæ Terentii editioni præfixum. Ad sequentem igitur modum hujus versus senarii membra dividenda sunt,

Istius : percep : set mali : tiosam : auda : ciam. PEARCE.

Fide sacratum jus) Quidam libri, *fides sacratæ*, ut sit vetus genitivus: alii, *fide sacrata*, versus sunt ex Pacuvii judicio armorum. C LANG. *Fides sacratæ*) Sic est in Manutianis & Langianis, ut *fides* sit vetus genitivus, sicut & *fide*, veteres, pro *fidei* dixerunt, ut Charisius lib. I. admonet; itaque hic in plerisque nostrum legitur, *fide sacratæ*. Victorius edidit, *fide sacratum*. FR. FABRIT.

Sed dimittamus fabulas, & externa: ad rem factam, nostraque veniamus) Ita legitur hic locus in libro MSo, cum a vulgatis codicibus partim absit verbum *factam*, partim habeant *factaque*, quæ lectio non ita probatur. F. VRSIN. *Ad rem, nostraque veniamus*) In Manutianis est, *ad rem factaque veniamus*: nostri omnes cum Victorianis, & Langianis plena *αντιθεσει* habent, *ad rem factam nostramque veniamus*. FR. FABRIT. Sic quidem & meus secundus, sed tamen mallem eum Vrsini codice *ad rem factam, nostraque*, ut opponantur iis, *dimittamus & fabulas & externa*. GRÆV.

Ad rem factam nostramque veniamus) Ita Cicero veterumque plurimi fidentissime de Regulo. Sunt tamen inter doctos horum temporum, qui utique ex Polybii silentio, levibusque apud veterum nonnullos in hac re discrepantiis, insignem hanc de Regulo historiam elevant, fabulisque totam accensent. Iis se ducem præbuit doctissimus vir Iac. Palmerius in Exercit. p. 152. Cujus tamen aliorumque in hoc argumento subtilitates omnes dissipari facile possent, si dedita opera id egerimus. CHAPMAN.

Imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare) I. e. *imperatore Pœnorum*; nam eos solos tum temporis hostes *in Africa* habuerunt Romani. Tres sibi constituerant Pœni imperatores, Hamilcarem, Hasdrubalem, & Bostarum, (vide Polybium Lib. I.) qui communi sententia Xantippo Lacedæmonio *τας δυναμεις ενεχειρισαν*, sive permiserunt, ut Carthaginiensium copias contra Romanos duceret. Videtur autem Cicero ideo solum Hamilcarem nominasse, quod Hannibalis in historia Romana notissimi pater esset. PEARCE.

Fal-

Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipse Karthaginem: is cum Romam venisset, utilitatis speciem videbat, sed eam, ut res declarat, falsam judicavit: quæ erat talis, manere in patria, esse domi suæ cum uxore, cum liberis: quam calamitatem accepisset in bello, communem fortunæ bellicæ judicantem, tenere consularis dignitatis gradum; quis hæc neget esse utilia? quem censes? magnitudo animi & fortitudo negat.

27. Num locupletiores quæris auctores? Harum enim est virtutum proprium, nil extimescere, omnia humana despicere, nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare; itaque quid fecit? In senatum venit, mandata exposuit, sententiam ne diceret recusavit: quamdiu jurejurando hostium teneretur, non esse se senatorem. Atque

Falsam judicavit, quæ erat talis) Tres voces, *quæ erat talis*, a grammatista assutas, detraxi: quamvis in omnibus exempl. legantur. Quin libenter sic legerim, *utilitatis speciem videbat; sed, ut res declarat, falsam. Manere* &c. C. LANG. *Quæ erat talis*) Has tres voces jussi olim aliis litteris imprimi, approbata Langii conjectura, qui eas putat esse alienas; ego tamen, quod ille fecit, non sum ausus eas expungere, propterea quod reperi in nostris veteribus libris omnibus. Iidem libri habent paullo post, *domui suæ*, ut & Langiani: ubi vulgati, quos secuti sumus, *domi suæ*, non pugnaturi, si quis huic vulgatæ anteponat scripturam antiquam. LAMBIN.

Esse domi suæ) Non hîc tantum, sed etiam in Philipp. *domui suæ*; & in Tuscul. *domui alienæ*, scribitur. C. LANG. Optimus liber noster cum Langianis, & Lambinianus habet, *domui suæ*, de quo vide Annotationes nostras in Tuscul. I. FR. FABRIT. In meo tamen primo, in quo post ingentem lacunam pauca, quæ supersunt in hoc libro habentur, *domi suæ*. In lib. IV. ep. 7. ad Marcellum: *Nonne mavis sine periculo domi tuæ esse, quam cum periculo alienæ?* GRÆVIUS.

Quem censes?) *Quem censes?* elegans locutio. Terent. And. act. V. sc. II. C. LANG. *Quis hæc neget esse utilia quæ censes*) Videtur legendum ex libro manuscr. F. URSIN. *Quem censes?* & meus primus præ se fert. Apud Terentium est, *quid illum censes?* sc. facere. Sed *quem censes?* sc. esse Atilium, quid dices de Attilio? Gryphii tamen, & Lambini edd. *quid censes?* GRÆV. *Quæ censes, magnitudo animi* &c.) Sensus est; Magnitudo animi & fortitudo negat ea, quæ censes esse utilia, in utilium numero posse venire. Quidam libri habent, *quid censes?* alii, *quem censes?* Sed hæc lectio, quam sequor, inest in edit. Mogunt. & Rom. itemque in MSis octo meis, & quatuor Oxoniensibus. PEARCE.

Quamdiu jurejurando hostium teneretur, non esse se senatorem) Hoc etiam affirmant ICti. Pomponius lib. XXXVII. ad Q. Mutium D. de Captiv. & Postlim. l. 3. §. 3. *Captivus autem si a nobis manumissus fuerit, & pervenerit ad suos, ita demum postliminio reversus fuisse intelligitur, si maluit eos sequi, quam in nostra civitate manere. Et ideo in Attilio Regulo, quem Carthaginienses Romam miserant, responsum est, non esse eum postliminio reversum; quia juraverat Carthaginem reversurum, & non habuerat animum Romæ remanendi.* Inde etiam ex decem captivis pro commuta-

Atque illud etiam (o stultum hominem, dixerit quispiam, & repugnantem utilitati suæ!) reddi captivos, negavit esse utile: illos enim adolescentes esse, & bonos duces, se jam confectum senectute; cujus cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt, ipse Karthaginem rediit, neque eum caritas patriæ retinuit, nec suorum. Neque vero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem, & ad exquisita supplicia proficisci: sed jusjurandum conservandum putabat. Itaque tum, cum vigilando necabatur, erat in meliore causa, quam si domi senex captivus, perjurus, consularis remansisset. At stulte, qui non modo non censuerit captivos remittendos, verum etiam dissuaserit. Quomodo stulte? etiam ne si reipub. conducebat? potest autem, quod inutile reipub. sit, id cuiquam civi utile esse?

28. Pervertunt homines ea, quæ sunt fundamenta naturæ, cum utilitatem ab honestate sejungunt, omnes enim expetimus utilitatem, ad eamque rapimur, nec facere aliter ullo modo possumus; nam quis est, qui utilia fugiat? aut quis potius, qui ea non studiosissime persequatur? sed quia nusquam possumus, nisi in laude, decore, honestate utilia reperire, propterea illa prima & summa habemus: utili-

mutatione Romam missis, ab Hannibale, ut est apud Gellium VII. 18. octo, cum ab amicis orarentur, ne ad hostes redirent, postliminium justum non esse sibi responderunt, quoniam dejurio devincti erant, duo, qui solutos se religione dicebant, quoniam cum egressi castra hostium fuissent, commenticio consilio regressi eodem die, tamquam aliquid forte reliquissent, ac ita jurejurando se defunctos existimaverunt, ob fraudulentam istam calliditatem, non solum a civibus contemnerentur, sed & a Censoribus damnis & ignominia afficerentur. Betuleius.

Reddi captivos negavit) At antea Cicero de Regulo dixerat, *sententiam ne diceret, recusavit* &c. Qui igitur hæc cum illis conciliandа sunt? Scilicet Regulus cum in senatum venisset & mandata exposuisset, sententiam ne diceret recusavit, & e senatu exivit, tandem vero a Principe senatus coactus, permittentibus etiam legatis Carthaginiensium, in senatum reversus sententiam ita dixit, ut captivos reddendos esse dissuaderet. Pearce.

Ad exquisita supplicia) Vide Gellium VI. Noct. Att. 4. Betuleius.

Cum vigilando necabatur) *Tuditanus illum somno diu prohibitum, atque ita vita privatum refert*, ut ait A. Gellius VI. 4. Hunc igitur historicum secutus est Cicero, cum alii Regulum alio modo periisse memorarunt. Pearce.

Potest autem, quod inutile reip. sit, id cuiquam civi utile esse) Sicut nemini potest esse utile, quod inutile generi est humano: sic nec civi potest prodesse, quod nocet civitati, quia pars est civitatis, quod toties inculcat M. Antoninus Imperator in libris *των εις ἑαυτον*, Græv.

Quam

utilitatis nomen non tam splendidum, quam necessarium ducimus. Quid est igitur, dixerit quis, in iurejurando? num iratum timemus Iovem? At hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modo, qui deum nihil habere ipsum negotii dicunt, & nihil exhibere alteri: sed eorum etiam, qui deum semper agere aliquid, & moliri volunt, numquam nec irasci deum, nec nocere. Quid autem iratus Iupiter plus nocere potuisset, quam nocuit sibi ipse Regulus? nulla igitur vis fuit religionis, quæ tantam utilitatem præverteret. An ne turpiter faceret? Primum, minima de malis. Num igitur tantum mali turpitudo ista habebat, quantum ille cruciatus? deinde illud etiam apud Accium,

Fregisti fidem; neque dedi, neque do infideli cuiquam.

Quamquam ab impio rege dicitur, luculente tamen dicitur. Addunt, etiam, quemadmodum nos dicamus, videri quædam utilia, quæ non sint: sic se dicere, videri quædam honesta, quæ non sint: ut hoc ipsum videtur honestum,

Quam necessarium) Propter humanam indigentiam. IDEM.

Numquam nec irasci Deum, nec nocere) Est hoc dogma Stoicorum, ut vel ex plurimis Senecæ locis constat. *Quædam sunt*, inquit II. de Ira, 27. *quæ nocere non possunt, nullamque vim nisi beneficam, & salutarem habent, ut dii immortales, qui nec volunt obesse, nec possunt. Natura enim illis mitis & placida est, tam longe remota ab aliena injuria, quam a sua. Dementes itaque, & ignari veritatis illis imputant sævitiam maris, immodicos imbres, pertinaciam hyemis: cum interim nihil horum, quæ nobis nocent prosuntve, ad nos proprie dirigatur. Non enim nos caussa mundo sumus hyemem æstatemque referendi, suas ista leges habent, quibus divina exercentur, nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur.* Vide quoque contra Epicurum disputantem IV. de Benefic. 4. IDEM.

Quæ tantam utilitatem præverteret) Optimi libri habent, *præveniret*, hoc est occuparet; ut supra de Panætio, *nisi aliquis casus consilium ejus prævenisset*, quamvis ibi malim, *peremisset*; posset & *præverteret*, legi. C. LANG.

Quæ tantam utilitatem præverteret) In libris vulgatis est, *perverteret*, pro quo Langius ex optimis libris suis, *præveniret*, reposuit. Sed *prævertere* est prævenire, & anteponere, ut Nonius exemplis demonstrat, quod verbum ex Philippica secunda sustulerunt, ubi antiquissimus liber Vaticanus habet: *Sed incidi in id tempus, quod iis rebus, in quas ingressa erat oratio, prævertendum est*, i. de quo prius mihi loquendum est, quam de iis rebus, de quibus cœperam loqui, ut Faernus exponit. FR. FABRIT. *Præverteret* habet MSus Reg. tertius; ceteri fere omnes *perverteret*. PEARCE.

Fregisti ne fidem. Neque dedi, neque do infideli cuiquam) *Ne* non legitur in meo primo: recte: ex eodem rescripsi *apud Accium* cum vulgo legatur apud *Attium*. De hoc Accii loco disputat luculente Grotius II. de Iure Belli & Pacis cap. 13. §.16. & III. 19. §. 13. GRÆVIUS.

Sic se dicere videri) Grævii primus: *sic se videre dici*. IDEM.

Quod

stum, conservandi jurisjurandi causa ad cruciatum revertisse: sed sit non honestum: quia, quod per vim hostium esset actum, ratum esse non debuit. Addunt etiam, quidquid valde utile sit, id fieri honestum, etiam si antea non videretur. Hæc fere contra Regulum. Sed prima videamus.

29. Non fuit Iupiter metuendus, ne iratus noceret, qui neque irasci solet, neque nocere. Hæc quidem ratio non magis contra Regulum, quam contra omne jusjurandum valet; sed in jure jurando, non qui metus, sed quæ vis sit, debet intelligi; est enim jusjurandum affirmatio religiosa; quod autem affirmate, quasi deo teste, promiseris, id tenendum est: jam enim non ad iram deorum, quæ nulla est: sed ad justitiam, & ad fidem pertinet; nam præclare Ennius:

O fi-

Quod per vim hostium esset actum) *Hostium* videtur delendum. Sic enim edicebat prætor: *quod vi metusque caussa gestum est, ratum non habebo*, leg. D. *quod metus caussa*. I. Fr. Gronovius.

Ne iratus noceret, qui neque irasci solet) Vt scilicet homines solent irasci: sed irascitur ut judex, qui sine ira punit nocentes; vide Grotium II. de Iure Belli & Pacis cap. 13. Grævius.

Non qui metus, sed quæ vis sit) Alio prorsus sensu *metus* & *vis* usurpatur, cum dicitur aliquis jurasse *vi*, aut *metu* coactus. Illum Cicero hîc voluit *metum* deorum, quo quis violati jurisjurandi pœnam expectet. Voce etiam *vis* intelligenda est jurisjurandi vis & proprietas ad obligandum. Pearce.

Affirmatio religiosa) Videtur ab Aristotele accepisse hanc definitionem, qui in Rhetor. ad Alexandrum c. 18. Ὅρκος ἐστι μετα θειας παραλήψεως φασις αναποδεικτος, *Iusjurandum est adfirmatio invocato Deo probationis expers*. I. Fr. Gronov. Vide Grotium de hoc argumento copiose disputantem II. de Iure Belli & Pacis c. 13. Græv.

Quasi Deo teste) Vox *quasi* non semper dubitantis est, aut concedentis id, quod dicitur, non proprie & vere dici: *quasi Deo teste* idem hîc videtur valere, quod quasi præsente promittenti Deo; ita præsente, ut testis adesse solet iis rebus, de quibus testatur. Pearce.

Ad iram deorum, quæ nulla est) Hoc videtur Ciceronis esse non affirmantis, sed argumenti caussa concedentis: *quæ nulla est*, sc. ut is dicit, qui Reguli factum oppugnat; vel, ut isti philosophi dicunt, ad quos iste modo provocavit. Constat sane Ciceronem (nisi in iisdem libris a se ipse dissenserit) non ipsum ea fuisse sententia. Nam in II. 3. dicit, *deos placatos pietas efficiet & sanctitas*: hoc vero qui dicit, satis indicat deos impiis iratos esse. Ita etiam in Or. pro Rosc. Com. c. 16. *Dii immortales hominibus irasci & succensere consuerunt*. De Leg. II. 8. *Divorum iras providente*: c. 9. *impius ne audeto placare donis iram deorum*. Multa alia hujusmodi proferri possent ex Ciceronis Orat. & libris philosophicis: sed nihil hanc meam interpretationem magis firmat, quam quæ supra adduxi ex hujus operis II. 3. Fortasse tamen scripsit Cicero, *quæ nulla sit*. Idem.

Apta

O fides alma, apta pinnis, & jusjurandum Iovis!
Qui igitur jusjurandum violat, is Fidem violat, quam in Capitolio vicinam Iovis Opt. Max. (ut in Catonis oratione est) majores nostri esse voluerunt. At enim ne iratus quidem Iupiter plus Regulo nocuisset, quam sibi nocuit ipse Regulus. Certe, si nihil malum esset, nisi dolere. Id autem non modo non summum malum, sed nec malum quidem esse, maxima auctoritate philosophi affirmant: quorum quidem testem non mediocrem, sed haud scio an gravissimum, Regulum, nolite, quæso, vituperare; quem enim locupletiorem quærimus, quam principem populi Rom. qui retinendi officii causa cruciatum subierit voluntarium? Nam quod ajunt, minima de malis, id est, ut turpiter potius, quam calamitose: an est ullum majus malum turpitudine? quæ si in deformitate corporis habet

Apta pinnis) Plerisque simulacris deorum, ut Victoriæ, ut Famæ affingebant alas: ut deos ubique præsto esse indicarent. *Apta* autem *pinnis* est πτεροεσσα. Apuleius Apologia: *Si verba ita, ut poetæ ajunt, pinnis apta vulgo volarent*. Expressit autem illud Homericum επεα πτεροεντα. MVRET. Fides in nummis conspicitur mulier sedens avem manu tenens, sive is sit turtur, sive cornix, sive alia, sed numquam conspicitur alata. Horatius canit fidem fuisse velatam albo panno, ideoque & *cana* dicitur Virgilio. GRÆV. De fidei statua alata hæc dicta esse videntur; atque ita ea intellexisse Apuleium Muretus docet. Per voces *pinnis apta* intellige, pinnis conjuncta & colligata, seu potius quæ pinnas sibi conjunctas habet: nam *apere* antiqui dicebant pro *conjungere*. Sic Virg. Æn. IV. 482. *Axem stellis ardentibus aptum*. Et Lucret. V. 538. *Conjunctam, atque uniter aptam*. V. 1427. *Vestis signis ingentibus apta*. De hoc vero loco quiddam amplius dicendum esse videtur. Neque enim, quia Fides *alma est*; nec quia *apta pinnis*, nec quia *jusjurandum Iovis* in eodem versu cum *Fide* invocatur, hoc sequitur (quod tamen Cicero colligit) *qui igitur jusjurandum violat, is Fidem violat*. Aut igitur in his Ennianis mendum aliquod inest; aut, hunc solum versum cum Cicero citaret, etiam ad versus eum sequentes respexit. Obiter hic notandum est, MSum Reg. tert. habere *alta* pro *apta*; unde videat lector similiter potuisse *aptitudo* in *altitudo* mutari errore librariorum; de quo vide Not. ad I. 25. PEARCE.

Iusjurandum Iovis) Iovi tribuitur κατ' ἐξοχὴν, quia Iupiter credebatur vindex esse jurisjurandi. Sil. Ital. l. IX. *Iuratumque Iovi fœdus*. GRONOV. Hinc & ζευς ὁρκιος, & ζευς πιςιος Græcis. Iupiter jurisjurandi vindex, & Iupiter Fidius. GRÆV.

Quam in Capitolio) Vide Manutium. IDEM.

Nisi dolor) Sic edidit Langius, nostri MSi cum aliis vulgatis habent, *nisi dolore*. FR. FABRIT.

Id non modo non summum malum, sed nec malum quidem esse.) Vide Senec. ep. 78. GRÆV.

Nam quod ajunt minima de malis) Liber ille Maguncia censis habet hunc in modum: *Nam qui ajunt, minima de malis, hi, ut turpiter potius quam calamitose*, quæ scriptura mihi non displicet. C. LANG.

Solum

bet aliquid offensionis, quanta illa depravatio & fœditas turpificati animi debet videri? Itaque, nervosius qui ista disserunt, solum audent malum dicere id, quod turpe sit: qui autem remissius, hi tamen non dubitant summum malum dicere. Nam illud quidem,

Neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam:

idcirco recte a poeta; quia, cum tractaretur Atreus, personæ serviendum fuit. Sed si hoc sibi sumunt, nullam esse fidem, quæ infideli data sit, videant, ne quæratur latebra perjurio. Est autem jus etiam bellicum, fidesque jurisjurandi sæpe cum hoste servanda. Quod enim ita juratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est: quod aliter; id si non feceris, nullum est perjurium; ut, si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si juratus quidem id non feceris; nam pirata non est perduellium numero definitus: sed

Solum audent malum dicere id, quod turpe sit) Meus primus, *solum audent malum id, quod turpe sit*, omisso τῷ *dicere*, quod ex sequentibus verbis videtur repetendum esse. Græv.

Do fidem infideli) Vox *fidem* abest a quatuor Manutianis, a plerisque Oxoniensibus, a tribus Regiis, multisque aliis: sed cum necesse sit, ut hæc vox subintelligatur, locus illi hîc concedendus esse videtur. Pearce.

Sed si hoc sibi sumunt) Hæc est lectio Manutiana, alii legunt, *sed si hoc sibi sumunt*, quod nostri libri MSi probant. Fr. Fabric. In Grævii primo, *si hoc sibi sument*. Græv.

Fidesque jurisjurandi sæpe cum hoste servanda) Sic Plaut. *Nonne ego te vidi osculantem cum ancilla & amplexantem*. C. Lang. *Sæpe cum hoste servanda*) Hæc est omnium veterum librorum scriptura, quam cum etiam primæ impressionis libri integram conservent, Manutii sine causa immutarunt, &, *sæpe hosti servanda*, reposuerunt. Sic enim Philippica VII. dicitur, *cum his pacem servabit Antonius?* Versu sequent. *Id servandum est*, nostri omnes cum Victorianis, Langianis, & aliis probant. Fr. Fabric.

Pactum pro capite non attuleris) Meus primus: *pactum pro capite pretium non attuleris*, quod valde probo. Græv.

Ne si juratus quidem id feceris) Refellit hanc sententiam Grotius II. de Iure Belli & Pacis §.15. quia non solum his juratur, cui jurant, sed & Deo, per quem juratur, cujus majestas sufficit ad pariendam obligationem. Sed Grotium refutat & Ciceronem defendit Puffendorfius lib. IV. de Iure naturæ & gentium cap. 2. §.9. Idem.

Pirata non est ex perduellium numero definitus) Sic & meus primus. Omnes hîc silent interpretes, nec tamen quisquam exposuerit, quid sit *ex numero piratarum definiri*. Excerpta Pithœi, & meus secundus omittunt *ex*, leguntque, ut omnino legendum est: *pirata non est perduellium numero definitus*, non est relatus in certorum, & justorum hominum numerum: de Orat. *Genera esse definita non solum numero, sed etiam paucitate*; & I. ad Heren. *Si unamquamque rem certo naturæ termino definiemus*: lib. II. de Orat. *Philosophi causam, controversiamque appellant, eamque tribus litteris, aut deliberatione, aut laudatione definiunt*. Sic semper loquuntur veteres. Et sane si ad illorum consuetudinem accom-

ſed communis hoſtis omnium: cum hoc nec fides debet, nec jusjurandum eſſe commune. Non enim falſum jurare, perjurare eſt; ſed, quod ex animi tui ſententia juraris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere perjurium eſt. Scite enim Euripides:

Iuravi lingua, mentem injuratam gero,

Regulus vero non debuit conditiones pactioneſque bellicas & hoſtiles perturbare perjurio; cum juſto enim, & legitimo hoſte res gerebatur; adverſus quem & totum jus fetiale, & multa ſunt jura communia, quod ni ita eſſet, numquam claros viros ſenatus vinctos hoſtibus dedidiſſet.

30. At vero L. Veturius & Sp. Poſtumius, cum iterum conſules eſſent, quia, cum male pugnatum apud Caudium eſſet, legionibus noſtris ſub jugum miſſis, pacem cum Samnitibus fecerant, dediti ſunt his: injuſſu enim populi ſena-

commodare velimus orationem, aut *ex* delendum, aut *definitus*. Sic *homo ex numero deſertorum* apud Tullium. Sed *ex* ex *τω eſt* videtur natum eſſe. GRÆVIUS. Præpoſitionem *ex* habent editiones Mogunt. Rom. Victorii, omneſque fere veteres: tum etiam MSi pene omnes, quotquot excuſſi fuerint. Senſus eſt; Non definitus eſt is, eſſe ex numero perduellium, ſed eſſe communis hoſtis omnium. *Definiri numero*, pro *in numerum referri*, non probari mihi videtur exemplis a Grævio citatis, ſatis latine dici. PEARCE.

Perjurare eſt) Omnes libri MSi *perjurare*, & hoc loco & in aliis ſcriptoribus perſæpe, vide Priſcian. paullo poſt, *ſed quod ex animi tui ſententia juraveris*, corrupte quidam libri *ex animi tui ſcientia*. Eſt enim ſollemnis locutio, ut in Academ. *Quam rationem etiam majorum comprobat diligentia, qui primum jurare ex animi ſententia quemque voluerunt: deinde ita teneri, ſi ſciens falleret*. Liv. XXII. *Ex mei animi ſententia juro, ut ego remp. non deſeram, nec alium civem deſerere patiar*. Vide Gell. lib. IV, cap. ult. & Lipſium lib. I. c. 1. Var. lect. C. LANG. *Perjurare eſt*) *Pejerare*, eſt in vulgatis. *Perjurare*, ut Lambinus edidit, in duobus MSis optimis. Utitur eo verbo Plautus ſæpe: ut in Aſinaria, *pernegabo, atque obdurabo: perjurabo denique*; & Mercatore, *verum homo perjurabit*: & Bacchidibus, *ne perjurem cura*; & Ciſtellaria, *perjurare me patiere?* FR. FABRIT.

Quod ex animi ſui ſententia juraris &c.) Id eſt; Is non perjurat, qui ita juravit, ut eodem tempore, quo juraret, id jusjurandum non ſervandum eſſe exiſtimaret. Solum enim (ut paullo ante Noſter dixerat) *quod ita juratum eſt, ut mens conciperet id fieri oportere, id ſervandum eſt*. Sed Grotio & Puſendorfio recte videtur Cicero hîc male de hujuſmodi juramentis ſtatuere. Vide Grotium de I. B. & P. II. 15. & Puſendorf. de I. N. & G. IV. 2. 9. PEARCE.

Cum juſto enim & legitimo hoſte) Vide Grotium III. de Iure Belli & Pacis c. 3. §. 1. GRÆV.

Injuſſu enim populi, ſenatuſque fecerunt) Hinc habebatur magis a ſenatu pro ſponſione, quam pro pactione, aut fœdere. Ideoque ſponſores non locupletes dediderunt hoſtibus. Quod autem ſit diſcrimen inter ſponſionem, pactionem, & fœdus docet Grotius II. de

ſenatuſque fecerant, eodemque tempore Ti. Numicius, Qu. Mælius, qui tum tribuni plebis erant, quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti ſunt, ut pax Samnitium repudiaretur. Atque hujus deditionis ipſe Poſtumius, qui dedebatur, ſuaſor & auctor fuit; quod idem multis annis poſt C. Mancinus, qui ut Numantinis, quibuſcum ſine ſenatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem ſuaſit eam, quam L. Furius, & Sex. Atilius ex S. C. ferebant: qua accepta eſt hoſtibus deditus. Honeſtius hic, quam Qu. Pompeius, quo, cum in eadem cauſa eſſet, deprecante, accepta lex non eſt; hic ea, quæ videbatur utilitas, plus valuit, quam honeſtas: apud ſuperiores utilitatis ſpecies falſa ab honeſtatis auctoritate ſuperata eſt: At

II. de Iure Belli & Pacis c. 15. IDEM.

T. Numicius Qu. Mælius) Libri vet. quotquot vidi, habent *Tiberius Minucius*, *Qu. Æmilius*: corrupte proculdubio. Quo modo *Q. Æmilius* patricius, tribunus plebis? neque enim memini, de Æmilia gente quemquam ad plebem tranſiiſſe. *Minucii* certe & ipſi patricii ad plebem aliquando tranſiiſſe exiſtimantur, adeoque tribuni plebis fuiſſe, id ex Livii diverſis locis colligunt. Sed ego de illis locis cum Sigonio ſentio, *Numicius*, legi debere. Neque enim mihi perſuadere poſſum ea tempeſtate tam vulgo nobiles ad plebem deſciviſſe: quod qua difficultate in Clodio inclinantibus jam tum rebus Romanis obtentum, docti norunt. Livius certe lib. IX. ubi hanc hiſtoriam late perſequitur, hos tribunos pl. *L. Livium Q. Mælium* appellat. Ego de loco Livii ampliandum cenſeo: hic nihil cunctabor *Tib. Numicius*, & *Q. Mælius* ſcribere. Nam *Tiberius Numicius*, *Q. Æmilius* in exemp. Maguntiacenſi integre extat. Fortaſſis in *L. Livii* nomine alios auctores Livius ſecutus ſit, ut alias non ſemel. Nam in tota hac hiſtoria neſcio quid ſuſpecta eſt Ciceronis narratio. C. LANG. *Ti. Numicius*, *Q. Mælius*) in omnibus libris, ut Langius quoque teſtatur, *Ti. Minucius*, *Q. Æmilius*, quæ nomina hic mendoſa eſſe, Car. Sigonius in Livii lib. IX. ſcribit: ubi tribuni pl. *L. Livius*, *Q. Mælius* nominantur; unde *Q. Mælium* in *Q. Æmilium* imperitia deſcribentium migraſſe, veri ſimile eſt. Æmilii enim patricii fuerunt, nec tribunatum pl. gerere potuerunt. *Minucios* omnes patricios fuiſſe, falſum, nam *Minucii Thermi* plebeji & tribuni pl. fuerunt: quod hiſtoriæ Romanæ ſtudioſis omnibus notum eſt, quare *Minucii* nomen retineri poteſt, atque in eo alios auctores Livius, alios Cicero ſequitur. FR. FABRIT. In Grævii primo. *Ti. Minurius Q. Æmilius*. GRÆV.

Qu. Pompeius) Intellige illum Pompeium, qui Conſul cum Cn. Servilio Cæpione an. V. C. DCXIII. infeliciter admodum res geſſit in Hiſpania contra Numantinos; & ab iis devictus pacem ignobilem fecit. Quippe deprecati fuerant Numantini apud Pompeium pro ſociis ſuis Segedenſibus; repulſam autem ægre ferentes, infeſtis animis vique magna Conſulem aggreſſi ſunt; dein fœdere turpi oblato, cum Romanos profligare potuiſſent, hoſtes ultro conditiones pacis acceperunt. At Pompeius, cum ei ſucceſſor Popilius adveniſſet, præfracte negavit pactionem ſibi ullam cum Numantinis interceſſiſſe: re vero per teſtes idoneos explorata Romæ, deprecando ille & gratia pœnam effugit. Vide Appian. Bell. Hiſp. p. 509. 510.

At non debuit ratum esse, quod erat actum per vim. Quasi vero forti viro vis possit adhiberi. Cur igitur ad senatum proficiscebatur, cum praesertim de captivis dissuasurus esset? Quod maximum in eo est, id reprehenditis; non enim suo judicio stetit, sed suscepit caussam, ut esset judicium senatus: cui nisi ipse auctor fuisset, captivi profecto Poenis redditi essent; ita incolumis in patria Regulus restitisset, quod quia patriae non utile putavit, idcirco sibi honestum & sentire illa, & pati credidit. Nam quod ajunt, quod valde utile sit, id fieri honestum: immo vero esse, non fieri; est enim nihil utile quod idem non

510. & Vell. Paterc. II. I. CHAPMAN.

At non debuit ratum esse, quod erat pactum per vim) Sic sane sentiebant & Philosophi & ICti: Seneca IV. Controv. 27. *An, si est in re vis & necessitas, ita tamen rescindantur, quae per vim & necessitatem gesta sunt, si vis & necessitas a paciscente adhibita est? Nihil, inquit, mea, an tu cogaris; si non a me cogeris, meam culpam oportet esse, ut mea poena sit. Non, inquit, neque enim lex adhibenti vim irascitur, sed passo succurrit: & iniquum illi videtur, id ratum esse, quod aliquis non quia voluit pactus est, sed quia coactus est. Nihil autem refert, per quem illi necesse fuit. Iniquum enim quod rescinditur facit fortuna ejus qui passus est, non persona facientis*. Martialis lib. XI. ep. 59.

Quid si me tonsor, cum stricta novacula supra est,
Tunc libertatem, divitiasque roget?
Promittam, nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat; res est imperiosa timor.
Sed fuerit curva cum tuta novacula theca,
Francam tonsori crura manusque simul.

Negat hoc Grotius & contendit vi aut metu extorta promissa ad praestandum promissum obligare, II. de Iure Belli & Pacis cap. 12. §. 7. sed refellitur a Pufendorfio III. de jure naturae & gentium cap. 6. §. 12. quem vide quoque libro IV. cap. 2. §. 8. GRAEV.

Quasi vero forti viro vis possit adhiberi) Haec non sunt inepta, nec Stoica, sed longe verissima & omnibus philosophis communia. Non hic loquitur de perfecto sapiente, sed de viro forti, etiam ex vulgo, qui non potest cogi si nolit. Cur enim tot silentio rerum creditarum immortui sunt in equuleo & atrocissimo cruciatu? quia cogi non poterant, quia hoc sibi imperarant, ne possent cogi. Nam

Animus humanus quidquid sibi imperat potest.

quod vel Publius Syrus non ignoravit. Nec aliter doctores Christiani aut in adhortationibus ad martyrium, aut in laudandis martyribus. Alioqui ipse Tullius poterat respondere ut jam superius responderat per jus bellicum ratum esse debere, quidquid cum justo & legitimo hoste pepigeras, licet vi aut metu mortis coactus fueris pacisci, quod aliter non fecisses. Hosti enim jus & fas est hunc metum mihi intentandi, quod si cogi nolo, patior quod intentat, si pati nolo, paciscor cum eo ad avertendum & declinandum quod intentat. Aliter se res habet cum latrone, & pirata, de quibus superius.

Imo vero esse non fieri) Hoc quoque certius ullo Delphici Apollinis responso. Nihil enim turpe natura potest utilitate magna proposita fieri utile: & hoc est quod Cicero hic vult & verissime inculcat: dura, quae utilitatis caussa suscipiuntur, non sunt turpia. Hoc

non honestum, nec quia utile, honestum est: sed quia honestum, utile. Quare ex multis mirabilibus exemplis, haud facile quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius, aut præstantius.

31. Sed ex tota hac laude Reguli unum illud est admiratione dignum, quod captivos retinendos censuerit; nam quod rediit, nobis nunc mirabile videtur, illis quidem temporibus aliter facere non potuit; itaque ista laus non est hominis, sed temporum; nullum enim vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt; id indicant leges in XII. tabul. indicant sacratæ, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notiones animadversionesque censorum, qui

Hoc est in scirpo nodum quærere. Grav. Supple *ego ajo id*: Sensus est: Illi dicunt id, quod utile est, inde fieri honestum: sive suam naturam ita mutare, ut honestum sit: Ego vero dico, non id *fieri* honestum, sed *esse*; sive honestum esse natura, non aliqua facta mutatione. Pearce.

Illis quidem temporibus aliter facere non potuit) Vide supra II. 22. *Quid ni laudetur? sed in illo alia majora. Laus enim abstinentiæ non hominis est solum, sed etiam temporum illorum*. Eodem modo in Bruto loquitur de oratoribus. Grav.

Nobis nunc mirabile videtur) Ita vulgo: sed melior est lectio *non mirabile videtur*, auctoritate septem MSorum meorum, & quinque Oxoniensium. Pearce.

Nullum vinculum ad adstringendam fidem majores arctius esse voluerunt) Vide Grotium II. de Jure Belli & Pacis c. 13. §. 1. Hierocles in aurea carmina Pythagoræ: Ὅρκος το αμφιβολον της ανθρωπινης προαιρεσεως εις βεβαιοτητα μεταρρυθμιζειν, και μενειν επι της ταυτοτητος αναγκαζειν, εν τοις λογοις και εργοις· τυτο δε μελλοντων γενησεσθαι το βεβαιον απαιτων. *Iusjurandum humana consilia, cum incerta sunt, ad constantiam revocare, atque in eodem instituto manere, sive de verbis, sive de rebus agatur; partim quidem eorum quæ gesta sunt veritatem demonstrans, partim etiam futurorum fidem atque constantiam firmans*. Grav.

Indicant sacratæ) Sic est in libris vetustis, & impressis plerisque omnibus. De legibus sacratis Cicero in Corneliana, *tanta*, inquit, *in illis virtus fuit, ut anno XVI. post reges exactos propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas ipsi sibi rogarent*, &c. In Manutianis editionibus legitur, *indicant sacra*, quod Marsus de sacrorum ritibus interpretatur. Fr. Fabric. Quidam *sacratas leges* eas dicunt, quas plebs jurata in sacro monte scivit: de quibus Livius II. 33. *Sunt qui duos tantum in sacro monte creatos Tribunos esse dicant, ibique sacratam legem latam per secessionem plebis*. Quidam eas leges *sacratas* appellant, quibus sancitum est, ut si quis adversus eas fecerit, sacer alicui Deorum, ut verbi gratia Cereri; quæque erant de plebis libertate. Proinde sacrosancta quædam in ea lege potestas erat, ut eam violari nefas omnino esset, idque capite expiaretur. Turnebus.

Indicant notiones) Sic edd. primæ, posteriores *notationes*: sed contra MSi, qui alterum catervatim tuentur, poniturque pro judicio & cognitione. Noster pro domo: *Omnis notio Pontificum esse debuit*. De provin. *Clodius censorium judicium, & notionem, ac morem illum severissimum sustulit*. Gruter.

Notio-

qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando, judicabant. L. Manlio, A. F. cum dictator fuisset, M. Pomponius tribunus plebis diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset; criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset, & ruri habitare jussisset: quod cum audivisset adolescens filius negotium exhiberi patri, accurrisse Romam, & cum prima luce Pomponii domum venisse dicitur; cui cum esset nuntiatum; qui illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo, remotisque arbitris ad se adolescentem jussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium distrinxit, juravitque, se illum statim interfecturum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum,. Iuravit hoc coactus terrore Pomponius; rem ad populum detulit, docuit, cur sibi causa desistere necesse esset; Manlium missum fecit; tantum temporibus illis jusjuran-

Notiones æque censorum fuerunt, ac *notæ*. Cic. in Pisonem; *Centum prope annos legem Æliam & Fusiam tenueramus: quadringentos judicium notionemque censoriam*. Gellius lib. XVII. 18. *In cujus historia notiones censorias fieri atque exerceri videmus*. Quid autem sit *notio*, docet Vlpianus l. 5. de re judicata: *Ait prætor: cujus de ea re jurisdictio est, Melius scripsisset: cujus de ea re notio est; etenim notionis nomen etiam ad eos pertineret, qui jurisdictionem non habent, sed habent de quavis alia caussa notionem*. I. FR. GRONOVIUS ad Liv. lib. XXVII. 25. ubi vide plura. GRÆV.

Ad dictaturam gerendam) Sic habent omnes fere nostri libri veteres; quod eo adscripsi, quod quidam deleruut vocem, *gerendam*: neque tamen reprehendo factum: nam fieri potest ut foris illata sit: & potest abesse; sed testatum volui, eam in libris manuscr. reperiri. LAMBIN.

Negotium exhiberi patri) Cum præcesserit *quod*, placet lectio MSi Pal. pr. *negotium exhibere patri*. Scilicet, cum adolescens audivisset illam criminationem negotium suo patri exhibere: ut in c.28. *Et nihil negotii exhibere alteri*. PEARCE.

Et cum prima luce) *Et prima luce*, habent libri omnes vulgati, & item aliquot manuscr. neque aliter edidit Langius: sed alii manuscripti, *& cum prima luce*; quod magis probo; sic enim loquebantur veteres. LAMBIN. *Et prima luce*) Omnes nostri libri scripti cum Victorianis habent, *& cum prima luce*, quod Lambinus in Adnotationibus probat. Sic epist. 3. lib. IV. ad Atticum: *Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus prope deviis currebat*. Terentius quoque in Adelphis act. V. scena 3. *Cum prima luce*, vel, ut Donatus legit, *cum primo luci*, dixit. Plautus in Cistellaria, *postea autem cum primo luci cras nisi ambo occidere*. Virgilius l. VII. Æneid. *Et primo læti cum lumine solis*. FR. FABRIC.

Quod illum iratum) Duo optimi libri, *qui illum iratum*. Ciceroniane. C. LANG.

Gladium distrinxit) Sic quidem MSi, sed mallem *destrinxit*. Aliud enim est *distringere*, nimirum distrahere, aliud *destringere*, ut superius notavimus. GRÆV.

randum valebat. Atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen invenit: cujus tertio consulatu Latini ad Veserim fusi, & fugati, magnus vir in primis, & qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium.

32. Sed, ut laudandus Regulus in conservando jurejurando, sic decem illi, quos post Cannensem pugnam juratos ad senatum misit Annibal, in castra redituros ea, quorum potiti erant Pœni, nisi de redimendis captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo; nam Polybius, bonus auctor in primis, scribit, ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, novem revertisse a senatu re non impetrata: unum ex decem, qui paullo post quam egressus erat e castris, redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romæ remansisse. Reditu enim in castra liberatum se esse jurejurando interpretabatur: non recte; fraus enim adstringit, non dissolvit perjurium. Fuit igitur stulta calliditas perverse imitata pru-

Ad Anienem Galli) *Quidam* libri *Anienum*: & ita a Nonio advocatur hic locus. In Eutropii etiam libris veter. *Anienum* observavi. C. Lang. *Qui ad Anienum Galli*) Sic esse in libris antiquis Langius admonet. Legitur eodem modo in Nonii libris, ubi docet Ciceronem hic, *torque detracto*, genere masculino dixisse. *Anienum* autem, seu *Anienem* fluvium Græci ἀνίωνα vocant. Fr. Fabrit.

Ad Veserim) Al. *Verserim*. C. Langius.

Qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium) Sic Nonius legit; & ita habent nostri aliquot libri manuscr. ubi vulgati, *acerbus & severus*. Nos libros veteres sequimur, & Nonium. Lambin. *Et qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus*) Hæc est vera lectio hujus loci, quam & libri veteres, & Nonius duobus locis, in *indulgere*, & *severum*, probant. In Manutianis mendose legitur, *& qui nuper indulgens in patrem, idem acerbus & severus in filium*. Fr. Fabrit.

Decem illi) Vide Livium lib. XXVII. 58. & sequentia, in primis cap. 61. Græv.

Se in castra redituros) In vetustissimo & alioqui optime exarato codice Trajectensi ad hunc modum legitur hic locus: *Sic decem illi quos post Cannensem pugnam juratus ad senatum in castra redituros ea, quorum erant . . . titi pœni*. C. Lang. *Se*, quod non extat etiam in duobus Palatinis, editione Romana 1469. nec in Moguntiaca, delendum recte censet: Gruterus.

Fraus enim adstringit non dissolvit perjurium) Corrupte legebatur, *distringit*, Dolus enim adstringit; contractus non dissolvit. C. Lang. *Fraus enim distringit, non dissolvit perjur.*) Nihil muto; sic enim habent omnes libri manusc. & vulg. quos vidi: præterea *distringere*, est diversis partibus stringere; longeque aliud significat, quam *destringere*, & prope contrarium: ut cum dicimus, *destringere ferrum*. Langius tamen legit hoc loco, *adstringit*: & ita

prudentiam. Itaque decrevit senatus, ut ille veterator & callidus vinctus ad Annibalem duceretur. Sed illud maximum: octo hominum millia tenebat Annibal, non quos in acie cepisset, aut qui periculo mortis diffugissent, sed qui relicti in castris fuissent a Paullo & Varrone consulibus: eos senatus non censuit redimendos, cum id parva pecunia fieri posset: ut esset insitum militibus nostris aut vincere, aut emori. Qua quidem re audita, fractum animum Annibalis scripsit idem, quod senatus populusque Romanus rebus afflictis tam excelso animo fuisset; sic honestatis comparatione ea, quæ videntur utilia, vincuntur. Acilius autem, qui Græce scripsit historiam, plures ait fuis-

& ita olim ediderunt operæ meo injussu, atque adeo me invito. LAMBIN. *Fraus enim distringit*) *Distringit*, id est, diversis partibus stringit, ut Lambinus annotat: non dissolvit, ut Langius putavit, qui, *astringit*, reposuit, quod tametsi in optimo libro manuscripto legatur, tamen *distringit* pro corrupto non est habendum, cum præsertim *districtus* cum obligato vicinitatem habeat: quod Asconius in Verrinam secundam ostendit. FR. FABRIT. *Distringit* editi fere: sed alterum extat in Palat. primo, in Fabritiano, in Langianis, & minus aures offendit quam *adstringit*: quod tamen propugnat Giffanius noster in observationibus suis Latinæ linguæ, quæ in adolescentum manibus versantur, vultque *distringere* interdum valere non dirumpere, aut dissolvere, sed aliquid resolutum aliter ligare ac distringere. GRUTER.

Eos senatus non censuit redimendos) Nescio qui fluctus in hoc quoque simpulo moveantur. Non Cicero tradit semper & ubique severitatem illam locum habere, aut etiam apud Romanos habuisse: sed docet illorum temporum, cum Roma esset sancta, hoc est, nondum luxu & divitiis corrupta, illam viguisse disciplinæ militaris severitatem, reipublicæ tum valde salutarem, (ea enim ad tantam virtutem excitabantur milites, qua terrarum orbem subegerunt, ut egregie Valerius Maximus aliique ostenderunt, cum scirent sacramento se teneri aut ad vincendum, aut ad moriendum) hosti vero perniciosam. Nam hoc inprimis secutum esse Senatum Populumque Romanum in non accipiendis redemtionis captivorum legibus, ut & declararet, nec tanta clade se posse permoveri ad captos pretio liberandos, quos peccasse judicarant, utque & fidem facerent hosti, se non laborare penuria post tantas strages civium. Itaque fregit hic excelsus populi Romani animus, quem animi parvi & istorum temporum mollitie & moribus omnia metientes non capiunt, Annibalis animum. Sunt hæc heroica facta, quæ pro illorum temporum statu laudabilia sunt, aliis temporibus reprehenderentur. GRAEV.

Cum id parva pecunia fieri potuisset) *Posset*, est in libris manuscriptis, & editis a Victorio. Poterant autem redimi tribus minis, vel HS CIↃ CC. ut scribit Polyb. lib. VI. ubi in Fragmentis historia hæc extat. FR. FABRIT.

Scribit idem) Vide Polybii historiam ad finem libri sexti: ubi de uno illo scribit, qui, juratus licet, non reverterit, & de octo millibus a senatu non redemtis. PEARCE.

Acilius autem) Vet. libri constanter *Atilius* habent, pro *Acilius*: & ita apud Livium etiam credo scribendum, & Ciceronem 1. de leg. In Dionysii libro IV. scribitur: Κάϊος Ἀκυίλιος quod est *C. Aquilius*. Caii prænomen in gen-

fuisse, qui in castra revertissent, eadem fraude, ut jurejurando liberarentur, eosque a censoribus omnibus ignominiis notatos. Sit jam hujus loci finis; perspicuum est enim, quæ timido animo, humili, demisso fractoque fiant, quale fuisset Reguli factum, si aut de captivis, quod ipsi opus esse videretur, non quod reipub. censuisset, aut domi remanere voluisset: non esse utilia, quia sint flagitiosa, fœda, turpia.

33. Restat quarta pars, quæ decore, moderatione, modestia, continentia, temperantia continetur. Potest igitur

in gente Atilia rariusculum est. C. LANG. *Atilius autem*) *Acilius*, reponendum: etsi enim Langius *Atilium* ex suis libris probat: ego tamen in omnibus libris impressis & manuscript. historicum hunc *Acilium* nominari video: & recte: nam etiam apud Plutarchum in Romulo est, *γάϊος δὲ ἀκίλιος ἱστορεῖ*: & apud Dionysium lib. III. *γάϊον ἀκύλιον ποιησάμενος βεβαιωτήν*. Id est, *C. Acilium auctorem secutus*. Hinc Aciliani annales de quibus Livius lib. XXV. 39. *Ad triginta septem millia hostium cæsa, auctor est Claudius, qui annales Acilianos ex Græco in Latinum sermonem vertit*. Idem lib. XXXV. 14. *Claudius secutus Græcos Acilianos libros P. Africanum in ea fuisse legatione tradit*. FR. FABRIC. Recte Fabricius. Fuit is M. Acilius Glabrio." GRÆV. Errabat gravissime, ni fallor, Ger. Vossius, cum statueret hunc esse C. Acilium Glabrionem, qui Quæstor an. V. C. DLI. & Tribunus plebis DLVI. Nam illo Acilium historicum centum amplius annis recentiorem fuisse vix dubitem. Quippe Claudii Quadrigarii annales non alii erant, quam Aciliani Latine redditi. Id aperte satis Livius indicavit XXV. 39. ubi exstant, *Auctor est Claudius, qui annales Acilianos ex Græco in Latinum sermonem vertit*. Quod si verum sit, constabit Acilium scripsisse de C. Mario & L. Sylla, postquam Marius interierat, i. e. post an. V. C. DCLXVIII. Legerat enim A. Gellius apud ipsum Quadrigarium, *C. Marium septimo Consulem*, ut notat in Noct. Att. X. 1. Obiisse autem Marium ineunte ejus consulatu septimo, veteres omnes consentiunt. Vossius quidem in opere de Hist. Lat. I. 10. ambigebat interdum, num de Claudio Quadrigario intelligendus sit Livius, an de alio Claudio, nempe Paulo illo, cujus meminit Appianus (de Bell. Gall. p. 775.) ubi tradit Tigurinorum olim in Romanos consules successus, *ὡς ἐν χρονικαῖς συντάξεσι δοκεῖ Παύλῳ τῷ Κλαυδίῳ*. At *Paulus* hicce *Claudius* corrupte editur pro *Quinto*, Π posita pro K, ut facile probare possem, si esset hujus loci: nec satte alii Claudio jure intelligi possit Livius, quam celeberrimo illo *Quadrigario*, qui passim apud veteres sub Claudii nomine laudatur. De Acilio autem id porro adjicere velim, eum mihi Græcum gente, non Romanum videri, & nomen ab Aciliis Romæ liberti jure traxisse; atque inde esse, quod ejus in Bruto nusquam Cicero meminerit, cum A. Albinum, qui historias itidem rerum Romanarum Græce scripsit, ceterosque omnes fere ex Latinis ante Q. Hortensium, qui quidquam literis mandaverant, diserte recenseat. Quippe locum in his aliquem Acilio, scriptori utique famæ haud obscuræ, ac eorum multis, quos Cicero memoravit, præstantiori; dedisset, ni fallor, si ex celebri Aciliorum Glabrionum familia, aut civitate esset Latina oriundus. CHAPMAN.

Omnibus ignominiis notatos) Nonnulli libri manuscr. habent, *omni ignominia annotatos*; quod a Cujatio nostro jampridem est observatum. LAMBIN.

Atqui

tur quidquam esse utile, quod sit huic talium virtutum choro contrarium? Atqui ab Aristippo Cyrenaici, atque Annicerii philosophi nominati, omne bonum in voluptate posuerunt: virtutemque censuerunt ob eam rem esse laudandam, quod

Atqui ab Aristippo Cyrenaici, atque Annicerii) Legendum esse puto, *At qui ab Aristippo Cyrenaici* (sc. *orti sunt*) *& qui Annicerii nominati sunt*; sc. ab Anniceride; qui novæ inter Cyrenaicos sectæ auctor, & in Schola Cyrenaica quintus fuit ab Aristippo. De hoc ita Strabo: Αννικερις ὁ δοκων επανορθωσαι την Κυρηναικην αιρεσιν, και παραγαγειν αντ' αυτης την Αννικερειαν. Lib. XVII. p. 837. Ed. Casaub. Ibi natus etiam fuit Anniceris; qui sectam Cyrenaicam videtur emendasse, & ab sese Annicerian nominasse. Quod autem hic refert Strabo de *correctione quadam* philosophiæ Cyrenaicæ per Anniceriós, id exponit enucleate Laertius II. §. 69. Nempe illi quamvis, cetera quod attinet, idem fere cum Aristippeis sentirent, tamen απελιπον και φιλιαν εν βιῳ και χαριν, και προς γονεας τιμην, και ὑπερ πατριδος τι πραξαι &c. Confer §. 85. 86. ibid. Vnde non sine emphasi accipiendus est Cicero de *Anniceriis*; quasi diceret, *etiam illi, qui optima sequebantur ex Cyrenaicis, bonum omne in voluptate posuerunt*. Atque hinc est, quod Clem. Alex. *cujus se pectore tota vetustas condidit*, hos etiam in ejusdem rei exemplum selegit, tamquam principes sectæ Cyrenaicæ. Οἱ Αννικερειοι (inquit) καλουμενοι, εκ της Κυρηναικης διαδοχης του μεν ὁλου βιου τελος ουδεν ὡρισμενον εταξαν· ἑκαστης δε πραξεως ιδιον ὑπαρχειν τελος την εκ της πραξεως περιγινομενην ἡδονην. Ουτοι οἱ Κυρηναικοι τον ὁρον της ἡδονης Επικουρου, τουτεστι του αλγουντος ὑπεξαιρεσιν, αθετουσιν, νεκρου καταστασιν αποκαλουντες. Strom. lib. II. p. 498. Oxon. *Qui autem vocantur Annicerei ex successione Cyrenaica nullum totius vitæ finem terminatum statuerunt: uniuscujusque autem actionis proprium esse finem, nempe eam, quæ ex actione efficitur, voluptatem. Hi Cyrenaici Epicuri voluptatis terminum, hoc est, doloris ablationem infirmant, & abrogant, eam constitutionem mortui appellantes*. Quibus plane germana videas de puris putis Cyrenaicis apud Laertium ubi supra §. 87. 88. 89. Quippe ἡδονην μεντοι (ait ille) την του σωματος .... τελος φασιν .... ἡδε του αλγουντος ὑπεξαιρεσις, ὡς ειρηται παρ' Επικουρῳ (i. e. Ciceroni *doloris amotio vel indolentia*) δοκει αυτοις μη ειναι ἡδονη. *Indolentiam quamdam, sed corpoream ... finem esse dicunt ... Doloris autem amotio, ut est apud Epicurum, non videtur eis esse voluptas*. Id quod probe notandum, ut patescat, quare infra Epicurum appellet Cicero, non *ejusdem plane*, sed *ejusdem fere adjutorem auctoremque sententiæ*. Ceterum ita floruit postea Epicurus (quemadmodum Noster vere, *obsoletis Anniceriis*) ut ne unus quidem, post Clementem Alex. quantum sciam, philosophorum, non Ammonii, non Alex. Aphrodisiensis, non Iamblichus, Proclus, Simplicius, Olympiodorus, aliique vel nominis eorum meminerint. CHAPMAN.

Virtutemque censuerunt ob eam rem) Id nusquam tradit Laertius diserte de Cyrenaicis quibuscunque, quamquam omnium copiosissime ipsorum commenta persequatur. Illud tantum notavit, *prudentiam* (την φρονησιν) αγαθον μεν ειναι λεγουσιν, ου δι' ἑαυτην δε αἱρετην, αλλα δια τα εξ αυτης περιγινομενα. Lib. II. §. 91. Quibus etiam subjecit ibid. των αρετων ενιας και περι τους αφρονας συνιστασθαι, *virtutes quasdam etiam in* (vel *ex*) *desipientibus commendari*, seu quasdam in hominum vulgo tam pulcras conspici virtutes, ut se ipse vel σοφοις, i. e. Cyrenaicis commendent. Hæc autem qui dixerunt, iidem facile profiteri possent id, quod Cicero expressit. Ne quid vero dissimulem, fieri etiam potuit, ut cum plurima ex memoria Noster scriberet, id errore Cyrenaicis tribueret, quod Epicuri familiæ adsciverant. Vide lib. II. de Fin. passim. IDEM.

quod efficiens eſſet voluptatis; quibus obſoletis floret Epicurus, ejuſdem fere adjutor, auctorque ſententiæ. Cum his viris equiſque, ut dicitur, ſi honeſtatem tueri ac retinere ſententia eſt, decertandum eſt; nam ſi non modo utilitas, ſed vita omnis beata corporis firma conſtitutione, ejuſque conſtitutionis ſpe explorata, ut a Metrodoro ſcriptum eſt, continetur certe hæc utilitas, & quidem ſumma (ſic enim cenſent) cum honeſtate pugnabit; nam ubi primum prudentiæ locus dabitur? an ut conquirat undique ſuavitates? Quam miſer virtutis famulatus ſervientis voluptati! quod autem munus prudentiæ? an legere intelligenter voluptates? fac nihil iſto eſſe jucundius: quid cogitari poteſt turpius? Jam, qui dolorem ſummum malum dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quæ eſt dolorum laborumque contemtio? quamvis enim multis in locis dicat

Cum his viris equiſque) Lib. manuſcripti quidam, *veris equiſque*, alii *veripediſque*; Sed omnino *viris equiſque*, legendum. Viri induſtriæ; equus virium & celeritatis ſymbolum. Ad Q. Fratrem lib. III. *Curſu corrigam tarditatem tuam cum equis, tum viris.* Philipp. VIII. *Armis, equis, viris D. Bruto ſubveniemus.* Vtitur & ἐκλειπτικῶς epiſtola quadam ad Varronem: *Nunc ubi confecta omnia, dubitandum non eſt, quin equis viris.* Vtitur nonnumquam Livius & Florus II. *Terris omnia equis viriſque quatiebat*: abſurdum erat *vela equis* conjungere? quamvis Horatius dixit: *Navibus atque quadrigis*. Si quis tamen malit *veris equiſque* quod fere in duobus libris legi dixi, non pugnavero: Nam ſic Terentius Phormione III.

Antiph. *Miſeritum eſt*. Phær. *hei veris vincor*. C. LANG.

Cum his viris equiſque) Omnes fere libri veteres habent, *veris equiſque*: unde alii faciunt, *velis, equiſque*: ut habent vulgati, alii, *viris, equiſque*, quos ſequimur. LAMBIN. *Cum his viris equiſque*) Omnes feres libri veteres, ut Lambinus & Langius quoque annotarunt, habent, *veris equiſque*, unde factum, ut in vulgatis libris, etiam Victorianis & Manutianis, *velis equiſque*, legatur: at enim, *viris equiſque*, non ſolum hic, ſed & aliis locis apud Ciceronem legendum eſſe, Hieronymus Ferrarius in Emendationibus in Philippicas Ciceronis, jampridem demonſtravit. FR. FABRIT.

Ejuſque conſtitutionis ſpe explorata) Deeſt adverbium, *perfecte*, quod poſt vocem *ſpe* in vetuſtiſſimo libro reperitur. F. VRSIN. Senſus eſt; Cum quis bonam ſpem habeat, illam firmam conſtitutionem corporis duraturam eſſe. Ita enim Noſter in Tuſc. diſp. II. 6. *Metrodorus quidem perfecte eum beatum putat, cui corpus bene conſtitutum ſit, & exploratum ita ſemper fore: quis autem eſt iſte, cui id exploratum poſſit eſſe?* Vide etiam II. 28. de fin. PEARCE.

Quam miſer virtutis famulatus ſervientis voluptati) Hoc ipſum eſt, quod & Seneca dicit IV. de benef. 2. *In hac parte nobis pugna eſt cum Epicureorum delicata & umbratica vita, in convivio ſuo philoſophantium: apud quos virtus voluptatum miniſtra eſt. Illis paret, illis deſervit, illas ſupra ſe videt.* Vide ibi plura & librum de vita beata cap. 9. & ſequentia. GRÆV.

Qui dolorem ſummum malum judicat) *Dicat* noſtri cum vulgatis omnibus habent. FR. FABRIT.

Sicut

cat Epicurus (ſicut hic dicit) ſatis fortiter de dolore : tamen non id ſpectandum eſt, quid dicat, ſed quid conſentaneum ſit ei dicere, qui bona voluptate terminaverit, mala dolore : ut, ſi illum audiam de continentia & temperantia; dicit ille quidem multa multis locis : ſed aqua hæret, ut ajunt; nam qui poteſt temperantiam laudare is, qui ponat ſummum bonum in voluptate? eſt enim temperantia libidinum inimica, libidines autem conſectatrices voluptatis. Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo poſſunt, non incallide tergiverſantur. Prudentiam introducunt ſcientiam ſuppeditantem voluptates, depellentem dolores, fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cum tradunt rationem negligendæ mortis, perpetiendique doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facillime illi quidem, ſed tamen quoquo modo poſſunt; dicunt enim, voluptatis magnitudinem doloris detractione finiri. Iuſtitia vacillat, vel jacet potius, omneſque eæ virtutes, quæ in communitate cernuntur, & in ſocietate generis humani; neque enim bonitas, nec liberalitas, nec comitas eſſe poteſt, non plus quam amicitia, ſi hæc non per ſe expetantur, ſed ad voluptatem, utilitatemve referantur. Conferamus igitur in pauca. Nam ut utilitatem nullam eſſe docuimus, quæ honeſtati eſſet contraria; ſic omnem voluptatem dicimus honeſtati eſſe contrariam. Quo magis re-
pre-

Sicut hic dicit) Vetuſtiſſimi duo libri, *ſicut id dicit*, *ſatis fortiter*, quam puto ſcripturam non recipiendam. C. LANG. Tale eſt, quod ex illo notavit Seneca ep. 67. *Epicurus ait, ſapientem ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum : Dulce eſt, & ad me nil pertinet*. Vide & ep. præcedentem, in qua narrat Epicurum, cum veſicæ, & exulcerati ventris tormentis infeſtaretur, dixiſſe, nihilominus ſe diem illum beatum agere. GRÆV.

Doloris detractione finiri) Sic legendum non *fieri*. Hoc enim dicebant Epicurei, ubi dolor detractus eſſet, finiri ac terminari, & quo verbo ipſi utebantur, ἐρίζεσθαι voluptatem : neque creſcere amplius, ſed variari tantum, id eſt, ποικίλλεσθαι. MVRETVS. *Finiri* eſt quoque in Palatinis & Grævii primo. GRÆV.

Iuſtitia vacillet) Epicurei voluptatem aliquo modo prudentiæ, fortitudini, temperantiæ conciliarunt : nullo autem modo juſtitiæ. Hæc cum voluptate conjuncta *vacillat, vel jacet potius*; non modo labitur, ſed ad terram cadit. PEARCE.

Sic omnem voluptatem dicimus honeſtati eſſe contrariam) Non quod omnem damnet voluptatem, paullo enim poſt ipſe dicit, voluptatem poſſe condimentum eſſe honeſtatis, hoc eſt honeſtatem reddere ſuaviorem, ſed cum de honeſtate diſputat, non vult ulli voluptati locum eſſe, ut fecerat Calliphon, & Dinomachus, aliique. Nam voluptas honeſtatem non poteſt redder-

prehendendos Calliphonem, & Dinomachum judico, qui se direpturos controversiam putaverunt, si cum honestate voluptatem, tamquam cum homine pecudem, copulavissent. Non recipit istam conjunctionem honestas, aspernatur, repellit. Nec vero finis bonorum & malorum, qui simplex esse debet, ex dissimilibus rebus misceri & temperari potest. Sed de hoc (magna enim res est) alio loco pluribus. Nunc ad propositum. Quemadmodum igitur, si quando ea, quæ videretur utilitas, honestati repugnat, dijudicanda res sit, satis est supra disputatum. Sin autem speciem utilitatis etiam voluptas habere dicetur, nulla potest esse ei cum honestate conjunctio. Nam ut tribuamus aliquid

dere honestiorem & meliorem, sed nonnunquam suaviorem, lut inferius docet. Quæ sit autem voluptas maxime homine digna, docet Seneca VII. de benef. 2. *Voluptas fragilis est, brevis, fastidio objecta: quo avidius hausta est, citius in contrarium recidens, cujus subinde necesse est aut pœniteat, aut pudeat. In qua nihil est magnificum, aut quod naturam hominis, diis proximi, deceat: res humilis, membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu fœda. Ista est voluptas & homine, & viro digna, non implere corpus, nec saginare, nec cupiditates irritare, quarum tutissima est quies: sed perturbatione carere, & ea, quæ hominum inter se rixantium ambitus concutit, & ea quæ intolerabilis ex alto venit, ubi de diis famæ creditum est, vitiisque illos nostris æstimavimus*. Vide eumdem de brevitate vitæ cap. 5. & sequente. Nec dissentit Aristoteles, qui in X. ad Nicom. vere tradit, non esse voluptates ducendas, quæ a viris bonis, hoc est philosophis, non numerentur voluptates. Quæ illæ sint vidimus ex Seneca. Grævius.


Calliphonem & Dinomachum) Cic. V. de Finibus: *Nam aut voluptas adjungi potest ad honestatem, ut Calliphoni, Dinomachoque placuit: aut doloris vacuitas, ut Diodoro*. Idem. Nihil vel apud Ciceronem, vel alios reperio, quod Calliphonis aut Dinomachi sententiam magis explicet; si excipias Clem. Alex. qui in Strom. II. hæc de Calliphone dicit: Κατα δε τὺς περι Καλλιφωντα, ἑνεκα μεν της ἡδονης παρεισηλθεν ἡ αρετη· χρονῳ δε ὑστερον, το περι αὐτην καλλος κατιδȣσα, ἰσοτιμον ἑαυτην τη αρχη, τȣτεςι τη ἡδονη, παρεσχεν. *Ex Calliphonis autem sententia, voluptatis quidem caussa accessit virtus: procedente vero tempore, cum suam vidisset* (virtus) *pulcritudinem, effecit, ut principio, hoc est, voluptati, esset honore æqualis*. Pearce.

Nec vero finis bonorum & malorum) Muretus lib. XIV. Var. Lect. cap. 3. has duas voces *& malorum* adjectas putat ab hominibus minime malis, sed non satis intelligentibus. Libri tamen omnes etiam primus Grævii, illas retinent. Græv. Muretus in Var. lect. XIV. 3. has duas voces *& malorum* adjectas putat ab hominibus minime malis, sed non satis intelligentibus. Licet omnes, quos novimus, MSi eas retineant, tamen cum Mureto exterminandas esse censeo; nam, quoties Cicero de utroque loquitur, uti solet nomine pluralis numeri, *fines* non *finis*; ut in I, 2. *propositis bonorum & malorum finibus officium omne pervertunt*. Adde, quod de solo bonorum fine Cicero hîc loqui voluisse videtur, cum paullo ante dixerit: *qui potest temperantiam laudare is, qui ponat summum bonum in voluptate?* Pearce.

Si ta-

aliquid voluptati, condimenti fortaſſe non nihil, utilitatis certe nihil habebit. Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem ſententia, magnum: ſed perinde erit, ut acceperis, quamquam tibi hi tres libri inter Cratippi commentarios, tamquam hoſpites erunt recipiendi. Sed ut, ſi ipſe veniſſem Athenas (quod quidem eſſet factum, niſi me e medio curſu clara voce patria revocaſſet) aliquando me quoque audires: ſic, quoniam his voluminibus ad te profecta vox mea eſt; tribues his temporis quantum poteris; poteris autem quantum voles. Cum vero intellexero, te hoc ſcientiæ genere gaudere, tum & præſens tecum propediem (ut ſpero) &, dum aberis, abſens loquar. Vale igitur, mi Cicero, tibique perſuade, eſſe te quidem mihi cariſſimum: ſed multo fore cariorem, ſi talibus monumentis præceptiſque lætabere.

Si talibus monitis præceptiſque lætabere) Sic reſtitui, libris omnibus invitis, in quibus & ſcriptum & impreſſum eſt, *talibus monumentis*. LAMBIN. Abſit, ut reſpuamus omnium codicum conſenſum. *Monumentis præceptiſque* eſt *εν δια δυοιν*, pro monumentis ſeu libris, quibus talia præcepta continentur. GRÆVIUS.



M. T.

IN M. T. CICERONIS DE OFFICIIS LIBRUM TERTIUM SAMUELIS RACHELII COMMENTARIUS.

CAPUT PRIMUM.

CUr Cicero a Reip. negotiis, sive senatoriis, sive forensibus, ad Philosophiam se contulerit, non semel causam exposuit: atque hic etiam suum institutum apophthegmate Scipionis a Catone approbato confirmat; cui geminum est illud, quod quidem e Græciæ sapientibus rogatus, quid difficile esset, respondit, σχολὴν εὖ διαθέσθαι, *otium recte collocare*. Ipse autem hoc libro multis singularibus exemplis id urget, quod Ausonius uno enuntiat versiculo: *Numquam discrepat utile a decoro*.

Sed nec hoc) Suum otium cum Scipionis otio contendit, atque illud necessarium, hoc voluntarium & delectabile fuisse inquit. Est enim certe non unius generis otium; sed aliud honestum, aliud turpe: aliud προαιρετικον, aliud necessarium. Ne igitur turpi, & ignavo otio nos tradamus, sed solum honestum consectemur, ipsas actiones ignavas & turpes a laudabilibus secernere, atque istas fugere, has amplecti decet. Hinc cum Aristoteles VII. Polit. 14. sub fin. dixisset, multos bellicosos populos, quamdiu bella gessissent, fuisse conservatos, eosdem imperio potitos emarcuisse, subjicit hanc rationem: *Causa hujus est legumlator, qui non docuit, quomodo possent otio uti*. Præterea recte tradit idem Philosophus, quod Beatitas videatur in otio, & quiete consistere; rebus enim agendis nos occupari, ut in otio & quiete vivere possimus; bellaque nos gerere, ut pace fruamur. X. Nicom. 7. §. 19. seqq. & VII. Polit. 14. & 15. Cum vero Beatitas humana sit duplex, Practica & Theoretica, ista civilium rerum administratione, debitaque adfectuum & actionum moderatione occupatur, quo mens rerum divinarum contemplationi liberius vacare possit: quale fere fuit illud Scipionis otium. Atque hinc Philosophus VI. Nic. ult. docet, prudentiam sapientiæ bono actionibus humanis præesse, puta ut illas ad felicitatem civilem, atque tum sapientia speculationes mentis ad felicitatem theoreticam ducat. Ex quibus dijudicare quoque licet, quid de illorum otio existimandum sit, qui nummos suos ita collocant, ut sibi otio ignavissimo frui liceat, atque interim perpetuis usuris, gravissimo aliorum labore partis, pascantur.

Sed quia) Cum res humanæ pluribus casibus sint obnoxiæ, sæpe in illa tempora incidimus, ut omnia mala effugere nequeamus; tunc igitur obligati sumus ad minimi delectum. Minus enim malum habet rationem boni, uti docti secundum Ciceronem; hoc est, Philosophi docent. *In comparatione malorum, boni locum obtinet levius*, inquit Quinctilianus. Qua sententia cum ille sæpiuscule utatur, notandum est, vocem *Mali* non raro ambigue usurpari. Vel enim aliquid hactenus est aut dicitur malum, quod

damnum

damnum vel incommodum externum adferat, atque tunc habet locum hoc adagium. Hinc Cicero alibi ait, minus damnum majori esse anteponendum. Lib. I. c. 10. Vel aliquid est, & dicitur moraliter malum, quod natura sua sit turpe: atque ex his malis minimum non est deligendum, sed utrumque fugiendum; nec enim tibi inopia adflicto magis licet furtum, quam sacrilegium committere. Hinc bene Aristoteles III. Nicom. 1. §. 19. *Sunt nonnulla eiusmodi, ut nulla vi aut necessitate coacti ea agere debeamus, utque potius mors nobis sit oppetenda gravissimique cruciatus perferendi.* Talia sunt, quæ moraliter sunt mala. Etsi igitur otium ex iniquissima causa Ciceroni obtigisset, se tamen eo frui seu uti dicit; simulque illam causam vituperat, ostendens, illud otium non esse tale, quale ipse, oppressa Catilinaria factione, civitati peperisset: ut, si otiosa vita, hoc est, curis civilibus vacua transigenda jam a se esset, tale sibi otium daretur, non autem necessarium, & ex vitio aliorum ortum.

Quamquam Africanus) Etsi Africanum præ se extollere videatur, reapse tamen illi se anteponit, dum suum otium adeo fructuosum esse ostendit, Africani vero sibi unice suæque contemplationi inserviverit. Etsi autem dicat, Scipionem nil scripsisse, constans tamen præsumptio est, illum multas Terentianas comœdias composuisse; sed hoc studium tanto viro quasi indignum, aut non satis compertum, dissimulat. Quinctilianus lib. X. c. 1. *Terentii scripta ad Scipionem Africanum referuntur.* Plura hac de re habet Donatus in vita Terentii. Sed vix quidquam dubii est reliquum, quandoquidem ipse Comicus idem haud obscure profitetur in Prologo Adelphorum.

CAPVT II.

SEd cum tota) Commendat jam præ omnibus aliis studiis doctrinam moralem, seu de Officiis, ut quæ reliqua omnia utilitate summa vincat. Hinc Aristoteles την πολιτικην, cujus præcipua pars est Philosophia de Moribus, finem ait esse αρχιτεκτονικον, ipsamque illam επιςημην αρχιτεκτονικην appellat I. Nicom. 1. & 2. Cujus vocis quæ vis sit optime ibi interpretatur Eustratius & Gifanius.

Quare quamquam) Etsi filium a summo Doctore præceptis honestatis imbui sciat, e re tamen ejus esse putat, ut numquam non, & cumprimis a patre talia accipiat: nihil igitur caussæ esse filio, ut hoc Patris munus, velut noctuas Athenas missas, adspernetur.

Sustines) Varia congerit argumenta, quibus industria ardorque animi in filio accendatur.

Si discendi) Elegans επανορθωσις novum suppeditans cohortationis argumentum, studia hæc, etsi aliquem laborem requirant, tanta tamen cum voluptate & utilitate esse conjuncta, ut hæ illius sensum penitus removeant.

Panætius) Hujus, quem præcipue secutus est, Philosophi tria proposita argumenta repetit, & tertium ab eo omissum miratur, cum tamdiu vixerit post editos jam de prioribus duobus libros. Miratur item, Posidonium, a quo hoc postremum caput tamquam summe necessarium laudatum fuerit, tam paucis idipsum attigisse in commentariis, & vix summa rerum capita perstrinxisse, nec ex dignitate, ac justo quidem volumine pertractasse. Hinc igitur suo operi tanto majorem existimationem, atque auctoritatem conciliat Cicero.

Commentariis) Dicimus *Commentarium*, *Commentarii*, & *Commentarius*, eadem significatione: suntque libri, in quibus res breviter describuntur, earumque tantum capita recitantur, απομνημονευματα, ὑπομνηματα. Atque ideo Cæsaris Commentarios Plutarchus εφημεριδας appellat: quorum brevis descriptio justæ Historiæ scribendæ materiam sufficere possit. Adeantur, qui in I. Cæsaris commentarios scripserunt H. Glareanus, Io. Glandorpius, Fr. Hotomannus, Io. Brantius, & editione Gothofredi Iungermanni omnes consuli poterunt.

Minime vero) Quod tertium illud caput a Panætio non sit explicatum, nonnulli factum esse putabant, quod principiis Stoicis illud ita esset consentaneum. Hi enim cum docerent, nihil

nihil esse revera utile, quod non idem esset honestum; videbantur simul ita colligere, nullam umquam inter Vtile & Honestum contentionem exsistere posse. His itaque Cicero ita respondet, de hac collectione posse quidem disputari, at institutum Panætii plane certum fuisse, evidenter simul ostendit.

CAPVT III.

R*Ecte ne autem*) Hic jam examinat illam dubitationem, asseritque, sive quis hypothesin Stoicorum accipiat, sive etiam Peripateticorum, qui Honestum seorsum sumunt ab aliis bonis, numquam posse utilitatem cum honestate contendi, ut huic illa vel par, nedum ea superior sit. Confirmat hoc Socratis auctoritate, quem hac in re Stoici sint secuti: de qua videatur Plato I. de Legg. & quæ initio lib. II. diximus, ubi subtilius illam Stoicorum reciprocam propositionem, *Nihil est honestum, quod non idem sit utile*, Et, *Nihil est utile, quod non idem sit honestum* examinavimus, quidque veri habeat, aut quandoque falsi, expendimus.

Quod si is) Si ea fuisset Panætii mens & hypothesis, quæ fuit Epicuri, qui virtutem excolendam dicebat propter voluptatem, aut quæ fuit Hieronymi Rhodii, qui virtutem ad *αναλγησιαν indolentiam* referebat, tum forsan asseruisset, pugnam interdum exsistere posse inter Honestum & Vtile. Nam & Divitiæ & Sanitas, aliæque res Voluptatis efficientes causæ esse possunt, ac multis videri possunt & frequentiorem & majorem voluptatem producere, quam ipsa Virtus: ut ita contentio quædam oritura esset, præstaret ne ad talem finem per virtutem vel alias res utiles conniti; cum tamen Virtus complectatur in se *το καλον φυσει και δι' αυτο αιρετον, honestum natura, & propter se expetibile*: unde paulo post dicit, Honestum a virtute non posse divelli.

Sed cum sit is) Sed hæc Panætii mens aut sententia non fuit, quin potius ita docuit, non esse extra Honestum ullum aliud Bonum: tum, si quæ Vtilium nomine veniant, & ab Honesti natura distent, illorum nec accessione meliorem vitam, nec discessione infeliciorem futuram. Atque hinc colligit, non potuisse a Panætio comparationem institui Vtilium cum Honesto, siquidem voluisset *τη θεσει δουλευειν, servire thesi.* At hæ Hypotheses falsissimæ sunt. Primo enim non videntur distinguere inter bonitatem Naturalem & Moralem. Hæc unice in Honestate consistit: illa non potest cuiquam rei conditæ denegari. Deinde etsi vita humana convenienter Naturæ, seu rectæ Rationi instituta ratione essentialium partium ab Vtilium bonorum accessione non fiat perfectior, ratione tamen externi vel ornamenti, vel exercitii, plurimum illi addunt: sic ut si illa adminicula absint, non quidem protinus Infelix sit homo, ita tamen se habeat: *Vt lyra quæ reticet, vel qui non tenditur arcus*: quandoquidem *Vile latens virtus; quid enim submersa tenebris proderit*? Rectius igitur docet Aristoteles I. Eud. 2. Felicitatem quidem non consistere ex his, (bonis Vtilibus seu externis) non tamen posse esse sine his, tamquam necessariis quibusdam instrumentis. Addatur c. 7. & 8. I. Nicom. Et vero cap. 7. §. 25. seqq. rem omnem expedit his verbis: *Tale quid Beatitudinem esse arbitramur; atque etiam aliquid omnium maxime expetendum, etiam solum, absque bono omni alio. Quod si cum alio etiam minimo bono conjungatur, erit tamen utique expetibilius. Hujus quippe boni accessione augetur. Quo vero majus est aliquod bonum, eo magis est expetendum*. Addantur ea, quæ in Librum II. initio fere commentati sumus. Ciceroni consentanea profert Tacitus lib. IV. Hist. 5. ubi de Helvidio agit; *Doctores sapientiæ secutus est, qui sola bona, quæ honesta; mala tantum, quæ turpia; potentiam, nobilitatem, cæteraque extra animum, neque bonis neque malis annumerant*.

Etenim) Stoci Hominis felicitatem aliis atque aliis locutionibus depingebant, sententia eadem, dicentes illam in eo consistere, *si secundum Naturam vivat, si convenienter Naturæ vivat, si secundum Virtutem vivat*. Confer lib. I. c. 28. Hominis enim Natura propria est Ratio: hæc vero ad certum propriumque munus a Deo, seu Natura, uti aliæ res, condita sit neces-

necesse est. Quisque autem suo munere recte fungitur, si virtute accommodata sit imbutus. Ratio igitur proprio suo munere recte beneque fungetur, si virtutibus moralibus (hæ enim ad hoc munus sunt accommodatæ) earumque regina Prudentia fuerit instructa; & tunc uti Recta cognominatur, ita vitæ totius munia & officia recte obibit. Hæc nobis principia suppeditantur I. Nicom. 7.

Cetera) Externa bona his verbis designat, quæ etiam Seneca dicit esse *secundum Naturam*. Si serio ita sentiunt, cur quæso tantopere illa criminantur & quasi pedibus proculcant? Hinc Cicero convenienter Stoicorum thesi loquitur, quando dicit, hæc externa *legi*; expeti enim hæc religio fuisset Stoicis dicere. Vide Cicer. IV. de Finib. Atque, inquit, ex his caussis videtur sequi, non potuisse a Panætio commode institui ἀντίθεσιν Honesti, & Vtilium; non enim credibile est, quod alii fere faciunt omnes, ipsum fuisse neglecturum, ut thesin suam tueretur, eique consentanea loqueretur.

Atque) Iam defendere instituit Panætium, & hanc Objectionem destruere parat. Primo repetit distinctionem initio primi libri positam, aliud esse Honestum perfectum Sapientis, cujus Officia ibi dicebantur κατορθώματα: aliud esse honestum commune, cujus Media sunt officia, in specie καθήκοντα appellata, uti videlicet hæc κατορθώμασι opponuntur. Perfecta officia nulla collidi pugna circa Vtile & Honestum, sed optime inter se convenire: De Mediis quid sentiat, ex ipso paulo post intelligemus. De hoc autem Officiorum discrimine diximus plenius ad lib. I.

Cum autem aliquid) Occupatio. Si nemo κατορθώματος perfectionem assequi potest, cur igitur Stoici tam sublimes ideas somniant, & a consensu aliorum hominum recedunt, qui nostrum ingenium minime capax ejusmodi perfectionis esse existimant? Respondet Cicero, imperitia vulgi, Media officia pro perfectis accipi. Sed non videtur satisfactum hac responsione Objectioni. Rectius dixisset, nihil vitii habere, perfectam vivendi rationem præscribere, quam si non omnino assequi, sequi tamen ceu normam debeamus; qualem ideam etiam Aristoteles nobis delineavit secundum filum methodicum, seu ἐπιστημονικόν. Illustrat suam sententiam eleganti simili.

Media officia comparantur) In vetusto Nannii codice pro *comparantur* legitur *compareant*.

CAPVT IV.

Hæc igitur) Non tam de perfecti Sapientis, qualem Stoici fingebant, officiis, quam de secundis seu mediis se hîc docturum monet. Talia tamen hæc media officia sunt, ut, cum probabilis eorum ratio reddatur, nemo non illa amplectatur, qui sit εὐφυής, vel in quo sit τῆς φύσεως εὐμοιρία *naturæ felicitas*, seu θεία τις μοῖρα, *divina quædam sors* Platonis.

Non sapientum modo) Cum Sapiens Ciceroni & Stoicis, vel consideretur in idea, vel is dicatur, qui communi judicio talis habeatur, de posteriori hæc verba sine dubio accipienda sunt, videlicet tali quoque competere officia media. Pro illis verbis, *itaque ii*, alii legunt, *Itaque his*. Ne vero nova periodo opus sit, pro *itaque* posset legi, *illisque*.

Nec vero) Nec est quod mihi objicias Sapientiæ aut Iustitiæ aut Fortitudinis nomine celebratos viros; hi enim propter officiorum mediorum frequentiam instar aliquod sapientis Stoici præ se ferebant, ab ejus autem dignitate longe aberant. Rejicit igitur illorum Stoicorum opinionem plusquam frivolam, negantium τὰς προκοπὰς ἀρετῶν, *virtutum incrementa*, adeoque gradus omnes, ac progressiones bonitatis tollentium.

Sic sapiens) Qui ita describitur ab Horatio in Satyris, non sine Satyrica irrisione:

Ad summum, sapiens uno minor est Iove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique regum:
Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

Addatur Cicero III. de Finib. & Parad. 5.

Quocirca) Concludit jam dicens nec perfectum Honestum Sapientis, nec medium

medium viri communiter boni cum utili recte comparari. Quare de utroque ita colligat, forsan in progressu apparebit clarius. Videri enim posset in eorum ire sententiam, qui putarunt, hoc caput a Panætio salvis Stoæ placitis tractari non potuisse; quod tamen Cicero mox expendit.

Sed hæc quidem) Si qui sint Mediorum officiorum cultores, illi horum observatione non Sapientis dignitatem assequuntur, sed opinione hominum existimantur boni.

Qui autem omnia) Dixit & vere Sapientes, & opinione Sapientes, aut bonos semper præposituros honestum utili, sine ulla operosa contentione, ut tamen hi nonnumquam dubitent. Iam de tertio hominum genere loquitur, qui vel vitiosa φιλαυτία, aut alia ejusmodi causa inducti Honestum cum Vtili contendunt, ac sæpe hoc isti anteponunt: id quod a Viro bono alienum esse dicit, omnesque illos damnat, qui hæc inter se comparent, aut ita dubitent. Proinde vel horum hominum causa de comparatione Honesti & Vtilis fuit docendum, præsertim quod sæpe ad contentionem ejusmodi non tam vitio aut errore, quam bonis rationibus duci videantur. Si enim utile falsam emolumenti speciem mentiatur, quod tum facit, cum Honesto penitus repugnat, & tales actiones impediat, tum vera est Ciceronis sententia; nihil enim tam splendidum cuiquam videri debet, quod Honestum obscuret. At si Vtile aliquod tale sit, quod Honesto non adversetur, tum si illud majus hoc sit, aut temporis, aliusve conditionis necessitate adjuvetur, nil vetat tale Vtile tali tempore ac conditione præferre Honesto; cumprimis si huic nil detrahatur turpitudine aliqua actionis, & potius hoc Vtile jam delectum ipsi Honestati in suo exercitio subsidium deinceps afferre possit: qua de re etiam ad lib. II. quædam dicta fuerunt.

Quid est ergo) Tamquam certum jam ratumque supponit, non posse inter Honestum, & Vtile contentionem institui: interim sæpe deliberatio solet a nobis institui: deliberamus autem de rebus dubiis? III. Nicom. 3. §. 17. Respondet Cicero, si quando ejusmodi dubitatio accidat, illam de qualitate facti solere institui, sit ne illud honestum, an turpe, utile an perniciosum; non quod utile cum honesto conferatur, aut ei anteferatur. Ita occidere hominem, non reddere depositum; plerumque sunt turpia: quia vero illæ sunt nonnumquam facti περιστασεις, ut quod genere turpe quidem est, tempore, aut loco, aut alia circumstantia non sit turpe, sane circa talem περιστασιν de qualitate facti addubitari potest. Exemplum autem de tyranno occidendo quod affert, tale est, ac si quæras, an aliquando tyrannus licite occidi possit, sic ut tuum factum honestati non repugnet. Videmus igitur diversam vocum acceptionem æquivoce insinuari. Quando enim dicunt Stoici: Nihil est bonum, nisi solum honestum: & deinde inferunt: Nihil est honestum, nisi quod idem sit utile: nec quidquam revera esse utile, quod non idem sit honestum; facile apparet, in hisce postremis pronuntiatis Honestum late accipi, sic ut complectatur, & significet etiam omne id, quod non est Inhonestum, seu Honesto non repugnat. Etiamsi igitur ea sit περιστασις, quæ licitam reddat tyranni interemptionem, non tamen perinde etiam proprie honesta, sed forte tantum licita est, aut excusationem meretur. Quæri vero posset, an umquam tyrannum interficere liceat? Græci, & hos secutus hic Cicero, quid sentiant, notum est. Videatur Grotius lib. I. c. 4. n. 15. seqq. & lib. II. de I. B. & P. cap. 4. n. 14. Nonnulli docent contra Tyrannum crudelem subditis licere usurpare defensionem cum moderamine tutelæ inculpatæ. Sed admodum spissum est, quæ περιστασεις hic reddant tutelam inculpatam. Scholiastes Græcus in Aristotelis Opus ad Nicomachum aliquoties eo prolabitur, Tyranni occidendi gratia, posse quem adulterii consuetudinem cum uxore illius licite habere. Perperam; ceu alibi a nobis demonstratum est, Examine Probab. Iesuit. c. 6. p. 29.

Populo quidem) Vt Cæsarem obtruncatum etiam in majus odium adducat, & Brutum Cassiumque obtrectatione liberet, tyrannicidium illud

Cæsaris ab universa Rep. comprobari asserit, sic ut illi Reip. consilium & sententiam exsecuti videantur. Confer lib. II. c. 7. & lib. III. c. 6. & 21. Sequitur hac in re Cicero philosophiam, & mores Græcorum, quorum libertati cum Tyrannis maxime esset adversa, ipsi quoque Tyrannos, ceu publicos hostes acerrime persecuti sunt. Itaque in Græciæ civitatibus exstabant leges, quæ potestatem faciebant occidendi eum, qui privatus satellitium sibi circumdedisset, arcem invasisset, civem indemnatum, aut non legitimo judicio obtruncasset, aut magistratus sine justis suffragiis creasset. Neque Romanis minor erat libertatis cura, minusve in Tyrannos odium. *Recte majores nostri summis laudibus efferendi sunt, qui Spurium Melium, qui Gracchos, qui Manlium Capitolinum, qui Saturninum, fortissimos homines, & Reip. sæpenumero non mediocriter opitulatos, quod devenissent in affectatæ tyrannidis suspicionem, morte mulctandos esse putaverunt.* Ita Portius Latro apud Sallustium in Catilinam declamat. Senecæ in Herc. Fur. hæc sunt:

Victima haud ulla amplior
Potest, magisque opima mactari Iovi,
Quam Rex iniquus.

Exempla Tyrannorum cæsorum, quos ille inter præcipuos læsæ Majestatis reos reputat, videre licet collecta apud Ioann. Sarisberiensem lib. VIII. c. 17. 18 & 19. seqq. Atque ideo Tyrannicidæ publicis honoribus ac præmiis fuerunt mactati, & statuæ ipsis erectæ, prostratis Tyrannorum statuis. Itaque cum Dionysius tyrannus de æris præstantia præsentes interrogaret, quæ continens, vel insula optimum æs ferret? Antiphon, qui percontanti forte adfuit, Ego, inquit, optimum apud Athenienses esse scio, ex quo Harmodii & Aristogitonis (τυραννοκτονοι erant illi) statuæ conflatæ sunt, Philostratus in Vitis Sophistar. in Antiphonte. Quamvis Laertius hoc Diogeni tribuat lib. VI. Sed quatenus, & quibus, Tyrannos occidere liceat, non caret dubitatione ac difficultate. Videatur de hoc argumento Grotius locis citatis. Sæpe locum habebit illud Taciti: *Quomodo sterilitatem aut nimias imbres, & cetera naturæ mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines, sed neque hæc continua, & meliorum interventu pensantur.* Conferantur, quæ ad c. 6. h. l. sequentur.

Vicit igitur) Hanc Cæsaris necem patratam esse ait, non quod Honestum ab Vtili fuerit separatum, sed quod bene hæc in illo facto convenerint. Quia enim utile erat, Remp. liberari tyrannide, ipsum tyrannicidium non potuit esse inhonestum. Hoc est quod his verbis dicit, *Honestas utilitatem secuta est.* Non jam hic disputabimus, an Iulii Cæsaris oppressio utilis fuerit Reip. Rom. qualis quidem eo erat ævo, quod vix puto; hoc solum considerandum est, quomodo denuo τὸ Honestum, hic improprie accipiatur, nec etiam Vtile hic illud sit, quod communiter omnibus utile sit, sed certo Reipubl. statui. Nam si quid revera utile sit libero Reip. statui, non tamen eapropter & simpliciter utile est; multo minus proprie ac simpliciter honestum erit. Et cum supra dixisset initio lib. II. Vtile, Honestum, & Iustum inter se reciprocari, certe tale Vtile certæ alicujus Reipubl. est quidem Iustum, sed non nisi ὑποθετικως, pro natura illius status; erit forsan etiam Honestum, si omnino tale esse deprehendatur, quod nullatenus a proprie dicto honesto recedat: id quod vix sperare licet, in iis Rebuspubl. præsertim, quæ παρεκβασεις Aristoteli dicuntur, aut etiam in iis Mixtis, quæ plurimum πολιτειας ex illis παρεκβαινουσαις trahunt, & quidem qua parte παρεκβαινουσι, a rectis exorbitant. Optimam enim Remp. quod attinet, adumbrare quidem illam licet, in faece vero Romuli illam constituere velle desperati laboris est.

Itaque ut) Repetit hujus libri propositionem, qua de re deinceps dicturus sit, simulque necessarium esse ostendit, siquidem hæc πραγματεια recte procedere debeat, ut certæ formulæ, h. e. principia & κριτηρια ponantur, secundum quorum normam collectio & recta de Officiis dijudicatio institui possit. Ponit autem protinus duas formulas, unam Stoicorum, alteram Peripateticorum, istorumque splendidiorem esse affirmat.

Cæte-

Ceterum an satis vere ab iis dicantur, ut quidem magnifice, magna dubitatio est. Imo jam supra ostensum est, quo pacto locum habere possit, nec ne, Stoicorum formula; *Nihil est honestum, quod non idem sit Utile, nec quidquam Utile est, quod non & Honestum sit*, Quod vero præ hac grandiloqua doctrina Peripateticorum formulam seu principium contemnat, posse aliquid esse Utile, quod proprie honestum non sit, non sat causæ habuit. Quod autem addit, statuere Peripateticos Honestum aliquod non Utile, si eo sensu accipiatur, quod Honestum sua natura non penitus idem sit cum natura boni Utilis, verissime dictum est; hoc enim propter aliud, istud propter se expetitur: hoc medii, istud finis rationem obtinet. Quod si eo sensu intelligas, ac si Honestum bonum nemini utilitatem aliquam afferat, falsissima hæc foret interpretatio. Bonum enim cum sit perfectio illius, cui est bonum, etiam honestum bonum erit animæ humanæ perfectio, eique ingentem utilitatem afferet: nec solum possessori prodest, sed & aliis. Virtus enim, præcipuum honestum bonum, ejus est conditionis, ut quam plurimis velit prodesse; uti Peripateticorum princeps Aristoteles recte tradidit.

Quod honestum intelligitur) Paulo ante idem his significabat verbis, *quod in nostram intelligentiam cadit*. Qua φύσει illa morum probitas indicatur, quæ in iis cernitur, qui vulgo boni existimantur, quorum honestas in oculos & sensum se ingerit, a qua diversum facit τὸ κατόρθωμα & perfectam bonitatem Sapientis, quæ nonnisi oculis mentis cernitur.

Quod quamquam) Conferantur hæc cum iis, quæ initio hujus Operis habet, *Quoniam utrique Socratici*, *&c.* Illæ voculæ, *qui Academici*, in quodam MSo non leguntur, & salva sententia abesse possunt.

Nobis autem) Quod rejecto Peripateticorum principio, præferat Stoicum illud, adductum se esse libertate Academica ait. Ea enim illius est auctoritas, ut jure sectatores suo utantur, si quod maxime probabile visum fuerit defendunt. Sed de Probabilitate alias plura a nobis dicta sunt *Examine Probabilitatis Iesuiticæ*.

CAPUT V.

Detrahere) Cum homo a natura sit conditus animal κοινωνικὸν, *sociale*, &, si Aristoteli credimus, πολιτικὸν, *civile*; necesse est quæque Societas, in qua degit, certa ratione ac jure regatur, siquidem velit esse salvus. Societates vero sunt duplices, vel naturales, ad quas naturæ instinctu ferimur, vel ex instituto hominum, quæ nostra προαιρέσει constituuntur. In hisce posterioribus plurimum licet hominibus, ut sibi jura condant, prout fini & utilitati alicujus societatis aliquid potest esse consentaneum. In naturalibus multum quoque hominum arbitrio relictum est; ita tamen, ut sine vitio non videantur jus aliquod constituere posse, quod naturæ illius societatis repugnet. Formula itaque Ciceronis videtur hæc esse: Quidquid naturæ societatis humanæ repugnat, eamque destruit, illud naturaliter injustum est: Quidquid vero illam conservat, illud est justum. Posterius non solum ajente sed & negante sensu accipiendum est, ut Ius hic intelligatur inprimis, quod proprie est tale, tum etiam quod injustum non est. Adde Grotium lib. I. de Iure Belli & Pacis c. 1. §. 3. & 10. v. ad Juris autem. Huic jam formulæ subdit Cicero, Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, est contra naturam: atque hoc ita confirmat, quia, si id fiat, societas & convictus hominum tollatur. Illa enim Societas certo Iuris vinculo continetur: Ius vero est æquale, inæqualitas autem est injuria; ubi ergo inique detraho alteri, mihique adjicio; læditur utique societas humana. Ejusdem præsidium est dominiorum distinctio, quod item erit nullum, si cuivis illud temere involare liceat. Sublato, aut perturbato dominio, quomodo suum cuique tribuetur, quod Iustitiæ primarium ajunt esse officium? Hujus itaque formulæ Ciceronianæ tanta est æquitas, ut multa hinc definiant ICti extra legum præscripta, semper ad

ipsam æquitatem, ut evidentissimam, provocantes. Exempla collecta vide apud Grotium II. de Iure Belli & Pacis c. 10. n. 2. Hinc illa Iuris regula a Pomponio est tradita: *Iure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem*, L 206. ff. de R. I. & l. 14. ff. de condict. indeb. Ex eodem æquitatis fonte manarunt hæc effata: *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri*, l. 74. ff. de R. I. Et, *Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam*, l. 75. ff. eod. *Videtur enim*, inquit Proculus, *dolum malum facere, qui ex aliena jactura lucrum quærat*, l. 17. §. 4. ff. de instit. act. Terent. Andr. act. IV. sc. 1.

Hoccin' est credibile, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Vt malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua comparent ut commoda? ah
Id ne est verum? imo id est genus hominum pessimum.

Quod vero Cicero inquit, magis hoc esse contra naturam, quam mors, dolor, aut paupertas, non physice, sed moraliter intelligendum est. Naturaliter enim quisque dolorem fugit, ad quem declinandum Ira homini a Natura tributa est: Mortem vel maxime, quæ individuum plane destruit. Paupertatem quoque fugimus, quod indigentiam, & cum hac dolorem, aut interitum adferre possit. Eo autem sensu hæc accipi non vult, sed morali: videlicet, debere nos a rapinis & iniquis lucrandi rationibus ita abhorrere, ut malimus paupertate ac dolore maximo adfligi, aut plane mortem obire, quam alteri suum per injuriam subducere, III. Nicom. 1. §. 19. Licere tamen de commodis quandoque detrahere alienis, si utilitas multa Reip. atque hominum societati patiatur, docet Albericus Gentilis lib. I. de Iure Belli c. 21. Ceterum privati cum Rep. collati vix est ut pro alienis haberi queant, cum omnes sint Reip. partes, atque hæ suum Totum, ejusque bonum præcipue respicere debeant.

Humani generis societatem) Est utique talis quædam societas naturalis: unde Stoici dixere, civitatem totius mundi unam esse, & omnes homines populares, municipesque, & quasi in communi prato pascere. Atque hæc hominum societas lapidum fornicationi simillima, casura, nisi invicem obstarent, & sustinerent se lapides, inquit Seneca ep. 96. Et Varroni mundus est domus maxima rerum. Plura in hanc rem collecta vide apud Alb. Gentil. l. I. de Iur. Bell. c. 15.

Vt si unumquodque) Eleganti hanc cognationis rationem & conditionem socialem similitudine illustrat. Cui convenit ille Menenii Agrippæ apologus apud Livium. Ita eleganter Imperator quidam Fiscum lieni comparavit, quo intumescente reliqua membra tabescant. Quod ipsum nonnulli Londinensi urbi accommodant, quæ quanto frequentiora commercia ad se attrahat, eo minus opulentiæ reliquis Angliæ oppidis accederet. Huc facit etiam illud Senecæ præceptum II. de Ira c. 32. *Vt omnia inter se membra consentiunt, quia singula servari totius interest; ita homines singulis parcent, quia ad cœtum geniti sumus. Salva enim esse societas nisi amore, & custodia partium non potest.* Nam Societas eo tendit, ut suum cuique salvum sit communi ope ac conspiratione. Grot. I. de I. B. P. c. 2. n. 1. sub fin.

Nam sibi ut) Scilicet ita comparatum est, ut omnes homines malint sibi melius esse, quam alteri, secundum illud tritum: *Ordinata caritas incipit a seipso*. Cum enim inter homines promiscua rerum communio, qualem nonnulli absurde commenti sunt, minime locum inveniret, sed necessario rerum dominia essent distinguenda, non alia conditione id fieri potuit, quam ut quod quisque vel occupasset animo sibi illud habendi, vel adquisivisset sive ex dispositione legis, sive per συναλλαγμα, id proprium haberet, sic ut sine injuria ei a nemine subtrahi, aut in eo lædi possit. Huc pertinet illud Quinctiliani Declam. 13. *Si hæc conditio est, ut quidquid in usum hominis cessit, proprium sit habentis; profecto quidquid jure possidetur, injuria aufertur.* Iulianus cum πρωτον λογον constituisset de Deo agnoscendo & colendo.

deute-

ἄντικρυς illi hanc subjungit: *Lex altera, & ipsa suapte natura sancta atque divina, ea est, quæ semper & ubique alienis abstineri jubet; neque vero aut verbo, aut facto, aut arcanis animi cogitationibus contra iri finit.*

Neque vero) Ius naturæ & gentium promiscue hîc usurpat, uti etiam fit a ICtis Romanis, quod vel ex unico §. 11. Instit. de R. D. apparere potest. Vrget porro Formulæ suæ auctoritatem, eam non solum Iure Naturæ, sed & civili confirmari solere. Quia enim multa Natura indeterminata reliquit, & hominum voluntati commisit, quomodo pro diversa natura & fine civilis societatis velint, suis commodis atque utilitati prospicere; hinc Ius civile ortum est. Iam vero tantum non in omnibus civitatibus illud observatur, ut nemo cum injuria alterius locupletior fiat, variique generis pœnæ transgressoribus dictitantur. Ita in Rom. Repub. determinatio Iuris erat alia circa furtum manifestum, alia circa nec manifestum. Alia erat pœna rapinæ factæ, alia ejus, qui peculatus, aut repetundarum, aut ex l. Aquilia fuisset damnatus. Gravis quoque & non una erat illorum pœna, qui per crimen falsi alienas opes ad se traducebant: non alium ob finem, quam ut incolumis esset civium conjunctio, uti hîc inquit Cicero. Ad eumdem finem pertinent omnia Prætorum edicta atque Interdicta possessoria. Cum enim Dominium modo sit plenum, modo minus plenum, cujusque juri prospici per legum præsidia jubet societatis civilis ratio, sic ut cuique etiam salvam oporteat esse, non solum proprietatem rerum, sed & possessionem, a qua naturaliter dominium incipit, l. 1. §. 1. ff. de adq. vel am. poss. & quodcumque jus sive in re, sive ad rem, ut hæc a ICtis distingui solent, ab injuria sit illibatum. Atque hoc ipsum, quod cum naturali tum civili decreto est statutum circa bona fortunæ, idem quoque obtinet in animi corporisque bonis, ne cui vi aut fraude detrahatur per injuriam, calumniam, obtrectationes, pulsationes, vulnera, necem, & similia.

Atque hoc multo) Etsi id magno studio utrumque Ius cum Naturale, tum Civile agat, ne cuiquam inique quid detrahatur, hominis tamen naturæ maxime esse consentaneum inquit, si tam Iuri Naturæ, quam civili propter pœnam forte diserte expressam, morem gerat. Nam, inquit, Naturæ ratio est lex divina & humana. Hoc est, lex Naturæ est oratio a Providentia profecta, auctorem habens ipsum Deum, consentanea hominis sociali ac rationali naturæ, adeoque omnes quoque homines obligans, quod eamdem omnes naturam, & ex hujus naturæ conditione certum peculiaremque finem, quem certis actionibus legibus naturæ limitatis adsequantur, ab eodem auctore propositum acceperint. Atque hoc est *secundum naturam vivere*. Docui alias, Ius seu Legem Naturæ ubi dixeris, triplici sensu hoc posse accipi: primo quidem, ut intelligas talem legem, quæ auctorem habeat Deum, quem Philosophi nonnulli Naturam Naturantem appellant: deinde, eam legem, quæ sit conveniens & accommodata hominis naturæ rationali ac sociali. Vtrumque sensum videtur Cicero voluisse complecti, quando hanc Legem & divinam & humanam appellat. Atque his duobus etiam tertius potest accedere, quod Ius Naturæ lumine rationis nobis possit innotescere. Addatur Tractatus noster de Iure Naturæ & Gentium.

Etenim multo) Vitiose φίλαυτοι, inquit Arist. IX. Nicom. 8. §. 16. & 17. sunt illi, *qui ubique sibi potiorem lucri, voluptatis corporeæ, & honoris attribuunt partem. Quid ita? quoniam vulgus ista ut præcipua hominis bona appetit, in iisque præcipuum studium ponit: ideoque de iis vehementer dimicare homines inter se solent.* Hinc intelligimus, cujus notæ sint illi, qui voluptatem, vitam quamvis turpem, & divitias quovis etiam titulo partas, veris bonis, animi videlicet, præferunt. Magnanimus vero & excellenter bonus, justus, liberalis, magis secundum naturam vivit, quæque bona suo pretio æstimans, suum cuique tribuens, aliena inique non adfectans, quin potius indigos & dignos sublevans, adeoque ea omnibus antepenit aliis, quæ naturæ ipsius ratio-

tionali perfectionem & conscientiæ sincerum gaudium ac tranquillitatem conciliant. Et vero quomodo speciatim in his sese gerat Magnanimus, egregie docet Philosophus IV. Nicom. 3. §. 38. seqq.

Quæ quidem contemnere) Si quis voluptatem, vitam, divitias cum utilitate communi comparet, quæ maxime animi bonis, justitia aliisque virtutibus obtinetur, & videat, utilitatis communis rationem exigere, ut vitam & alia ejus generis bona contemnat, is sua fortitudine, aut temperantia, aut continentia, aut liberalitate utilitatem communem promoturus, sane magnum & excelsum animum omnibus ostendit.

Detrahere) Repetit suam Formulam jam supra explicatam.

Itemque magis) Stoici, uti ex lib. I. Offic. didicimus, ita statuebant, omnia hominis gratia esse condita, Hominem vero propter hominem. Rectius si ita dixissent, Hominem esse propter hominem, cumprimis autem propter Deum. Si enim omnia sunt propter hominem, nonne eo nomine gratias debet, & cultum, & obsequium, Auctori illorum? Benefactoribus enim si gratia referenda est, quæ illi persolvi sat digna poterit, cujus infinita sunt beneficia, & cujus providentia in dies sustentantur, conservantur, & propagantur omnia? Deinde si Homo hominis est causa, secundum Naturam est, ut Homo homini prosit, quemadmodum contra Naturam est, si Homo homini noceat. Quo autem pluribus, & quo majori opera ac studio, prodesse possumus, ita maxime secundum Naturam hoc erit, id est, rationi & honestati maxime erit consentaneum. Si quis igitur, Herculis exemplo, beneficiis nullas non gentes sibi devincire posset, is uti optime viveret, ita sane illud vitæ genus aversaretur, quo bene merendi occasio præripitur, quale est solitarium. Quo igitur quisque est melior & humanior, hoc est κοινωνικώτερος ac πολιτικώτερος, ita segregem vitam magis detestabitur, tanquam inimicam Officiorum communicationi. Hinc eum Aristoteles II. Polit. 2. pag. 6. dixisset, Hominem natura esse ζῶον πολιτικὸν, addit: κ' ὁ ἄπολις διὰ φύσιν, καὶ οὐ διὰ τύχην, ἢ φαῦλός ἐστιν, ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος. *Qui naturæ abhorret a civitate, non aliquo casu inde avulsus, vel improbus est, vel homine melior*. Addit Cicero, etiamsi omnia bona divina quadam virgula suppeditentur solitariis illis, non tamen posse esse jucundam illi hanc vitam, qui animo sit excelso, & officiorum præstandorum cupido. Hoc vero qui velit, in societate cum aliis vivat necesse est, ad finem naturæ apte constituta. Huc spectat illud cujusdam dictum, se nec in Paradiso solum velle degere. Quando autem Herculem imitandum proponit, Heroicarum virtutum exemplum videtur exhibere, quod in vita sequamur. Nam quidquid olim magni ac præclari gestum fuit, illud omne solitum fuisse tribui Herculi notum est; quicunque etiam ille fuisset: unde tot sunt Herculis nomine celebrati viri, ceu jam ab aliis observatum est.

Ex quo efficitur) Cum contrariorum contraria sint consequentia, facile ex superioribus hæ formulæ colliguntur, quod, qui velit ductum naturæ sequi, non adspernari debeat societatem: atque hanc qui velit colere, officiorum & virtutum communicatione debeat partes seu membra societatis sibi conciliare ac devincire: unde non potest non sequi, qui omni studio & ope sint juvandi, illos inique non esse lædendos. His Ciceronis formulis consentanea sunt illa tria Iuris præcepta ab Vlpiano præ aliis commendata l. 10. ff. de I. & I. *Honeste vivere*, *Alterum non lædere*, *Suum cuique tribuere*.

Deinde qui) Adfert jam Dilemma. Si quis violat alterum, vel hoc facit supina quadam ignorantia, non existimans id contra naturam esse: vel quidem hoc scit, sed corporis & fortunæ bona iis injuriis potiora habet. Si prius, nec disputandum nec contendendum cum tali est, quod hominem ex homine tollat, sed suppliciis ille coercendus fuerit. Quid vero sit hominem ex homine tollere, eleganter Aristoteles interpretatur VI. Nicom. 5. §. 16. *Vitium*, inquit, *principii delendi ac perimendi vim habet*.

Clarius

Clarius idem eod. lib. c. 12. §. 33. *Pervertit & depravat judicium rationis vitiositas, efficitque, ut de principiis actionum falsum judicemus.* Et VII. Nicom. 8. §. 12. *Vt Virtus principium tuetur & conservat, ita Vitiositas perdit atque exstinguit.* Principium igitur est Rationis seu Intellectus judicium. Virtus igitur cum sit perfectio illius, cujus virtus dicitur, si illa adsit, recte Intellectus judicabit, & verum bonum ab apparente probe discernet. At vitium corrumpit principium, hoc est depravat judicium, ut Honesti faciem non jam amplius agnoscat. Hinc ita Aristoteles III. Nicom. 1. §. 38. *Ignorare quæ sunt agenda, & a quibus item est abstinendum, est quidem illud ejusmodi, quod omnibus improbis conveniat: atque adeo ex ista re homines efficiuntur injusti, imo mali.* Unde ibidem mox hujusmodi ignorantia illi appellatur ἡ ἐν τῇ προαιρέσει ἄγνοια, *affectata ignorantia.*, talis scilicet, quam nostro nobis jumento arcessivimus. Quia igitur ex debito Rationis usu Homo potissimum æstimatur, nonne, qui illo unice ad malum aliorumque perniciem abutitur, hominem quasi ex homine tollit? Posterius Dilemmatis membrum quod attinet, si lædens sciat, debuisse operam se dare, ne læderet, adductum vero ad læsionem fuisse, quod corporis & fortunæ vitia seu mala animi vitiis majora putaverit, & hunc errorem maximum esse pronuntiat. Quo enim quæque res sua natura præstantior est, ita quoque Virtus seu bonum, quo illa perficitur, erit præstantius. Verbi gratia; præstantior est Sanitas splendido ædificio, atque ista præstantior est Iustitia. Iam quod optimo contrarium, pessimum est. VIII. Nicom. 10. §. 9. Animi igitur vitia, injustitia, avaritia, crudelitas, ejus generis alia, sunt fœdissima, multo sane fœdiora hydrope, scabie, lepra, aut quavis febre. Et hæc corporis vitia sunt multo molestiora, quam sterilis ager, angustus hortus, aut nullus. Addatur Plutarchi liber, Πότερον τὰ τῆς ψυχῆς ἢ τὰ τοῦ σώματος πάθη χείρονα, *Vtrum animæ an corporis adfectus sint deteriores.*

Hominem ex homine) Confer c. 6. l. 1. in fine, & c. 20. in fin.

CAPUT VI.

Ergo unum) Repetit suam Formulam, Hominem natum esse, ut homini prosit, & utilitati communi esse serviendum: cui quidquid repugnat contra naturam esse dicit. Quod autem de singulorum & universorum communi utilitate promovenda docet, hanc habet rationem. Est quædam universi generis humani societas, & cognationem quandam inter nos Natura constituit, uti pulcre loquitur Florentinus l. 3. ff. de I. I. Vbi societas est, ibi bonorum necesse est communio adsit. Vbi bonorum communio, ibi Ius & Amicitia simul erit. Deinde quanta est bonorum communio, tanta est illius societatis Amicitia & Ius. Si jam quæramus, quantam bonorum & officiorum communicationem exigat natura Societatis humanæ, profecto eadem fere erit singulorum & universorum utilitas nobis proponenda. Etiamsi igitur de Iure naturæ mihi seorsum res necessarias parare recte potero, si tamen mihi aliquid supersit aut accesserit, quo aliis inservire queam, omnino obligatus sum ad omnis generis officia, virtutumque actiones exercendas; in iis enim Ius Naturæ consistit, quo hæc Societas regitur. Idque facere ita debeo, licet nulla alia argumenta me constringant, modo hominem esse videam. Interim cum in illa universali omnium hominum societate sint etiam aliæ contractiores magisque speciales, etiam a Natura institutæ, sane discrimen illud est observandum, ut, si sanctiori fide & pacto ejusmodi specialem societatem ingressus aut nactus fuero, v. g. nuptialem, aut paternam, me magis conjugi & liberis esse obligatum, meminerim, quam extra illam positis. Etsi igitur omnibus hominibus prodesse debeam, his tamen præcipue adstrictus sum. Harum enim Societatum ea est natura, ut in iis major rerum, bonorum, & officiorum exigatur communio. In Herili quidem societate minor est rerum communio & amicitia; interim tamen omnis barbara sævitia in servos est Iure naturæ prohibita, &

heri ad omnia illa officia sunt obligati servis, quæ homo debet homini; est enim servus utique homo, etiamsi forsan, ut vult Aristoteles, minus sapiat. Liberalius etiam tractandi sunt ii, qui liberaliter serviunt, quales multi ex iis sunt, qui servitutem serviunt legitimam, bellis videlicet capti. Hinc Aristoteles VIII. Nicom. 11. §. 16. seqq. *Qua servus est id, quod est, (instrumentum animatum) nulla cum eo amicitia intercedit domino: sed qua homo est, aliqua. Nam omni homini cum eo, cum quo pactionum & rerum contrahendarum ratio nobis esse potest, jus aliquod intercedere videtur. Ergo & amicitia, quatenus homo est.* Deinde & hoc notandum est, non hic intelligendam esse talem bonorum communionem, quæ Meum & Tuum, adeoque dominia rerum tollat, aut perturbet, sed facilem debere quemvis inveniri hominem, benefaciendi & communicandi de suo aliis, sive id fiat liberaliter, sive intervenientibus varii generis contractibus & conventionibus. Confer lib. III. c. 12. & 28. pr.

Quod si ita) Hinc jam construit Syllogismum Hypotheticum: si eadem lege Naturæ omnes homines adstricti sunt, ut societate eodemque jure conjuncti prosint sibi invicem, sequitur alterum ab altero minime esse violandum; Verum autem primum: Verum igitur & extremum. Nos vulgo dicimus: Atqui verum prius, seu antecedens; Ergo & verum posterius, seu consequens.

Nam illud) Hominem homini obligatum esse ad mutua subsidia præstanda, abunde cognitum est; non tamen omnibus omnia aut eadem homo debet, uti etiam legitur IX. Nicom. 2. & contrarium a Philosopho ostenditur VIII. Nicom. 9. §. 10. ubi dicit, gravius esse Fratrem decipere, quam civem. Interim etiamsi quis his aut illis inæqualiter obligatus sit, est tamen omnibus obligatus: ut merito secus existimantium absurdam esse pronuntiet sententiam; qualis v. g. illius foret, qui nemini benefacturus, eo obtentu uti velit, quod liberos haberet alendos, cum tamen non his solum, sed & pluribus ejus facultates sufficerent.

Quæ sententia) Recte. Sic enim longissime recederetur a fine civilis societatis: sublato autem fine civitatis, ipsa intereat necesse est. Quis vero est finis Civitatis? ut non solum vivere mihi in illa, sed & commode ac beate vivere liceat. Arist. I. Pol. 2. pr. Iam autem qui fieri posset, ut πασης της αυταρκειας περας indipiscerentur cives, si amicitiam rerumque communionem ultra parentes aut fratres extendere nollent? Hic enim si claudi debeat humanum subsidium, quorsum civilis societas vel a natura constituta, vel ab ipsis esset inita? Ipse Aristoteles quam late porrigat το αυταρκες felicitatis civilis, hic cognoscere interest: *Non quod sibi soli, vitam solivagam agenti, sed quod parentibus etiam, ac liberis, & conjugi, & omnino amicis ac civibus satis est, quandoquidem Homo ad vitam societatemque civilem natus est.* I. Nicom. 7. §. 20. 21. Quam liberalem extensionem ne quis cavilletur, mox Philosophus restrictionem subjicit, quæ ibi videri poterit.

Qui autem) Sunt alii, qui benevolentiæ ac societatis humanæ fructus etiam ad cives porrigunt, exteros autem nihil ad se pertinere dictitant. Hinc vero illud absurdum emergeret, per civilis societatis constitutionem tolli universi generis humani cognationem, jura, ac consociationem. Etsi enim hominibus a Natura secundum Aristotelem impressus sit appetitus civilis societatis, ut arctiori conjunctione legibus civilibus constricta facilius suis commodis ac securitati prospiciant; non tamen hæc civilia pacta possunt infringere aut rescindere Iuris naturæ vincula, quibus devincti sumus omnibus hominibus, qua talibus. Locum hic habere quodammodo potest illa Iuris regula, *Iura sanguinis nullo jure civili dirimi possunt*, l. 8. ff. de R. I. Si qui tamen sint, qui in hac opinione perseverent, omnes virtutes tollunt. Quid ita? quia Iustitia universalis, quæ omnes virtutes cum relatione ad alios complectitur, non sane obligat nos ad subsidium solis civibus, sed omnibus omnino hominibus, siquidem se non indignos reddiderint, præstandum. Pergit hinc col-

colligere, si quis præfracte tollat virtutes, hunc esse impium. Quid ita? quia superioris alicujus auctoritate, quæ humana major sit, ad illas sumus obligati; nec sane nostri arbitrii est, velle illo nexu teneri, nec ne. Imo cum ejusmodi opinio penitus naturæ nostræ rationali sit refragatura, divinæ illa particula auræ in nobis impie proculcaretur.

Ab iis enim) Bene etiam Seneca: *Natura nos cognatos edidit. Ex illius constitutione miserius est nocere, quam lædi*. Ep. 95.

Vel etiam) Denuo occasionem arripit Iustitiam extollendi, cujus sane usum multo maximum esse fatemur. Per incommoda externa, paupertatem, per corporis deformitatem, imbecillitatem, morbos, per animi curas, mœrorem, ejus generis alia intelligit. Præstat itaque esse pauperem, quam cum injuria aliorum ditescere. Præstat esse imbellem & morbosum, quam esse robustum & violenter lædere alios. Præstat dolorem ex egestate aliisve incommodis sine tuo vitio arcessitis sentire, quam ex turpibus actionibus delectationem capere: ita præstat propter inopiam non erudiri, quam eruditionem partam ad dolos & fraudes convertere. Notandum hic est, pro his verbis, *Quæ vacent justitia*, unum Manutii codicem, *Quæ non vacent justitia*, & Vbaldinum legere, *Quæ vacent injustitia*. Quas sane lectiones illi vulgari libenter præferrem, ut hæc sit Ciceronis sententia: Hominem erga alios in societate humana ita debere esse adfectum, ut malit subire incommoda & fortunæ, & corporis, & animi, modo ab his absit injustitia, quam alterum inique lædere. Lambinus, ut huic textui, quem inexplicabilem putat, medelam adferat, integram periodum interserit, quam a librario omissam conjectat.

Forsitan) Exhibet jam Quæstiones ex variorum attributorum πρισκασει dubias. Sapientem ille hic intelligit, ex sententia Stoicorum, hominem, qui cum Iove ex pari vivat, imo illo (si diis placet) superior sit. Talis igitur quam multis possit esse utilis, quis non intelligit? adeoque ex Lucano quis ita de hoc statuere possit:

Cum tot ab hac anima populorum vita
salusque
Pendeat, & tantus caput hoc sibi fecerit orbis,
Sævitia est voluisse mori.

Huic igitur sapienti homini tam necessario, & Phœnice rariori opponitur hic a Cicerone homo prorsus inutilis, ετωσιον αχθος αρȣρης, *pondus inutile terræ*, & quæritur, an non Sapiens huic eripere panem possit, siquidem alia ratione salvus esse nequeat. Negat Cicero, quod propositum lædendi alterum multo grandius malum sit, quam το vivere bonum: & quod Sapienti non tam το non vivere malum sit, quam innocentia & justitia illi bonum est. Est quidem ita, ut, si in gravissima necessitate, & quidem fame, vel omnino non peccetur, vel peccatum hoc levissimum, & venia facili dignum sit, si alienis esculentis ad explendam famem usus fueris. Verum ne hæc licentia evagetur, quod facile accidere posset, cum alia observanda sunt, tum illud etiam, an pari necessitate ipse possessor teneatur: quo posito, non concedendum alteri, ut possidentis conditionem deteriorem reddat, suam sublevet. *Melior est causa*, inquit Curtius, *suum non tradentis, quam poscentis alienum*. Plura hac de re diximus ad Grotii lib. II. de Iure Belli & Pacis c. 2. §. 6. seqq. *Stultus non est, qui tabula naufragum, ne salutis quidem propriæ causa, nec equo saucium dejecerit: quia se abstinuit a nocendo, quod est peccatum; & hoc peccatum vitare sit sapientis*. Lactant. lib. V. c. 16.

Quid? si Phalarim) Quæstio perspicue in textu proponitur, ad quam Cicero distinctione adhibita respondet. Vel enim ille Vir bonus est privatus, sibique solum utilis, vel Reip. plurimum prodest. Hanc distinctionem jam quidem ratam habeamus. Censet itaque Cicero prioris conditionis hominem non posse licite spoliare Phalarim, posterioris vero posse. A priori enim si hoc fiat, esse inhumanum; ubi enim par utrobique est necessitas, possidentis conditio melior videtur, ut contra rationem & naturam hominis esse videatur, velle illi quidquam eripere. A posteriore si idem fiat, excusari hujus fa-

ctum salute publica ; sic ut duo cum faciant ; idem non sit idem . Et vero hanc responsionem facillime Ciceronem expedivisse legimus . Verum enimvero plures hîc sunt attendendæ περιστάσεις , antequam plane possis de ea esse certus . Primo hîc considerandum est , qualis sit ille Tyrannus, deinde alter ille quis sit, subditus ne an extraneus ; si subditus , an umquam fuerit a tyranno crudeliter habitus , nec ne ; an item universus populus imperium tyranno derogaverit , & in privatam conditionem redactum cuivis occidendum exposuerit : & an ad ejusmodi executionem populo jus fuerit . Sin extraneus, an hic sit privatus , an gerat magistratum , aut sit Princeps , & quidem bonus , vel an æque malus . Tum ille extraneus , sive privatam , sive publicam sustinuerit personam , an a tyranno læsus fuerit , nec ne , an sola humanitatis ratione motus tyrannide oppressis eat auxiliatum . Hæc singularia multum diversam responsionem pariunt. Sed inhæreamus textui Ciceronis , & inde responsionem ulteriorem formemus . Supponit ille tyrannum plane immanem , qualis fuit Agrigentinus ille Phalaris , adversus quem etiam subditis videntur arma permissa , ut tamquam belluam talem tyrannum irruentem , omniaque laniantem, & Reip. hostem se ferentem interimant . Cum ejusmodi tyrannis dicit nobis nullam esse societatem , ac per consequens , nullum jus : adeoque cur hic diversum statuat , quam occasione præcedentis quæstionis fecerat , hæc videtur esse ratio , quod Tyrannus non solum sit homo inutilis , sed plane perniciosus ac pestilens, parricida patriæ, hostis Reip. *in reos autem majestatis, & publicos hostes omnis homo miles est*, inquit Tertullianus . Deinde, inquit , non adversari naturæ, spoliare eum , quem occidere licet . Quod autem ejusmodi tyrannos exterminare liceat , confidenter hac in re Græcos sequitur . Qui enim instar luporum & leonum in humano genere & societate grassantur , in Deum extreme impii , in homines extreme iniqui & crudeles sunt , horum sane ferina immanitas non inique videtur domari & reprimi posse . Hinc ita loquitur Cicero : *Sic ista in figura hominis feritas , & immanitas belluæ a communi tamquam humanitate corporis segreganda est*. Add. Grot. III. de Iura Belli & Pacis c. 19. n. 3. Alb. Gentil. l. I. de Iure Belli c. 1. Etsi vero in tales humani generis fæces , & lutum sanguine maceratum , tale quid certis statuere casibus liceat ; diligenter tamen notandum est, quod idem Cicero paulo ante monet : *modo hoc ita fiat , ut ne quis ipse de se bene existimans , seseque diligens , hanc causam habeat ad injuriam* . Hinc illam Ciceronis formulam , quam in truculentissimis tyrannis certo modo admisimus , non sane universaliter veram & infallibilem amplecti debemus, videlicet , Nullam nobis cum tyrannis esse societatem , sed potius summam distractionem ; etiamsi idem dicant alii . Proinde Grotius diserte illam repudiat III. de Iure Belli & Pacis c. 19. n. 2. Addatur illius lib. II. c. 13. n. 15. Quod autem quem occidere nefas non sit , spoliare liceat , & quæ hinc alia produci queant , videatur Idem lib. III. ejusdem Operis c 5. n. 1. quamvis illud ipsum non simpliciter procedat . Fieri enim potest, ut ex decreto Reip. aliquis proscriptus impune possit occidi , quem tamen non liceat spoliare , sed bona ejus heredibus sint relinquenda , nisi lege aliud constitutum sit . Licet quoque jure gentium occidere hostium feminas quandoque, pudicitia easdem spoliare non licet . Alb. Gentil. l. II. de Iure Belli c. 21. Quod jure gentium licere dixi , quomodo sit intelligendum non semel docet Grotius lib. III. de Iure Belli & Pacis .

Sed communis) Si quis inutilis homo , qui tamen aliis non sit infestus, veluti tyrannus , hominem bonum & publice valde utilem fame affligi viderit , sic ut ea sit periturus , nisi ipse suum cibum ipsi concedat , mortemque obeat ; docet Cicero jure societatis hunc esse obligatum , ut mortem suam præoptet , eaque ratione salvum præstet eximium illum hominem . Grotius mavult ejus actionis necessitudinem tribuere legi Caritatis : cujus hæc sunt verba : *Ut meo unius bono multorum admodum bonum præferam , Caritas monet sæpe , imperat in-*

ter-

terdum, lib. II. de Iure Belli & Pacis c. 1. §. 9.

Nulla est enim) Ita quoque Brutus apud Appianum loquitur: *Cum tyrannis Romanis nulla fides, nulla jurisjurandi religio*. Sicuti enim prius simpliciter verum non est, multo minus posterius: quod demonstrat Grotius II. de Iure Belli & Pacis c. 13. n. 15. & lib. III. c. 19. n. 2. Eodem errore ductus Michael Ephesius ad V. Nicom. docet, in tyranni uxorem adulterium non committi. Iulius Clarus etiam feminam bannitam impune adulterio corrumpi censuit, §. Homicidium n.56. Confer lib.II. c.7. l. III. c. 4. & c.21.

Neque est contra naturam) Nam qui puniri possunt, ut vitam amittant, his & res & jura sua possunt auferri. Inter jura autem est & hoc, jus ex promisso quæsitum; nisi cum malefico, qua tali, sit pactum initum. Itaque non male Nabis apud Livium Quintio Flaminio, qui ipsi tyrannidem objecerat, occurrit: *De nomine hoc respondere possum, me, qualiscumque sum, eumdem esse, qui fui, cum tu mecum societatem pepigisti*.

Etenim ut membra) Quibus casibus liceat tyrannos seu putrida societatis membra e medio tollere, cum alibi ad Grotium prolixius disputatum est, tum ad lib. I. de Iure Belli & Pacis c. 4. §. 11. 16. seqq.

In figura hominis) Confer c. 5. h. l. in fin. & c. 20. in fine. Talis bestia erat Caligula, qui unam populo Rom. cervicem optabat, ut uno ictu tolli posset. Qui non temere in quemquam, nisi crebris & minutis ictibus animadvertebat, perpetuo notoque jam præcepto: *Ita feri, ut se mori sentiat*. Sueton. in vita; c. 30. & 49.

Hujus generis) Hujusmodi quæstionis variam dubitationem consequuntur ex περιστασει temporum. Hinc Aristoteles argute loquitur III. Nicom. 1. §. 10. Το τελος της πραξεως κατα τον καιρον εστι. Quæ verba ita exprimit Vetus Paraphrastes: *Vniuscujusque actionis finis talis aut talis est pro tempore; & respectu temporis aut bonus fit aut malus*. Vbi nota non dici hoc tempus χρονον, sed καιρον. Sed quæso quæ est differentia utriusque? Illud paucis perelegauter docet Medicorum Coryphæus Hippocrates initio παραγγελιων. Χρονος εστι, εν ῳ καιρος, και καιρος, εν ῳ χρονος ου πολυς. Hæc ita Anutius Foesius transtulit: *Tempus dicendum est, in quo occasio consistit: Occasio autem, in qua tempus non multum*.

CAPVT VII.

Eiusmodi igitur) Hæc sunt προοιμιων δη, & frustra toties repetuntur.

Quia omnino) Meretur hic notari oppositio inter το turpe, & quod omnino turpe non est: unde jam manifeste colligitur, Stoicos non inhæsisse propriæ significationi Honesti, sed latiori, videlicet, quidquid non est inhonestum.

Vt Geometræ) Omnis doctrina a notioribus ad minus nota progredi debet. Quia igitur sæpe fit, ut auditores non sint capaces percipiendi semper το διοτι, primum illis το ὁτι imprimendum est. Hoc ut obtineamus, sæpe utimur Hypothesibus, quibus si forsan auditor adsentiri nolit, Geometrarum exemplo postulamus & exigimus fidem & adsensum ejus, donec alias liceat illam hypothesin demonstrare. Atque hinc illæ ὑποθεσεις dicuntur αιτηματα Euclidi, *Postulata*: Cassiodoro *Petitiones*: Martiano Capellæ, *Concedenda*. Proponit itaque Cicero duo Postulata, Nihil propter se est expetendum præterquam Honestum. Alterum hoc est, quod Honestum est, illud maxime propter se est expetendum. Circa prius dubitat, an Filius sit adsensurus, quod aliter a Cratippo Peripatetico forsan edoctus fuerit. Sibi vero inquit utrumvis satis ad præsens propositum esse, sive Peripateticos, sive Stoicos Filius sequatur, Honestum maxime propter se expetendum, & Vtili præponendum esse. Deinde Academicam inconstantiam subindicans inquit, in hac doctrina nullam sententiam sibi videri probabilem, nisi Peripateticorum, & Stoicorum, atque adeo utramque admitti posse, ut sive adsumas Honestum Peripateticorum, quod illi ab Vtili seorsum ponebant: sive Honestum Stoicorum, quod ita cum Vtili complicabat, ut nihil utile esset, quod non idem esset honestum: utrumque probabile admodum sit ad illud demonstran-

strandum, nihil esse utile; quod non idem sit honestum. De hisce quid sentiendum sit, circa initium Libri II. pluribus dictum est; & jam nota est illa æquivocatio, unde omnis illa discrepantia oritur. Hoc tamen dissimulandum non est, posterius Postulatum esse verissimum, non item prius. Multa enim propter se expetuntur, quæ non sunt Honesta, v. g. Sanitas, & quæcumque jucundorum bonorum censu veniunt.

Ac primum) Dicat quis, si vera est hæc Hypothesis, nihil esse utile, quod non honestum, nec honestum quidquam quod non idem utile, atque hæc nonnisi pestilentissimo hominum errore distrahi; quo jure Panætius sibi proponere potuit, ut doceret, si hinc Honestum, atque hinc Vtile ostentaretur, utrum esset eligendum, cum hæc sint eadem, & numquam sibi adversari queant. Si igitur voluit *θεσιν διαφυλαττειν, και ὁμολογυμενα λεγειν ταις ὑποτεθειμεναις αρχαις, thesin tueri, & principiis positis consentanea loqui*, ut Aristoteles loquitur, ejusmodi contentionem non potuit recte instituere. Vt igitur Cicero hoc a Panætio avertat, & ipse *θεσει δυλευει, thesi servit*, ita illum excusans, non existimasse Magistrum suum, ac si vera aliquando inter Honestum & Vtile pugna exsistere queat; sed offerre sese nonnumquam talia; quæ speciem Vtilitatis sub larva quadam præ se ferant, cum nihil minus sint quam Vtilia, quod Honestati repugnent: præsertim cum ex Stoica hypothesi vere Vtilia & Honesta plane sint eadem. Hæc igitur umbratilis pugna, inquit, non eo consilio a Panætio fuit instituta, ut aliquando Vtile præferatur Honesto, sed ut verum Vtile tanto rectius dignoscatur ab eo, quod nonnisi vanam speciem illius mentitur.

CAPVT VIII.

CVm igitur) Serio jam rem aggreditur. Si, inquit, ea se specie aliquid nobis offerat, quod commodum, ornamentum aut incrementum corpori aut fortunis nostris addere possit, necesse est appetitum illa boni specie pellici ac commoveri. Ceterum ne fallax forte bonum persequaris, subito mentis aciem intende, &, si illam utilitatem sic existimatam cum turpitudine aliqua revera conjunctam esse intellexeris, apage illam Vtilitatem. Nam ubi turpitudo est, ibi utilitas esse non potest. Quod argumentum recte intellectum, verissimum est. Nec enim quidquam revera aut constanter est Vtile, quod Honestati repugnat, & cum turpitudine conjunctum est. Natura vero & recta Ratio constantia desiderat & convenientia, hoc est, illa utilia admittit, quæ honestati non adversantur, nec quæ ad breve momentum sunt Vtilia futura, mox autem propter turpitudinem admistam vel subsecuturam peritura; sed quæ consistere aliquamdiu aut perpetuo poterunt, eo, quod Honestati non sint contraria.

Nihilque tam) Cum plurimis homo indigeat vitæ instrumentis, & in illius commodum omnia sint condita; secundum naturam est expetere res utiles. Sed hic adverte Stoicam *ρησιν* & sententiam, tum demum hoc esse Naturæ consentaneum, si appetitus noster circa utilium expetitionem recte sit informatus, id quod fit per virtutes morales. Iam vero res utiles, quæ cum tali delectu, & virtutis habitu *προαιρετικῳ* expetuntur, nullam turpitudinis maculam secum trahunt.

Itemque si) Ita sane est; ad Honestatem nati sumus, omniaque alia bona debitis officiis huc præcipue sunt referenda. Quod autem addit, ex sententia Zenonis solum Honestum esse expetendum, oritur illa ex multiplici & æque futili Stoicorum divisione bonorum; imo quod nullum verum bonum existimarent, quam Honestum. Sed quod ex Aristotelis sententia docet, Honestum esse maxime expetendum, verissimum illud est. Nec minus illud, quod inde colligitur, esse idem summum bonum. Nam quod maxime propter se expetitur, numquam propter aliud, & ad quod omnia alia referuntur, illud est summum bonum humanum, uti pluribus demonstratur ab Aristotele I. Nicom. Sunt interim multa alius generis etiam bona, quæ, licet Honestati, ceu summo bono & fini ultimo sunt subordinata,

nata, nihilominus expetibilia sunt.

Quod autem bonum) Porro ita colligit, Quidquid est bonum, illud est utile; Honestum est bonum; Ergo Honestum est utile. Huc scilicet jam reducere suam disputationem studet, ut demonstret, simpliciter idem esse Honestum & Vtile, & reciproce de se invicem hæc prædicari posse; quod tamen isto argumento neque infertur, neque evincitur. Sed, quod toties monui, latet omnis rei vis in solida explicatione terminorum, quæ toties iteranda non est.

Quare error) Contrarium statuere improbos inquit, idque, errore suo, ex vitiis nato. Vitia enim, uti supra pluribus dictum fuit, corrumpunt judicium mentis, ut circa bonum & malum dijudicandum mirifice hallucinetur, & aliud utile fingat, aliud honestum, etiamsi istud huic repugnet. Illustrat idipsum multis singularibus: ex quibus unum solum desumam, ad cujus exemplum reliqua item erunt interpretanda. Sicarius dolose interempturus alium, facit illud sæpe Vtilitatis causa, ut spoliet occisum. Hoc ipsi videtur utile: idque inde fit, quod aliud faciat Vtile bonum, aliud Honestum, neque solum illud ab hoc diversum, sed & huic adversum. Quod si ille discrimen tale non apud animum suum constituisset, numquam tale quid patraret, quod scilicet nihil possit esse vere utile, quod non sit honestum, hoc est, ei saltem non adversetur: & summe esse inutilia, quæ cum scelere & turpitudine sunt conjuncta.

Hinc opum) Ditescere per varia injustitiæ genera multis errore mentis, per vitium avaritiæ occupatæ videtur utile; cum tamen hæc omnia Honestati quam maxime sint adversa. Vtile autem hoc ambitiosis & improbis videtur, quod iis opibus uti possint ad opprimendam Reip. libertatem, & imperium ejus invadendum. Quibus verbis denuo notat Cæsarem. Ostendit vero Cicero, non solum hoc non esse utile, sed quam maxime inutile, & inhonestum; ut etiam tales opes per injuriam aut scelus corrasæ, ad tyrannidem invadendam destinatæ, non sint ferendæ, sed tempestive ac prudenter minuendæ. Ideo remedii loco in præpotentes cives ab Atheniensibus adhibebatur ὀστρακισμὸς: de quo Plutarchus *in Aristide, & Pericle*, Corn. Nepos, Diod. Siculus lib. II. Pollux lib. VIII. Thucid. lib. VIII. Aristoteles III. Polit. 9. Cœl. Rhodiginus lect. antiq. lib. XXI. c. 44. A Syracusanis πεταλισμὸς, quo potentiores, scriptis eorum nominibus in foliis olivæ, populi judicio ejiciebantur. Sic Romanos Scipionem, liberæ civitati nimis potentem, in exilium egisse, auctor est Livius lib. XXXVIII. Quod si etiam mature Cæsaris potentiæ occurrissent, rectius consultum fuisset Reip. Rom. Qui cum jam omnia occupasset, nulla lege poterat constringi. *Risum enim de se excitaret, qui experiretur lege tales illigare; dicerent enim fortasse eadem illa, quæ Antisthenes ait leones dixisse, cum in concione verba facerent lepores, postularentque, ut omnes æqualia haberent*: Verba sunt Aristotelis III. Polit. 9. Alios insuper minuendæ potentiæ luxuriantis modos videre licet apud Piccartum ad d. c. Polit. Bono quidem consilio quondam in Rep. Rom. C. Licinius Stolo Tribunus pl. contra avaritiam ditiorum legem tulit, *Ne quis plus quingenta jugera agri, centum pecoris majoris capita, quingenta minoris possideret*, testibus Varrone, Livio, aliis: quam cum vulgo negligi videret, Ti. Sempronius Gracchus Tribunus pl. nova sibi lege muniendam duxit; de qua videri poterit Car. Sigonius lib. I. de Ant. jur. civ. Rom. c. 16. Vtilissimus quoque in tanta Vrbis & Imperii amplitudine fuit magistratus Censorum, quorum officium erat, describere facultates civium, observare non solum privatorum hominum, sed & Senatorii & Equestris ordinis vitam moresque, illos pro re nata notare, Senatorem movere loco, Equiti adimere equum, & annulum, aliaque omnia tollere, aut emendare, quæ Reip. perniciem adferre videbantur. Dempsterus antiq. Ro. lib. VII. c. 10. Ab iis vero populus Ro. non satis bene sibi cavit, qui ad periculum, damnum, aut exitium Reip. inferendum erant paratissimi, imperatoribus suis, quibus opulentissimas sæpe provincias, & firmissimas legiones, integrosque exercitus commiserant. Nec enim ullius oraculi tanta fuit veri-

veritas, quam horum Aristotelis verborum: *Qui in sua manu habent arma, in eorumdem arbitrio est, maneat, an non maneat Respublica*, VII. Polit. 9. Ceterum quod hic Cicero ait, de nimiarum opum potentia non ferenda, simpliciter, & ubique verum non est. Si enim Princeps vicinæ Reip. potentiam nimis crescentem suspectam habeat, non sane ipsi utile videri debet, quovis modo illam infringere, & hanc ad rem occasione abuti; etiamsi, qui secus faciant, stolidos esse pronuntiet Polybius. Sæpe enim idipsum non fieri potest juste, adeoque factum illud non potest esse honestum, cui cum propter injustitiam repugnet, non quoque poterit esse vere utile. Vide quæ de hac quæstione disserit Grotius lib. II. de I. B. P. c. 1. §. 5. & 17. Cujus inter alia hæc sunt: *Ita vita humana est, ut plena securitas numquam nobis constet. Adversus incertos metus a divina providentia, & ab innoxia cautione, non a vi præsidium petendum est*. Livia apud Dionem Cassium ait, infamiam eos non effugere, qui facinus, quod timent, occupant. Quo etiam pertinet illud Vibii Crispi: *Quis tibi sic timere permisit?*

Pœnam non dico) Tam indomitum ac corruptum habent appetitum, ut utilitatem, quam sibi etiam ex scelere pollicentur, cæco eodemque proterve impetu sectentur, & leges tamquam aranearum telas vespæ, (alludit enim ad notum Anacharsidis dictum) perfringant, cum tamen illos maneat pœna turpitudinis, quæ a Conscientia propter male actam vitam infligitur, eaque acerbissima. Hinc illa Conscientiæ supplicia pro Sex. Roscio & in Pisonem, per Furiarum tædas ardentes a Poetis denotata fuisse Cicero docet. Iuvenalis Satyr. XIII. hanc pœnam multo graviorem esse dictitat Cæditiis & Rhadamanti tormentis. Absit igitur illa ἀθεώτατος vox:

Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

Absit illud Epicurei poetæ, qui, cum multa de pœnis inferorum disputasset, tandem egregio scilicet epiphonemate illa obsignat lib. III. *Hæc neque sunt usquam, neque possunt esse profecto*. Optime Seneca ep. 93. *Prima illa & maxima peccantium est pœna, peccasse: nec ullum scelus* (etiamsi fortuna nonnullos ad tempus liberare videatur) *impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est. Nullum enim detrimentum majus excogitari potest, quam quod animo infertur a vitio*. Atque hinc ex recentioribus insignis sane Philosophus Franciscus Piccolomineus inter Pœnarum gradus malam Conscientiam recte collocat Grad. IX. c. 53.

Quamobrem) *Propositus est deliberanti scopus id; quod utile est. Et consultant non de fine, sed de iis, quæ sunt ad finem: & hæc sunt utilia in actionibus*. Verba sunt Aristotelis I. Rhet. 6. pr. Etsi igitur omnis deliberatio in quæstionem vocet, quid utile sit, aut inutile, ut hoc fugiat, illud eligat; non tamen tale debet eligi Vtile, quod Honestati adversetur: secus si fiat, ipsa illa consultatio suo proposito vitiosa est, etiam si illud non tenuerint. Hoc enim vult his verbis, *In ipsa dubitatione facinus inest, etiamsi ad id non pervenerint*. Vbi obiter notetur, Consultationem dici Dubitationem. Omnis enim Consultatio est quæstio. III. Nicom. III. §. 24. Illa vero quæstio est de re dubia, cujus exitus incertus sit. c. eod. §. 17. Libro I. dicebat, ejusmodi dubitationem significare cogitationem injuriæ. Iuvenalis Sat. 13.

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas,
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet. Cedo, si conata peregit?

Sic Glauco Lacedæmonio, consulto oraculo, liceret ne perjurio abnegare depositum, Pythia interitum generis fuit comminata. Atque illi veniam petenti, respondit: τὸ πειρηθῆναι τοῦ θεοῦ, καὶ ποιῆσαι, ἴσον δύναται, *Cum tentaris Apollinem perinde est, ac si facinus admisisses*. Ita ille, quo magis militem concitaret, apud Tacitum ait: *Qui deliberant, jam desciverunt*.

Atque etiam) Tanto studio & religione ejusmodi deliberationes nefariæ sunt evitandæ, ut, licet spes sit posse tua consilia omnia facere, tamen ejus generis consultationes instituere nolis.

nolis. *Etiamsi*, inquit, *omnes Deos hominesque celare possimus*. Hæc quidem Stoica magnificentia jactitantur. Alias si Deum quis fallere posset, quæ foret religio, quodnam jus? quandoquidem omnis ejusmodi obligatio a superiori auctoritate suum nexum & vim habet, ceu in Prolegomenis pluribus demonstratum fuit. Illustrat hoc fabula Platonica ex II. de Repub. petita. Qualem annulum ejusque fortunam si possideret Sapiens Stoicus, esset tamen in sua vitæ sanctitate τετραγωνος, nec eo ad ullum malum abuteretur. Ipse vero, fabulam illam quod attinet, inspiciendus est Plato, quam etiam Herodotus narrat lib. I. nulla annuli mentione facta. Val. Max. lib. VII. c. 1. Cœl. Rhodig. lect. ant. lib. VI. c. 11. Erasmus in Chiliad. adagio, *Gygis annulus*.

CAPUT IX.

NOn occulta) Quæ cum honesto pugnent, & cum turpitudine sint conjuncta, propterque illam latebras quærant. Nam consilia sua secreta habere, cumprimis ardua, veræ prudentiæ est. Ovidius;

Eximia est virtus, præstare silentia rebus:
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.

Atque hoc loco) Reprehendit hîc nonnullos Philosophos, qui vim & naturam orationis hypotheticæ, & τὸ ἐπιμύθιον fabularum non adsequantur. Dicunt itaque hanc esse fabulam; nec posse fieri, ut quisquam Deos hominesque fallat, adeoque non posse sine metu Numinis quemquam quid inique moliri. Hisce ineptiis ita occurrit, ut facile admittat, esse hanc fabulam; sed dispiciendum esse, quodnam in illa morale lateat. Neque enim adseritur, quemquam deos hominesque posse omnia clam habere; sed sub conditione & hypothesi tamquam possibile hoc proponitur, eo fine, ut iniquas ejusmodi actiones se vel suscepturos, vel per se vitaturos esse profiteantur. Posterius si dicant, sequitur omnia turpia esse fugienda: sin prius, tamquam facinorosos ipsi se prodent. Hæc quidem Stoicorum grandiloquentiæ sunt cognata; sed, quod jam tum monui, hîc repetendum est. Si enim Deus falli posset, nulla ejus esset providentia, nulla pœna: id quod ne Stoici quidem concedent. Si nulla sit providentia, aut pœna, & mei commodi gratia etiam cum incommodo alterius aliquid faciam, numquid vel tu, vel alius quisquam me ceu facinorosum damnabit? Loquor de statu naturali. Unde igitur tibi aut alii illa auctoritas in me, cum natura omnes pari conditione nati simus? Necesse igitur est, ut honestatis obligationem ad aliquem hominе superiorem referas, qui bonis actionibus præmia, malis pœnas destinaverit. Hic vero non poterit esse alius, quam Deus, a quo Providentia talis separari nequit. Plura de his in Prolegomenis. Quod attinet illa verba, *Quamquam potest id quidem*; testis est Manutius, in cunctis veteribus suis libris non aliter legi: recte autem monet, sententiam omnino exposcere particulam *Non*, & hoc modo legendum esse, *Quamquam non potest id quidem*. Non equidem tot codicibus facile refragari licet, alioqui putarem, illa verba esse delenda, quod absque his omnia concinnius cohæreant, & forte librarii aut interpretis manu adscripta irrepserint.

Hoc verbum) Hypotheticam orationem dignoscere nesciunt a simplici & categorica.

CAPUT X.

INcidunt sæpe) Multæ in vita dubitationes occurrunt, quæ utilitatis specie animum ancipitem reddere possunt. Inter illas vero non referendam esse monet, an proposita magna utilitate honestum deserere liceat; hanc ipsam enim dubitationem crimen habere, adeoque neminem ad ejusmodi deliberationem commoveri debere. Ita, inquam, hîc docet Cicero. Sed hoc videtur vix indistincte procedere posse. Vel igitur illa utilitas honesto plane repugnat, vel est talis, ut sit non inhonestum, illam expetere. Si priori modo sit comparata, adsentior Ciceroni. Comprobat idem Aristoteles III. Nicom. 1. §. 19. Si ergo ad talia non debemus adduci vi ulla aut necessitate, ceu d. l. monet Philosophus,

phus, qui utilitate aliqua, aut lucri spe? Sin posteriori modo sit comparata utilitas; crediderim sane, posse nonnumquam licite exiguum honestatis officium intermitti, aut differri, & magna illa utilitas prehendi, eum illa animi destinatione, ut quidquid emolumenti aut copiarum consecutus fueris, ad plura deinceps & majora honestatis officia exercenda adhibere velis. Indiget enim profecto Honestatis exercitium multis subsidiis ac instrumentis, quæ magnam partem Vtilium bonorum censu veniunt. Tantum autem abest, ut ejusmodi utilitatis consectatio honestati adverseture, ut potius ex illa, quam dixi, animi destinatione commendationem illius mereatur ac provocet.

Possit ne illud) Si & hic utile intelligas, quod vel plane cum Honesto convenit, vel saltem illi non adversetur, nullum est dubium, utrumque fieri posse sine turpitudinis nota. Cicero hic proponit exemplum Bruti, qui publicæ securitatis & utilitatis gratia ipsum collegam Collatinum Tarquinium urbe expulit, & illud ad proprie dicti Honesti genus refert; Vtilitatem enim valuisse ait propter honestatem, sine qua nec utilitas esse potuisset. Mihi vero secus videtur, referendumque hoc factum ad sequius Honesti genus. Et sat negotii fuerit, idipsum tamquam non inhonestum defendere: quod vix obtinebitur, nisi supponas, nullam aliam securitatis in solidum constituendæ rationem superfuisse. Vnde etiam hoc Bruti factum graviter reprehenditur ab Augustino lib. II. de C. D. cap. 17. & Alb. Gentile lib. I. de Arm. Rom. cap. 4. qui non solum Brutum, sed & ejus defensorem Ciceronem exagitat. Idem vero factum lib. II. de Arm. Rom. cap. 4. defendit. In his enim libris nescio quo consilio εις εκατερον disputat Albericus.

At in eo rege) Recte hic judicat. Nam illa utilitas, quæ ex monarchia sperabatur, per parricidium quærebatur, adeoque Honestati penitus reluctabatur. Ipsæ quoque tanti facinoris causæ erant frigidæ & quæsitæ. Hic igitur etiam illud Polybii monitum erit observandum, caute discernendas esse τας αιτιας, και τας προφασεις, *causas & prætextus. In parricidio nulla satis justa causa ad sceleris patrocinium prætexi potest*, inquit Iustinus lib. XVI. Papinianus, *asylum juris, & legalis doctrinæ thesaurus*, ceu eum commendat Ælius Spartianus, securi fuit percussus jussu Antonini Bassiani Imp. Severi filii, quod parricidium ejus in Getam fratrem commissum defendere noluisset. Hinc quoque judicium fieri potest de barbaro Thurcarum instituto, securitatem imperii per parricidia adstruentium.

Et tamen) *Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.* Sen. in Agamemn. *Non capit regnum duos.* Idem Thyeste. *Omnem potestatem ad unum conferri, pacis interfuit.* Tacit. I. Hist. c. 1. *Vnius imperii corpus, unius animo regendum.* Tac. I. Ann. c. 12. Postrema hæc admitti possunt, si absit scelus.

Peccavit igitur) En tibi Deos gentilium! sed quid mirum est de Romulo hoc dici, adscriptitio illo hominum consecratione Deo? Quid de Iove, omnique deorum familia Poeta? *Iupiter infamat seque suamque domum.* Plura de Romuli injustitia legere licet apud Alb. Gentilem lib. I. de Arm. Rom. c. 2.

Nec tamen) Non est inhonestum, ut nostris commodis operam demus, iisque ad necessitatem fruamur: nec obligati sumus nostra re subvenire aliis, qua ipsi indigeamus. Interim tamen ita nostræ utilitati serviemus, ne aliis invideamus, multo minus quidquam eripiamus. Locum hic habet illud Epicteti, όπου το συμφερον, εκει και το ευσεβες τιθεμεθα, *ubi utilitatem, ibi & pietatem collocamus*, teste Simplicio ad c. 13. Enchiridii. Eodem Chrysippi dicto in alia causa utitur Grotius II. de I. B. P. in adnot. ad cap. 2. §. 2.

Sic in vita) Iulianus, cum primam legem de Deo agnoscendo & colendo constituisset: *Lex altera*, inquit, *& ipsa suapte natura sancta atque divina est, quæ semper & ubique alienis abstineri jubet, neque vero aut verbo, aut facto, aut arcanis animi cogitationibus contra iri sinit.*

Maxime autem) Quia Amor, fundamentum seu vinculum amicitiæ, miris modis variat, modo in hoc, modo

do in aliud objectum inclinans, honestum, utile, jucundum, & huc illuc animos impellit, mirifice perturbantur officia in amicitiis, uti Cicero inquit. Modo enim Amori nostro ita indulgemus, ut quidvis tribuamus amicis, etiamsi hoc sit contra officium: modo deprehendere in nonnullis licet quamdam ἀστοργίαν, aut μισανθρωπίαν, ut ne quidem illa amicis tribuant, quæ vel maxime debebant. Vt igitur circa amicos recte nos geramus, suppeditat generale præceptum, & monet, honores, divitias, voluptates, omnia denique ejus generis jucunda & utilia bona esse amicitiis postponenda. Non igitur hujusmodi rerum præmio vel spe invitari te illicique patieris, ut amicum afflictum deseras, aut non defendas. Hoc igitur locum habebit in amicitiis honestis. Vix vero idem obtinebit in amicitiis utilibus & jucundis. Quia enim ipsæ illæ nituntur bono Vtili, & Iucundo, & tales amici non amantur, nisi hactenus, quatenus utilitatis aut jucunditatis aliquid alteri communicant; hinc sane in iis ipsa utilia & jucunda primum locum habere videntur. Sed sciendum est, Amicitias cum utiles, tum jucundas duplicis generis esse posse. Vel enim tali bono utili aut jucundo nituntur, eoque modo coluntur, ut honestas nullo pacto lædatur; vel illæ sunt tales, quæ honestati minime sunt consentaneæ. Potest enim bonum utile vel jucundum quæri, vel cum injuria alterius, vel sine injuria aliorum. Vult itaque Cicero, in amicitia honesta præcipue spectandam esse ipsam honestatem, eamque nulla re alia lædendam. Quod attinet amicitias utiles & jucundas, honesto non repugnantes, in iis quidem utile & jucundum bonum nobis consectari licere, sed modo honesto, & sine alterius injuria. Si enim συναλλάγματα bona fide & æqualiter celebrentur, hæ amicitiæ utiles nihil habent vitii, & recte instituuntur: at si mala fides aut fraus interveniat, desque operam, ut sis locupletior cum alterius damno, tunc hoc ipsum cum honestate consistere non posset. Ceterum cum Amicitias utiles & jucundas Philosophus *κατὰ συμβεβηκώς*, *ex eventu*, amicitiæ species esse dicat, præceptum Ciceronis ad amicitias proprie dictas, hoc est, honestas præcipue referemus. Addantur, quæ late disputat Aristoteles VIII. & IX. Nicom.

At neque) Cum amicitiæ numquam anteferenda esse monuisset, honores, divitiæ, voluptates, & cetera generis ejusdem, subjicit quamdam exceptionem, ne quis omnia cuivis amicitiæ anteponenda esse simpliciter existimet. Etsi enim jure naturæ multa debeamus amicis; bonus tamen vir numquam faciet quidquam amici caussa, quo Respublica, vel jurisjurandi religio, & omnino honestas violetur. Ratio est manifesta, quia major est obligatio erga Remp. & deinde erga Deum, cui præcipue juratur. Vnde nec amici talia a nobis honeste petere aut exspectare poterunt, quibus, inquam, Resp. aut Deus, aut honestas offendatur. Et sane si qua inhoneste a nobis petuntur, honestissime illa denegari poterunt.

Ne si judex) Speciale præceptum Iudicis officium concernens in caussa amici, idque eximium. Voto aliquid dare poterit Iudex, ut malit caussam amici esse optimam, interim secundum acta & probata, uti ajunt, dicenda sententia est. Vt adeo secundum veram sententiam Ciceronis nulli dentur casus pro amico, qui dici vulgo solent. Poterit quoque indulgere tempus legitimum in judicio perorandæ caussæ præfixum; tramites tamen legitimos excedere non debet, ne judicium fiat elusorium, sumtibus juste litigans absterreatur aut consumatur, ne sententia effectu tandem & exsecutione destituatur. Ne igitur quid odio, aut amori præter justi regulam tribuant, Leges sunt Iudicibus præscriptæ, secundum quas caussas omnes examinent, & jus dicant. Nimis enim quam periculosum foret, si justitiæ administratio arbitrio judicum unice esset permissa. Hinc Aristoteles sapienter monet I. Rhet. 1. & quidem bis, ut quæcumque possunt, legibus definiantur, & quam paucissima judicibus relinquantur arbitranda: Δεῖ ὡς ἐλάχιστων ποιεῖν κύριον τὸν κριτήν. Ejusque rei gravissimam rationem tradit III. Polit. 12. *Qui mentem jubet imperare, videtur jubere imperare Deum atque Leges. Qui vero jubet homi-*

Cic. Oper. T. II. de Off. T. I. I

minem, adjungit & belluam. Cupiditas enim, & Ira eo modo se habent, & imperantes eosque optimos viros distorquent. Lex vero est sine appetitione mens. Hinc prudenter cautum fuit in Areopago, ne quis causæ patronus eloquentiæ vi judicem perverteret, ad iram excitando, vel invidiam, vel misericordiam. Perinde enim hoc fuerit, inquit Aristoteles I. Rhet. 1. ac si quis, qua usurus est regula, eam reddat perversam. Ceterum quia rerum humanarum tanta est varietas, ut de omnibus leges ferri nequeant, aut latæ aliquod επανορθωμα effugitent, prudenter & religiose quoque judex his in casibus versabitur: id quod fiet, si accuratam Æquitatis solidamque rationem habeat. Vnde in multis judiciis formula juramenti, ad quam adstringuntur Iudices, ita solet esse concepta, se velle secundum leges & æquitatem jus dicere. Adde Aristotelem I. Rhet. 1. & V. Nicom. 10. Hoc igitur fine Iudices juramenti fide adstricti apud Romanos constituebantur, adeoque in omnibus causis jurati sententiam dicebant. Iudex enim judicium facturus, extemplo ad jurandum accessit, se ex lege judicaturum. Formula jurisjurandi erat: EX ANIMI SENTENTIA. Locus, in comitio ad aram, quæ puteal Libonis dicebatur. Cicero in Lucullo: *Majores nostri ex animi sui sententia jurare quemque voluerunt, deinde ita teneri, si sciens falleret, quod inscitia multa versaretur in vita.* Et Iustinianus l. 14. C. de Iudic. *Cui non cognitum est, antiquos judices non aliter judicialem calculum accepisse, nisi prius sacramentum præstitissent, omni modo se cum veritate & legum observatione judicium esse deposituros?* Solemne quoque erat jurare IOVEM LAPIDEM. Plautus Aulul. *Si te ego sciens fallo, ita me ejiciat Diespiter bonis, salva urbe, & arce, ut ego hunc lapidem.* Damnaturi jurabant, se nihil gratiæ, nihil precibus dare. Sen. Controv. 2. l. 9. Cicero de Invent. *Ex lege, in quam juratus es, judica.* Sigonius de Iudic. lib. I. c. 28. Et licet etiam Romani judices suos diligentem voluerint rationem habere legum & æquitatis, ceu videre est ex l. 8. C. de judic. ne tamen plusculum sibi in talibus causis sumerent, prudenter prospectum est l. 1. & ult. C. de legib. Quem morem Impp. Christiani in Iudiciis observaverint, indicat l. 13. §. 4. C. de judic. *Cum eremodicium ventilatur, examinatio causæ sine ullo obstaculo celebretur. Cum enim terribiles in medio proponuntur Scripturæ, (S. Codex) litigatoris absentia Dei præsentia repletur.*

Ponit enim personam) Hoc ipsum ad suum propositum non male accommodat Alb. Gentilis, qui lib. III. de Iur. belli c. 3. ait, victorem, bello finito, in æstimandis sumtibus ac damnis belli debere rationem habere æquitatis; conveniens enim esse, ut inimici personam deponat, qui induit judicis: quo nomine ita laudatur Minos a Propertio lib. III. eleg. 18.

Non tamen immerito Minos sedet arbiter orci;
Victor erat quamvis, equus in hoste fuit.

Cum vero) Quæ juramenti vis sit, & sanctitas, eleganter explicat. Primo, qui juravit, meminerit, Deum fidei promissæ esse conscium, quam si temeraverit, eumdem esse vindicem acerrimum. Hoc enim est, Deum testem adhibere. Deinde quoque internum judicem, testem, & carnificem expavescat Mentem, hoc est, Conscientiam suam. Duo ergo cumprimis debet jurans observare, primum, ut verba animo congruant, quod Chrysippus Stoicus αληθορκειν vocat: alterum, ut factum congruat verbis, quod idem appellat ευορκειν. Qui in illo peccat, ψευδορκειν, qui in hoc επιορκειν eidem Chrysippo dicitur. Grotius II. de I. B. P. c. 13.

Qua nihil divinius) Ita omnino est. Atque idem Poeta de divinæ particula auræ profitetur. Epictetus ait, την τε ανθρωπε νεν, αποσπασμα ειναι όλε τε θεε νε· *Hominis mentem perfectissimæ divinæ mentis avulsum partem esse.* Supra autem intelleximus, etiam Legem ab Aristotele III. Polit. 12. νεν, *Mentem*, dici: puta, quod libera sit ab adfectibus, & sit *oratio a prudentia & mente profecta, vim cogendi habens*, uti illa definitur X. Nicom. ult. §. 35.

Itaque præclarum) Hæc formula ad antiquum judiciorum instruendorum morem, & allati præcepti illustrationem

nem pertinet, Iudicem ea omnia amico tribuere posse, quæ salva fide juramenti & legum auctoritate facere possit: a quo more & sanctitate cum pridem defecissent, optat Cicero illum instaurari apud Romanos, & observari.

Loquor autem) Est hæc quædam occupatio. Dicas enim, veros amicos talia non petituros a quoquam, adeoque nihil opus fore his præceptis. Respondet Cicero, se hactenus de iis amicitiis locutum esse, quales vulgo coli solent. Nam Amicitiæ, ut dixi, non unum genus est. Qui honestam amicitiam contraxerunt boni sunt, & in virtute constitutam illam habent, nihilque agunt, quod reprehendi possit, nec dissimile quidquam ab aliis exspectant aut postulant. Talis genuinæ amicitiæ socios laudat Damonem, & Pythiam. Qui vero amici gratiæ aut odio aliquid tributum cupiunt, communes amicitias seu vulgares colunt. Nam *vulgus amicitias utilitate probat*. Hinc in Lælio, Sapientes hanc legem amicitiæ primam observare ait, ut turpia & injusta neque rogent, neque faciant rogati.

Commendandorum) Quod nonnulli, iique antiquarii, in hac voce aliquid desiderent, ac emendare studeant, vehementer equidem miror. Quis enim illius vim nescit, qui saltem aliquam antiquitatis peritiam habet? Modestinus hæc testamenti verba recitat l. 5. ff. de alim. vel cib. leg. *Prothumum, Polychronium, Hypatium commendo, ut & vobiscum sint, & cibaria præstetis, peto*. Vlpianus l. 11. §. 2. ff. de legat. 3. *Si ita quis scripserit testamento; Illum tibi commendo*. Hic *Commendo* non est verbum precarium, uti notat Cujacius ad Pauli Sentent. 4. tit. 1. §. 5. Sed vix opus fuisset ICtorum pluteos excutere. Videsis quibus verbis Chrysis moriens Pamphilo Glycerium commendet apud Terentium in Andria: *Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem: Bona nostra hæc tibi committo, & tuæ mando fidei*. Hæc ἐν παρόδῳ. Redeamus ad institutum.

CAPVT XI.

Sed utilitatis) Quomodo in publicis deliberationibus etiam prudentissimi viri habiti utilitatis specie fascinati peccaverint, exemplis declarat.

Corinthi) Hoc quoque attigit libro I. Vtile videbatur Corinthum exscindi, quod illa Vrbs bimaris ad Græciæ imperium a Natura videbatur quasi condita. Ne igitur rebus Romanorum noceret, aut ad vindictam aliquando insurgeret, utile visum est, illam penitus destrui. Sed quia hæc utilitas adversabatur humanitati & honestati, peccatum in eo fuit. Abstinendum enim est a vastatione, si res nobis fructuosa, aut utilis esse possit, nec hostis potestatem formidabilem reddat, cumprimis post plenam victoriam. Sicuti igitur Cicero hoc factum reprehendit, ita Livius Romanorum lenitatem laudat, quod, victa Capua, non sævitum sit incendiis ruinisque in tecta innoxia murosque. Add. Grot. III. de I. B. P. c. 12.

Durius etiam) Atheniensibus, qui maritima sua potentia totius pene Græciæ imperium, aut maximam ejus partem complecti studebant, utile visum fuit, si nulla ex Græcis Resp. classe valeret, ut tanto securius in omnes haberent dominium. Vtile etiam inprimis fuit visum, proximos quosque urbi & portui suo populos aut insulas classe spoliare; sed crudeli atque inhumana prorsus ratione illam utilitatem ab honestate remotissimam sibi compararunt. Quomodo enim quod crudele, honestum, aut revera utile erit? Plutarch. in Lysandro. Ælian. lib. II. Nam si durante bello hæc juste fieri nequeunt, multo minus finito illo, partaque victoria, honeste & utiliter patrabuntur. Nam pollice perdito, reliquos digitos intercidere, quod absque ejus ope nil agant, docet Andreas Vesalius in libris suis Anatom. ubi etiam Æginetarum ita mutilatorum meminit. Ergo etiam qui plus æquo sibi vult prospicere, aut prodesse, is injuriam facere dicitur, quia excedit modum; imo quia suum commodum

cum aliorum gravi injuria quærit: ceu ex Baldo tradit Alb. Gentil. l. III. de Iur. Bell. c.2. Huic Atheniensium ψηφισματι (quod verbo *sciverunt* exprimere Cicero voluit) non dissimilis fuit barbari illius regis postulatio, qui dexteros Israelitis oculos volebat erui, ne arcu possent uti.

Male etiam) Variæ possunt esse causæ, cur nonnumquam peregrini urbibus prohibeantur. Ita Lacedæmonii illos excludebant, ne disciplina illorum & frugalitas corrumperetur. Alii idem faciunt insidiarum metu. Et hæc sane licite fieri possunt, cetera si paria sint. Videtur autem hoc velle Cicero, si a commerciis & rerum communione peregrini, a quibus alioqui nullum periculum sit, quique innoxie vivant, penitus arceantur, ut inde civibus unice tantoque major utilitas emergat, illud esse inhumanum, cum homo hominis indigentiam sublevandi naturalem causam habere videatur. Ita Tauroscythæ hospites Dianæ mactasse leguntur. Idem Busiris Ægypti tyrannus fecisse scribitur. Grotius de Mari libero, c.1. 5. 8. & 13. Aristoteles ait, μεταβλητικην ειναι αναπληρωσιν της κατα φυσιν αυταρκειας. *Negotiatione suppleri id quod natura deest, quo commode omnibus sufficiat*, lib. 1. Pol. c. 9. Interim negandum non est, Iure quidem gentium utilitatis ratione multa circa commercia cum peregrinis licite esse constituta, quæ jus naturæ non damnat: quo item salvo passim licite sancitum videas, ut potior sit conditio & jus indigenarum, quam externorum: de quo legendi sunt ii, qui scripserunt de *Iure indigenatus*, quod appellant: quique commentati sunt in tit. ff. ad municipal. De Penno vide Sigon. l. III. de Ant. Iur. Ital. c. 1. Alter ille C. Papius Tribunus pl. A. V. C. 689. biennio antequam Cicero consulatu fungeretur, legem tulit, ne quis peregrinus in urbe esset. Hujus etiam meminit Cicero pro Archia, & prima contra Rullum. Vid. Car. Sigon. l. Emendat.

Nam esse) Vt differentia sit inter civem & peregrinum, & istius potior sit ratio in civitate non solum licitum, sed & civiliter justum est. Nam jus civitatis usurpare, honores petere, suffragium in comitiis conferre velle, nonnisi genuinis civibus competit. Hinc apud Athenienses certis temporibus τα ληξιαρχικα γραμματεια των δημων excutiebantur, & ξενολασια instituebatur, id est, qui falso in album tribus, aut curiæ, aut municipii irrepserant, aut plane inscripti non erant, vendebantur cum summa ignominia & calamitate; cujus argumenti extat apud Demosthenem oratio, ἡ ἀφεσις προς Ευβουλιδην. Fuit autem misera inquilinorum apud Athenienses conditio. Vide legem de Peregrinitate apud Demosthenem in Orat. contra Neæram, & Sigonium de Rep. Athen. l. IV. c. 3. p. 536. Ceterum discrimen inter cives Rom. Reip. & peregrinos etiam hinc facile perspicitur, quod etiam Deportati horum numero habiti sint, ad quos jus Quiritium non magis pertinet, quam qui numquam jus civitatis adepti fuerunt. Dicuntur illi Peregrini etiam ἀπολιδες, *extorres*, l. 1. §. 2. ff. de legat. 3. & l. 17. ff. de pœn. Supra lib. I. c. 34.

Tulerunt legem) Meminit ejus Sigonius l. III. de Ant. Iur. Ital. c. 1.

Illa præclara) Contraria eaque meliora exempla profert suæ Reipub. ex quibus appareat, speciosæ Vtilitati in senatu honestatem fuisse prælatam. Post Cannensem cladem pacem nonnulli suadebant, ut summe utilem & necessariam. At vicit aliorum magnanimitas, fortitudo, & constantia, honestum bellum fœdæ paci præferentium, decusque Romanum pene amissum armis repetentium. Sed quomodo hujus facti commendatio convenit cum illo Ciceronis ad Atticum l.VII. ep. 14. *Vel injusta pax utilior est, quam justissimum bellum*? scilicet hæc ille tum scripsit belli civilis detestatione, &, quod præstet habere aliquam Remp. quam nullam.

Athenienses) Et hos, & Romanos paulo ante reprehenderat. Animum itaque suum ita temperat, ut jam utrosque vicissim commendet. Fuit vero & horum factum, quod hic narratur, admodum generosum, in quo insignis virtus & honestas reluxit, quæ ipsi Cyrsilo exitio fuit, deditionem ac servilem conditionem, sub utilitatis specie, suadentem. Et licet alias

satis

satis fuisset, simpliciter repudiasse hoc consilium: quia tamen exemplo valde perniciosum erat, ignaviam & timorem civibus incussurum, & quo omnis libertas periisset, tanto supplicio id compescere dignum existimarunt, ut illo ipso animi civium erecti acrius Rempub. & libertatem defenderent.

Themistocles) Alterum magnanimitatis Atticæ exemplum. Hoc ut recte dijudicemus, sciendum est, socios tum fuisse Lacedæmonios, & Athenienses; interim propter continuam æmulationem semper sibi invicem suspectos. Itaque nec Lacedæmonii Athenas muniri, nec Athenienses classe valere Lacedæmonios permittebant. Cum itaque classis Laconica post victoriam a Rege partam in portum esset subducta, Themistocles sub ratione utilitatis ostendit, quo jam pacto Athenienses Græciæ principatum possent occupare. Sed ea fuit Iustitia civium, & Aristidis hac de re ad populum referentis, ut societatis fidem nonnisi turpiter violari posse existimarent. Ea quoque eorumdem fuit generositas, ut magis aperto Marte, si res ita ferret, quam fraudibus pugnare mallent. Sed dicas, societatem illam bellicam post partam victoriam bellumque ita ad exitum perductum videri inter illos expirasse, adeoque conditione illa Athenienses ad suum commodum uti potuisse. Sed non est ita; etiamsi enim societas illa desierit, bellum tamen inter illos non fuit, adeoque honeste nihil hostilitatis alter erga alterum populum exercere potuit. Alias ubi justum est bellum, non dubito, quin sicuti ferro, ita & quandoque igne, vires hostium licite frangi & corrumpi queant, puta in iis rebus, quibus ad actus hostiles instrumentis uti possunt. Nam sine discrimine in res hostium igne sævire, non tam barbarum, quam prorsus inhumanum est. De hoc argumento insigne est Grotii lib. III. de I. B. P. cap. 12.

Melius hi) Athenienses Romanis hic præfert. Ea enim tempora, ii fuerunt mores aliquando Rom. Reip. ut socios & in fidem receptos magnis vectigalibus ac oneribus exhauserint: contra piratas, humani generis hostes facto ipso se profitentes, impune grassari permiserint; nisi quod paulum a Cn. Pompeio castigati fuerint. Plut. in vita Pomp. cui addantur Livius, Florus, alii. Quanto autem odio & insectatione digni sint Piratæ, ex jure gentium etiam egregie colligitur. Nam rerum captivarum dominium ad illos non transit. Ius quippe gentium illis non concessit, ut jus dominii mutare possint. Cui innixi Athenienses Halonesum, quam ipsis prædones, prædonibus Philippus eripuerat, ut redditam a Philippo, non ut donatam volebant accipere. Hinc etiam ICti Rom. pronuntiant, captos a piratis & prædonibus non amittere libertatem, nec indigere jure postliminii; non enim sunt hostes, l. 24. & 27. ff. de capt. & postl. Et sicuti hostes triumphantur, ita de piratis victis Pompeio datus triumphus non fuit. Grot. III. de I. B. P. c. 3. n. 3. Confer h. l. c. 29.

Calamitosum est) Sicuti vera Felicitas & summum bonum in animi moribus ad honestatem compositis consistit, & ευπραξια: ita vera miseria ac calamitas extrema hominum in turpitudine. I. Nicom. 10. §. 14.

Caput XII.

Sed incidunt) Alia exempla adducturus, quæstionem repetit, an quis, sibi quod utile est, sectari possit, ita ut cum honestate conjungi queat, hoc est, ut non sit inhonestum aliquando, quod expedit, quærere.

Si exempli gratia) De hac quæstione quid sit sentiendum, peregregie docemur a Grotio, cujus verbis cum & hæc, & sequentia egregie illustrentur, illa huc transcribemus ex lib II. de I. B. P. c. 12. n. 8. & 9. quæ alioqui apud ipsum Auctorem illum legi possent. *In contractibus*, inquit, *natura æqualitatem imperat, & ita quidem, ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti. Hæc æqualitas partim consistit in actibus, partim in eo de quo agitur: & in actibus, tum præcedaneis, tum principalibus. Ad præcedaneos actus pertinet, quod is qui cum aliquo contrahit, vitia sibi nota rei, de qua agitur significare debet: quod non civilibus tan-*

tum legibus constitui solet, sed naturæ quoque congruit. Nam inter contrahentes propior quædam est societas, quam quæ communis est hominum. Atque hoc modo solvitur, quod dicebat Diogenes Babylonius hoc tractans argumentum, non celari omnia quæ tacentur: nec quidquid tibi audire utile est, idem mihi dicere necesse esse, ut de rebus cælestibus. Nam contractus natura utilitatis causa reperta propius quiddam exigit. Hæc cum verbis Ambrosii, & Lactantii illustrasset, ita pergit: *At non idem dicendum est de his, quæ rem non contingunt. Vt si quis sciat multas naves in cursu esse, quæ frumentum advehunt. Nam tale quid judicare, est quidem officiosum ac laudabile, sæpe adeo ut omitti nequeat, nisi ut caritatis regula violetur; non tamen injustum, id est, non pugnans cum jure ejus, quicum negotium est: ita ut locum hic habere possit illud, quod idem ille Diogenes non incommode dicebat, referente M. Tullio:* Advexi, exposui: vendo meum, non pluris quam ceteri: fortasse etiam minoris, cum major est copia: cui fit injuria? *Non ergo generaliter sequendum illud ejusdem Ciceronis, Celare esse, cum tu, quod scias, id ignorare, emolumenti tui causa, velis eos, quorum intersit scire: sed tum demum id locum habet, cum de iis agitur, quæ rem subjectam per se contingunt, ut si domus sit pestilens, si a magistratu dejici jussa, quæ exempla ibidem videas. At vitia ei, quicum agas, nota, aut servitutem ædium, quas M. Marius Gratidianus C. Sergio Oratæ vendebat ab ipso prius emtas, dici nihil attinet. Scientia enim utrimque par pares facit contrahentes.* Horatius:

> Ille feret pretium pœnæ (*h. e. ejus quod interest*) securus, opinor:
> Prudens emisti vitiosum.

Quod notatum & Platoni XI. de Leg. Hæc Grotius: cujus arbitrium Diogenis, & Antipatri disputationi interpositum, an omnino recte se habeat, aut uberiori explicatione indigeat, paulo post apparebit, ubi suam quoque sententiam & decisionem subjunget Cicero.

Iure civili) Quale hoc sit Ius civile, dicendum est, quandoquidem & infra ejusdem fit mentio, ubi de jure prædiorum loquitur. Modo igitur Ius civile dicitur illud omne, quo civitas utitur: ceu illud usurpatur Aristoteli V. Nicom. 7. pr. atque sic ipsum Ius naturæ eodem continetur. Sæpe Ius civile ICtis id dicitur, quod Civitas quæpiam sibi proprium constituit §. 1. & 2. Instit. de jur. nat. gent. civ. Vel speciatim apud Romanos illud erat jus, quod solebat opponi juri prætorio, §. 1. Inst. de oblig. l. 7. pr. & §. 1. ff. de Iust. & jur. & passim. Nullo horum sensu illud hic ponitur, sed adhuc strictiori, qui declaratur per Pomponium l. 2. §. 5. ff. de O. I. Cum enim Leges XII. Tabb. magna obscuritate laborarent, ICtorum veterum, & præcipue Scævolarum, industria in illarum interpretatione fuit occupata, qui disputationes fori invexerunt, & consultantibus de jure responderunt: unde Theophilus ait, illos jura fecisse *κατὰ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν*, *secundum interrogata & responsa*. Istas disputationes fori in corpus quoddam collectas putat Bachovius ad §. 11. Inst. de Iur. nat. gent. civ. dictasque fuisse stricta significatione Ius civile. Atque hoc ipsum hic & infra intelligit Cicero. Præter Bachovium legi quoque poterit ea de re Sigonius lib. I. de ant. jur. civ. Ro. c. 5.

Tu cum hominibus) Confer lib. III. c. 6. pr. & c. 28. pr.

CAPVT XIII.

Vides in hac) Bene monet Cicero; diligenter inspiciendum esse statum quæstionis, antequam de illa sententiam feras. Nec enim Diogenes ita disputat, ne si velit, utiliter quidquam fieri posse, quod tamen repugnet honesto, quin potius illud, quod adserit, ita esse utile, ut cum honesto subsistere queat. E contrario Antipater putat, idem adversari omnino honesto, adeoque nec utile, nec faciendum esse.

Vendat ædes) Hujus quoque quæstionis decisionem jam ex Grotio percepimus, non esse reticenda vitia rei emtæ inhærentia, si latere merito emtorem possint. Non igitur hic locum habet illud Diogenis: *Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem est? ille quod non placebat, proscripsit,* h. e. palam

palam ac publice proposito libello significavit, l. 11. §. 3. ff. de instit. act. tu quod placebat emisti. Potior itaque hic est sententia Antipatri, quam etiam ICtorum auctoritas confirmat l. 1. §. 1. ff. de action. emt. & vend. l. 13. pr. l. 39. l. 41. eod. l. 15. §. 1. l. 43. §. ult. l. 45. ff. de contrah. emt. Ex hac quoque causa, actio ædilitia redhibitoria fuit prodita, in hoc data, ut venditor, quod vendidit, propter vitium ejus aut morbum recipiat, tot. tit. ff. de ædil. edict. Hinc ita loquitur ICtus l. 1. §. 2. *Causa hujus Edicti proponendi est, ut occurratur fallaciis vendentium, & emtoribus succurratur, quicumque decepti a venditoribus fuerint*. Imo Antipater tantopere detestatur hujusmodi fraudulentiam, ac si quis erranti viam non solum commonstrare detrectet, sed etiam illum in errorem insuper præcipitet: quæ inhumanitas Athenis exsecrationibus publicis devota ac damnata fuit.

Apparere) Si probati codices consentirent, pro *apparere*, legerem *repere*, vel *reptare*, vel *obrepere*.

Quod si qui) Licere in contractibus utilitatis quamdam rationem habere, dissimulatione quadam, ut Diogenes putat, adhibita, hanc, inquam, sententiam probabiliorem etiam facit, argumento a majori ad minus ex Rom. consuetudine petito.

Ubi enim) Vitia rei vel sunt manifesta, ut pateant nemini non paulum diligentiori; vel tam sunt occulta, ut fallant etiam prudentissimos; vel mediæ sunt conditionis, ut a prudentioribus facile, ab inertibus ac imperitis difficile agnoscantur. Prius quod attinet, non decipitur emtor, ubi judicium a venditore ipsi in re omnino manifesta est relictum. *Non videtur esse celatus, qui scit, neque certiorari debuit, qui non ignoravit*, inquit ICtus l. 1. inf. ff. de act. emt. Alterum, si vitia occulta reticeantur, omnino a venditore emtor turpiter circumvenitur. Postremum ita est comparatum, ut illa imperitia forsan non potuerit facile evitari, si rusticus v. g. rem artificialem emat: vel potuit evitari & debuit, adeoque sua socordia sibi obstitit: huic forte Ius civile non subveniet, nec facile & isti. At jure Naturæ uterque videtur turpiter, vel saltem non honeste deceptus esse; siquidem vitia rei non fuerint manifesta prorsus. Ubi enim judicium emtoris est, ibi fraus venditoris quæ potest esse? recte hic inquit Diogenes.

Sin autem dictum) Adfert idem Diogenes alias quoque rationes, quæ nundinatoribus & impostoribus videntur velificari. Etsi autem quandoque verum sit, non omne dictum præstandum esse, puta si συναλλαγμα, aut rem, de qua illud initur, non adfecerit; simpliciter tamen id verum non esse, vel hinc apparet. Deinde non bona est hæc collectio, quandoque non præstari, quod dictum sit, multo minus id præstandum esse, quod dictum non sit. Hoc enim si sit tale, quod nec per naturam συναλλαγματος & ratione bonæ fidei dici potuit, recte procedit: secus si reticentia illa sit comparata, tam omissione ejus, quod dici debuit, peccatur, quam commissione ejus, quod quandoque dici non debuit.

Quid vero est) Et si necessum non est, ut ipsa proscriptio vel proclamatio rei venalis ejusdem vitia contineat; emtori tamen illa reticeri non debent, si lateant. Prius enim licet, quod non sit nefas etiam vitiosam rem vendere velle, modo emtor per simplicem proscriptionem vel proclamationem excitatus de rei vitio fuerit monitus. Vid. l. 43. pr. ff. de contrah. emt.

Quæ dijudicanda) Iam se Cicero accingit ad solidam harum quæstionum decisionem.

Non igitur) Quid de Rhodio frumentario, quid item de ædium venditore sentiat, perspicua est Ciceronis sententia. Ut autem illius rationes tanto accuratius expendantur, ex superioribus repetendum est, constituisse illum talem frumentarium, qui fingatur vir sapiens & bonus. Ex Stoica igitur sententia & aliis eorumdem principiis forsan non aliter liceat concludere, quam talem sapientem subventurum aliis solius honesti causa, & tantum abest, ut illud lucri ipse sit facturus, ut etiam malit cum jactura sua aliis prodesse. Quid enim ille lucro tribuat, qui honores, divitias,

ejus generis alia pro bonis ne quidem reputat? Qui ille rationem habeat alicujus jacturæ, qui paupertatem; mortem ipsam sin malis non ponit? sed cum hisce libris Cicero ipse fassus sit, talem sapientem vix ac ne vix quidem inveniri, adeoque media se officia & communia consideraturum; itaque & nos hoc perpendamus, an aliquando frumentarius, non quidem ad excellentiam sapientis bonus, sed nec tamen improbus, licite possit celare emtorem, etiamsi ejus scire intersit. Atque huc videtur suam disputationem accommodare Diogenes Babylonius, Antipater autem ad sapientem perfectissimæ bonitatis. Hic ergo attendendum est, posse interesse emtoris non uno modo. Ita interest emtoris, ut ne vitia rei venditor dissimulet, præcipue si occulta fuerint; alioqui dolus contractui implicabitur, qui numquam licitus est, & semper a bono viro omnique contractu, cum primis bonæ fidei, abesse debet. Si manifesta fuerint vitia, sibi quoque sapiet & vigilabit emtor, qui ut in venditore dolum, ita in se socordiam ac negligentiam criminabitur, aut fugiet. Potest vero illud interesse longe etiam majus esse, ut frumentarius non debeat celare emtores, alias naves onerarias in cursu esse. Quid enim si Rhodii obsidione premantur, si cum fame ægerrime colluctentur, si desperata salute se præcipitare velint, aut miserrima conditione dedere, hic sane quid officium & humanitas aut lex caritatis exigat, facile apparet. Verum his jam omissis, non intelligamus aliud interesse quam pecuniarium, & quæstio sit, an frumentarius ille maximi possit vendere fruges, etiamsi sciat majorem mox copiam subvectum iri, ut minor indigentia, ac per consequens minus illarum pretium sit futurum. Circa hanc quæstionem si Ius civile aliquid determinaverit, illud suo loco suam vim habebit. De Iure Naturæ jam quæritur quid liceat. Monendum itaque ex Aristotele est l. V Nicom. c. 5. §. 27. sequentib. res, quæ in commercium aut in emtionem venditionem veniunt, esse admodum diversas & inæquales, necesse igitur esse communi quadam mensura, quæ rerum inæqualitatem ad pretii æqualitatem reducat. Illa Mensura, vel est naturalis, vel ex pacto & instituto hominum: ista est χρεια, *Indigentia*, hæc Nummus, ὑπαλλαγμα της χρειας κατα συνθηκην, *vicarius Indigentiæ ex pacto*. Quanta igitur cujusque est indigentia, tantum rebus vendendis pretium statuet. Iam vero maxima sæpe est hominum indigentia, præcipue earum rerum, quæ ad necessariam illorum conservationem requiruntur. Huic indigentiæ nulli homines majori labore, periculo, studio, sæpe etiam sumtu succurrunt, quam Mercatores. Si igitur hi pro natura Amicitiæ Vtilis, qualis est inter emtorem & venditorem, lucri rationem habeant & pretii, uti illud indigentia definiverit, nihil hactenus videntur illicite facere. Hinc Pomponius dicebat, *In pretio emtionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire*. l. 16. §. ult. ff. de minoribus. Hæc enim circumscriptio non est dolus, sed prudentia & industria quædam œconomica, studiumque aliquod rei familiaris augendæ, uti bene hic notat Gothofredus. Add. Grotius II. de I. B. P. cap. 12. num. 26. cujus tamen, ut fatear, interpretatio mihi non per omnia probatur, & quidem quod το *Naturaliter* explicet pro eo, quod recepti passim moris est. Harmenopulus hoc vertit κατα φυσιν, videturque ita intellexisse, *Licite* hoc posse fieri, siquidem dolus absit, ut nihil Iuri Naturæ detrahatur, etiamsi determinatione Iuris civilis hæc licentia possit aliquo modo restringi; quemadmodum in Repub. Rom. fecit Diocletianus cum suo Collega per l. 2. C. de rescind. vend. Atque hoc est quod Aristoteles dicit V. Nicom. 4. §. 35. emtionem venditionem, ejusque generis contractus alios, ejus esse conditionis, in quibus αδειαν εδωκεν ο νομος, *in quibus per legem licet impune rebus suis consulere lucrumque facere*. Hinc de Locatione Conductione ita pronuntiat ICtus: *Quemadmodum in emendo & vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere: quod minoris sit, pluris vendere, & invicem se circumscribere; ita in locationibus quoque & conductionibus juris est*. l. 22. §. 3. ff. loc. cond. Et vero nisi hoc quadantenus

nus

nus licitum esset Iure naturæ & civili., quomodo plurimorum hominum saluti ac necessitatibus subveniretur, qui vel in dissitis locis, aut infrugiferis insulis, aut asperis montibus habitant, qui bello aut fame premuntur, aut alia calamitate afflicti opem aliorum hominum anhelant? Nonne etiam æstimari debet periculum naufragii, & si urbs obsidione clausa sit, nonne periculum confiscationis, quandoquidem jure belli commeatus & ejus generis alia advehere hostibus non licet? Qui, incendio in Vrbe quadam coorto, primus approperaverit cum aqua, magnum sæpe lucrum accipit, nec indignum creditur, etiamsi reliqui post illum accurrentes nihil consequantur. Qui ergo aliorum necessitatibus præ aliis succurrit, eritne turpe, si & ipse plusculum lucretur, quam alii? De periculo naufragii quod dixi, eamdem rationem videtur secutum esse Ius Civile Romanum, quando fœnus nauticum pro pecunia trajectitia multum permisit excedere alius sortis usuras. Vnde illud fœnus Scævolæ imitatione haud incommode appellari queat *Periculi pretium* l. 5. ff. de naut. fœn. quod olim infinitum fuit, postea lege definitum per l. 26. C. de usur. qua ultra centesimas usuras, hoc est, singulis annis duodecim, stipulari non licet; etsi a mercatoribus ille modus non semper observetur, uti ad Wesenbecium notat Vinnius, tit. de fœn. naut. Quid quod sæpe Mercator dum alios juvare studet, lucri spe, maximam sæpe & hinc jacturam faciat, quod exigua indigentia, & quod inde aptum est pretium exiguum rerum advectarum percipiatur? Nonne igitur licite alia vice suæ rei consulere damnumque resarcire poterit, ut qui impiger ad extremos Indos currat, *Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes*? Hoc profecto nisi concesseris, nemo salva conscientia & simul re sua salva poterit commercia exercere: quibus sublatis, dissolves ipsam hominum societatem, & homo hominis ope & industria, qua vel maxime indigeret, destitueretur. Si igitur dolus, si inhumana & avara prorsus lucrifaciendi cupiditas absit, non erunt fallaces, malitiosi, veteratores, & quibus aliis Cicero hos ornat elogiis; sed uti magna industria, labore, periculo, & sumtu aliis subveniunt, ita horum omnium justum pretium in lucro licite ponitur & accipitur. Plura de hac quæstione scripsi ad Grotii lib. II. cap. 12. §. ult.

CAPUT XIV.

Q*Vod si vituperandi*) A minori ad majus procedit: si illi vituperandi sunt, qui reticendo peccarunt, quanto magis damnandi sunt hi, qui orationis vanitate, hoc est, mendacio merces plus æquo commendarunt, ac emtorem deceperunt. De reticentia jam dictum est. Posterioris generis venditorem quod attinet, laudantem venales, quas vult extrudere merces; siquidem verba rei non consentiant, dolose (mendacium enim cum dolo conjunctum est) alterum circumvenire studet: eoque nomine ut fraudulentus & improbus est damnandus; nisi forte imprudentia lapsus sit, aut alia ratione a dolo liberari queat. Ejusmodi veteratoriæ artis admodum festivum recitat exemplum.

Argentariam facere) Est argentarii munus exercere & obire. Dicebantur etiam illi Argentarii, Nummularii, Mensarii, Mensularii, Trapezitæ. Videantur l. 4. 9. & 10. ff. de edendo l. 50. ff. de admin. & per. tut. l. 23. ff. de liber. leg. l. 15. §. pen. ff. de re jud. Ad argentarios autem pecuniæ duabus de causis deferebantur: aut enim credebantur ipsis sub usuris, quas deinde fœnori collocabant: aut securitatis gratia sine fœnore deponebantur, & in æde Castoris recondebantur. l. 24. §. 2. ff. de reb. auctor. jud.

Emit instructos) Instructus fundus aut hortus dicitur, non modo si adsint, quæ fundo necessaria sunt, verum ea appellatione comprehenduntur omnia illa, quibus dominus suum fundum aut hortum instruxit, piscinis, balneis, sphæristerio, prætorio. Vide l. 12. ff. de instruct. & instrum. leg.

Scalmum nullum videt) Hoc est, nullam non modo videt scapham, sed ne scaphæ quidem scalmum. Scalmus enim, σκαλμος, est lignum teres, cui nautæ remos loro quodam alligant, sive

sive lignum fenestratum in apsidem, cui remus immittitur, ut facilius & solidius impellatur. Si quis tamen συνεκδοχικῶς hoc accipere malit, nihil vetare videtur. Hinc decemscalmus, actuariolum, quod decem scalmis agi poterat.

Aquilius collega) Hinc apparet, si olim alter in contrahendo alterum fraudulenter circumscripsisset, id impune ei licuisse: quod cum esset periniquum, & tamen usu contra Naturæ jus invaluisset, vindicando dolo proprium Edictum princeps proposuit prætor Aquilius. De quo hæc extant Ciceronis verba III. de Nat. Deor. *Everriculum malitiarum omnium, judicium de dolo malo: quod C. Aquilius, familiaris noster protulit. Quem dolum idem Aquilius tum teneri putat, cum aliud sit simulatum, aliud actum.* Eadem hic est Doli descriptio, quæ est in officiis: in qua ne quis temere quidquam desideret, ex prioribus repetendum est, illam simulationem a malitia debere esse profectam. Hinc III. de Nat. Deor. mox ita inquit: *Est enim Malitia versuta & fallax nocendi ratio*. Hæc ita conjungit Servius l. 1. §. 2. ff. de dol. mal. *Dolum malum Servius quidem ita definit, machinationem quamdam alterius decipiendi caussa, cum aliud simulatur, & aliud agitur.* Vbi igitur nocendi consilium abest, & fortasse aliud simulatur, aliud agitur, Dolus malus minime censeri debet. Notat etiam Brissonius VI. de Form. pag. 507. in venditionibus (cujus hic exemplum proposuit Cicero) fere solitum fuisse adjici: *Dolus malus a venditore aberit*. Ambrosius III. Offic. 10. *Quid loquar de contractibus ceteris, ac maxime de coemtione prædiorum, vel transactionibus atque pactis? Nonne honestatis formulæ sunt*, Dolum malum abesse, *eumque cujus dolus fuerit deprehensus, dupli pœnæ obnoxium fore?* Vt autem nobis rectius etiam de hoc Aquilio constet, fuit is C. Aquilius Gallus, ICtus, discipulus Q. Mutii, unde eum familiarem, & ratione Præturæ collegam suum appellat Cicero, qui valde illum laudat Oratione pro *A. Cæcinna*, pro L. *Flacco*, & in *Claris Oratorib.* Vid. etiam Valerius l. VIII. c. 2. Huic summo ICto, & cujus in formulis concipiendis singularis quædam prudentia exstitit, debetur quoque formula Aquilianæ stipulationis. l. 18. ff. de acceptil. §. 2. Inst. quib. mod. toll. oblig. Add. l. 29. ff. de lib. & postum. Eumdem habet auctorem Lex Aquilia. Perez. C. de l. Aquilia n. 2. Præterea nec hoc est negligendum, per *formulas de dolo malo* Ciceronem nihil aliud intelligere, quam actiones. Nam ubi ordinariæ juris dicundi via utebatur Prætor, vadimonio concepto, & causa summatim cognita, ad judicem pedaneum litigantes amandabat, certa formula iis præscripta, juxta quam coram illo judice agendum erat: unde ipsa actio sæpe dicitur *formula*. Hinc etiam Plinius l. IX. Hist. c. 59. meminit formulæ damni dati, hoc est, actionis ex l. Aquilia.

Perito definiendi) Non equidem in illa definitione cerni magna ars aut peritia potest, siquidem præcepta Dialectices spectes. Forte sic rectius Dolum malum definiveris, quod sit mala προαίρεσις alterum inique lædendi in aliquo bono, unde existere possit inæqualitas. Vide nostrarum Instit. Iurispr. lib. II. tit. 36. aph. 6. seq. & lib. III. tit. 3. aph. 3.

CAPVT XV.

EX omni vita) Doli mali contractus & commercia hominum vitiantis odio nimis late provehitur Cicero. *Nam cum nec quæ scias, nec quæ velis, omnia aperire tenearis, sequitur ut dissimulare quædam apud quosdam, id est tegere & occultare fas sit*. Verba sunt Grotii III. I. B. P. c. 1. 7. Vbi etiam videre licet explicata de Ieremia, & Abrahamo exempla dissimulationis. Vnde de hoc ita Augustinus: *Veritatem voluit celari, non mendacium dici*. c. quæritur. Causa 22. q. 2. cui addi possunt plures ibi hanc in rem exstantes egregii textus. Idem Pater ubi de Mendacio ad Consentium scribit, inquit: *Licet veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione*. Talem sine dolo aut nocendi animo dissimulationem usurpatam etiam commendare videtur Aristoteles, quando Socratem dicit fuisse εἴρωνα IV. Nicom. 7. §. 29. Talem quoque interdum esse Virum Magnanimum ait, πρὸς τοὺς πολλοὺς, *apud multitudinem*, etsi can-

candidi pectoris sit & liberi oris, παρρησιαστικός. IV. Nicom. 3. §. 65. Hæc de dissimulatione. Sed quæritur, an etiam simulare liceat. Sane si aliqua Simulatio sine dolo sit, & prudenter adhibeatur, ut videlicet inter vaferrimos homines constitutus vel te securum præstes, vel si id officii tui sit, ut illorum malitiam deprehendas & punias, hanc sæpe saltem licitam esse nemo credo inficiabitur. Imo Simulationem & Dissimulationem sæpe necessariam esse, inprimis qui Remp. regunt, ipse fatetur Cicero non uno loco. At cum dolo conjuncta Simulatio est quoddam mendacium. Grotius inter hæc duo tale discrimen constituit: *Dolus qui in actu positivo consistit, si in rebus, Simulatio; si in sermone, Mendacium vocatur*, lib. III. de I. B. P. c. 1. n. 8. ubi plura de his commentati sumus.

Etiam legibus) Quantopere dolus, & dolose quæsita utilitas repugnet honesto, non solum ex Prætorum remedio colligi potest, quorum Edicto rescindebatur contractus dolo laborans, & restitutio in integrum dabatur; sed etiam hic ostendit, Legem civilem in nonnullis causis illum vindicasse, puta si infidus tutor pupillum forsan circumscripsisset; hanc enim fraudem Tutoris & Legibus XII. Tabb. &, si curator minorem circumvenisset, Lege Lætoria coercitam fuisse dicit. Verba leg. XII. Tabb. hæc sunt: *Vt si quis doli mali culpæve in tutela gerenda suspectus videretur, eum cuivis apud Pretorem suspecti arguere jus esset: utique doli damnatus infamis fieret.* Lectoria lex (ita enim legendum est) longo intervallo post legem XII. Tabb. lata est a Q. Lectorio, qua cautum fuit, ne a minoribus XXV. annis stipulari liceret, hoc est, ne stipulatione obligari possent. Eadem circumventoribus minoris ætatis in contractibus pœnam statuit. Quia vero furiosis & prodigis, qui furiosum suorum bonorum faciunt exitum, uti eleganter loquitur ICtus, etiam Curatores dabantur, hos quoque Lex hæc circumveniri prohibuit, cujus capitis meminit Capitolinus in M. Anton. Philos.

Iudiciis) Præter Prætorum edicta, & Leges, etiam Iudiciis repressa fuit dolo quæsita utilitas; non tamen omnibus, sed in quibus *Ex fide bona* agitur. Vnde bonæ fidei contractus, bonæ fidei Iudicia, bonæ fidei actiones ICtis dicuntur. Cui formulæ quantum tribuendum sit, ipse Cicero in sequentibus declarat. Convenientissime etiam illam formulam interpretatur Paulus, quando dicit, bonam fidem esse contrariam fraudi & dolo l. 3. in fin. ff. pro Soc. Horum contractuum & judiciorum ea est natura, ut etiamsi formula *Ex fide bona* non fuerit adjecta, nihilominus omnis dolus abesse debeat, & præstari, quod bona fides a bono viro exigit. Vide l. 68. §. 1. ff. de contrah. emt. Sed de bonæ fidei actionibus & Iudiciis, & quæ his opponuntur, prolixe atque erudite disserens legi meretur Bachovius Tract. de Action. Disp. 6. & Suetholto citati plures alii disp. 18. §. 58. Notandum hic, actionum bonæ fidei tres fuisse formulas: unam, quæ contractibus bonæ fidei accommodabatur, cum his verbis: *Ex bona fide*: alteram quæ in fiduciis usurpabatur, cum his: *Vt inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione*: tertiam, rei uxoriæ propriam, cum his: *Quantum æquius, melius*. De quibus etiam videri meretur Sigonius lib. I. de Iudic. cap. 21. sub fin.

In arbitrio) Arbitrii voce Cicero tam late hîc & cap. seq. uti videtur, ut ea designet quodlibet bonæ fidei judicium. Cum enim hîc de *reliquis judiciis* dixisset, mox subjungit ejus speciem, arbitrium h. e. judicium rei uxoriæ. Alias non modo a Iudice Arbiter, sed & Arbitri inter se differunt l. 76. ff. pro Soc. Iudex causam per *Sententiam* stricte dictam definit: Arbiter per *Arbitrium* specialiter tunc accipiendum, quod vulgo *Laudum* appellant. Vide nostratum Instit. Iurispr. lib. IV. tit. 6. aph. 32. & tit. 33.

In arbitrio rei uxoriæ) Affertur alia formula, in rei uxoriæ arbitrio usurpata, qua omnis inhoneste lucrum captandi ratio ac techna excluditur. Idem Cicero in Topic. *Inprimisque arbitrio rei uxoriæ, in quo est æquius melius, parati esse debent*. Huc respexit ICtus l. 66. §. ult. ff. sol. matrim. *Quia nec melius æquius esset, quod exigere vir ab uxore non potuisset; ob id ex detrimento viri*

viri mulierem locupletari. Proculus quoque in l. 82. ff. de solut. in qua de viri & uxoris controversia quadam in rei uxoriæ actionem cadente tractans, ita loquitur: *Nec melius nec æquius esse existimarem, eum fundum Sejæ reddi*. Videtur autem non solum huic actioni adhibita aut inserta fuisse hæc formula, sed ad plures pertinuisse. Ita enim legimus apud Ciceronem pro Rosc. Com. *Quid est in arbitrio? mite, moderatum, quantum æquius melius sit dari*. Et postea: *Arbitrum sumseris, quantum æquius melius sit dare, repromittive, si pareret*. Et paulo post: *Quis umquam, ab arbitris quantum petiit, tantum abstulit? Nemo. Quantum enim æquius esset sibi dari, petit*. Videtur itaque hæc formula omnibus judiciis arbitrariis fuisse præscripta: id quod disertis verbis confirmat Sigonius l. cit. Est vero Vxoriæ rei actio, quoties post divortium de dote contentio est, inquit Boethius in Top. Cic. Dos enim licet matrimonio constante in bonis viri sit, est tamen in uxoris jure, & post divortium velut res uxoria peti potest. Adde l. pen. C. de jur. dot. Dd. ad §. 29. Inst. de action. & l. un. C. de rei uxor. act.

In fiducia, ut inter bonos bene agier) Fiducia erat contractus juris civilis, & species quædam mancipationis, qua fidem alicujus secuti, rem ei aliquam dicis causa mancipabant, ea lege, ut eam mancipanti vicissim manciparet. Sigonius lib. I. de Iudic. c. 5. Sed & speciatim Fiducia veteri Iuris significatione accipitur pro pignore, quod creditori mancipatur, aut in jure ceditur, ea lege, ut soluta ad diem pecunia remancipetur; non soluta, creditori pleno jure committatur, id est, lege commissoria cedat. Nam alias pignoris dominium in creditorem non transfertur, sed penes debitorem manet, qui nudam possessionem naturalem transfert. Atque hanc differentiam inter Fiduciam, & Pignus adnotavit etiam Isidorus V. Etymol. c. 21. Adde l. 35. §. ult. ff. de pignor. act. Huic igitur Fiduciæ arbitrio, hoc est, judicio generaliter accepto, solemnis fuit hæc formula: *Vt inter bonos bene agier*. Quam plenius in Topicis profert: *Vt inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione*. Atque totidem verbis illam in hoc libro infra repetit. Cum Cicero intellexisset Trebatium ICtum Epicureum esse factum, atque hæc secta sua omnia voluptate ac commoditate metiatur, hæc illi objicit lib. VII. Epist. 12. *Sed quonam modo jus civile defendes, cum omnia tua causa facias, non civium? Vbi porro illa erit formula Fiduciæ, Vt inter bonos bene agier oportet? Quis enim est bonus, qui facit nihil, nisi sua causa?* Quæ sane scopum Ciceronis hoc loco egregie illustrant.

Tollendum est) Recte se habet hoc præceptum, siquidem proprie dictum Mendacium intelligas, quod sine dolo ac nocendi animo tale non est. Dissimulatio autem, & nonnunquam Simulatio dolo vacat, adeoque pro Mendaciis simpliciter & ubique habendæ non sunt: quod vel ex illo Principum axiomate notum esse potest: *Qui nescit simulare, nescit regnare*. Plura de Mendacio, Simulatione, & Dissimulatione diximus ad Grotii lib. III. c. 1. de I. B. P.

Non licitatorem) Exemplum calliditatis adfert in contractu emtionis venditionis, qua alter alterum utilitatis gratia nequiter sæpe circumvenire studet.

Vterque) Suggerit jam præceptum, quo pacto licitatio, aut emtio venditio fieri debeat. Venditor quam minimum rei pretium statuat, quod ille partim ex ipsa re, partim ex labore, sumtu, aut periculo, quæ accesserunt, candide, sine fuco, & fraude æstimabit. Emtor quoque, si illa indiguerit, in dictum pretium, ceteris paribus, consentiat, nec ambagibus aut tergiversationibus aut illusionibus venditorem circumscribere studeat. Ab hoc præcepto abit ille modus in l. 8. C. de rescind. vend. descriptus, qui usui quidem vulgari, non item Officio consentaneus est, ut sane καταχρηστικως ejusmodi cunctatio ad substantiam illius contractus ibi facere dicatur. Verba legis illius inter alia hæc sunt: *Hoc solum, quod paulo minore pretio fundum venditum significat, ad rescindendam venditionem invalidum est. Quod si videlicet contractus emtionis atque venditionis cogitasses substantiam, & quod emtor viliore comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerentes, ad*

hunc

hunc contractum accedant, vixque post multas contentiones, paulatim venditore de eo quod petierat detrahente, emtore autem huic, quod obtulerat, addente, ad certum consentiant pretium; profecto perspiceres &c. Hanc simplicem æquitatem in hoc contractu, eique similibus aliis observandam insigni exemplo comprobat: quod uti nonnunquam sequi necessum est, si bonam fidem & conscientiam tueri velis; non tamen ubique id fieri opus est, cum in arbitrio sit venditoris, quanti velit rem suam æstimare, & sæpe sat gravis caussa subesse queat, cur minoris ille rem suam non æstimet, quam majori pretio emere non utique sis obligatus.

Qui hoc boni viri) Hoccine, quod venditor, an quod emtor fecit? Si de venditore hoc intelligendum, sapientis id fuisse negant, quod minoris, quam potuisset, vendiderit. Quia vero hic potior laus emtoris esse videtur, si vulgus id quod fecit sapientis esse neget, verba sequentia pro ratione ita mutanda essent, *ut qui majoris, quam potuisset, emisset.* Sane veteres una voce Emtionis, vel Venditionis totum contractum significant. l. 19. & 20. ff. de act. emti.

Hæc igitur) Merito atque iterum merito illum seculi usum increpat, quo simplices mores, candor, & sinceritas, a sapientia seu prudentia secernuntur, & aperti pectoris homines sæpe stultorum, duplices ac fallaces sapientum nomine traducuntur: plane ac si cum morum simplicitate ac candore male conveniat prudentia. Scilicet eadem semper est Prudentia, etsi non semper eodem appareat vultu. *Qua etiam de caussa*, inquit hic Wolfius, *simulatio & dissimulatio, nec aliis nocens, & tibi utilis & necessaria, fortasse non usque adeo vituperanda est.* Quæ verba in gratiam eorum, quæ supra de Simulatione & Dissimulatione disputata sunt, adjicere placuit. Ipse Servator his nos verbis monet, quibus *Prudens simplicitas*, inter beatitatis partes a Martiale laudata, optime comprehenditur: Γινεσθε φρονιμοι ὡς οἱ οφεις, και ακεραιοι ὡς αι περιϛεραι. *Estote prudentes, velut serpentes: & simplices, veluti columbæ.* Matth. X. 16.

Nequidquam sapere) Ex Euripide hoc translatum est: Μισω σοφιϛην ὅϛις ουχ αὑτῳ σοφος. *Odi sapientem, qui sibi non sapit.* Quem senarium Alexander aliquando in Callisthenem jactavit. Meminit etiam illius Enniani versus in lib. VII. ep. 6. Cicero.

Mihi cum Ennio) De Ciceronis sententia nobis abunde constat, quod nil prosit, seu utile sit, nisi quod idem iustum & honestum est. Ennius autem forsan hæc discrevit, ut sane sæpe discerni possunt & debent, ceu supra ostensum fuit.

Hecatonem) Vt lucri compendia quærentes tanto fortius urgeat, etiam hujus Scriptoris doctrinam ac præceptum elevat, sapientiam seu prudentiam cum cura rei familiaris conjungendam esse monens. Et sane rationem illius assertionis egregiam ac solidam adfert, comprobatam etiam ab Aristotele, qui ad illos omnes, qui hic ab Hecatone enumerati leguntur, Felicitatis civilis *αυταρκειαν* extendit. I. Nicom. 7. §. 20.

Singulorum) Optime. Qui enim vere sunt cives alicujus Reip. membra sunt sui totius, sic ut non solum quod ab bona, sed etiam summa ingruente necessitate (qualis belli est) ad vitam Reip. sint obligati. Isocrates: Ἁπαντα τα των οικουντων την πολιν, οικεια των καλως βασιλευοντων εϛι. *Omnia civitatem incolentium bona, propria sunt bene imperantium.* Quod tamen dictum commode interpretandum est, ne summum jus in summam degeneret injuriam. Grotius III. de I. B. P. cap. 20. §. 7. & Cl. Boeclerus diss. de Dominio Eminenti.

Huic Scævolæ) Vel Iustitiæ amore Scævola ita fecit, vel gloriolæ captandæ studio. Posterius non admittet Cicero: esto igitur, factum sit priori consilio. Atque sic non potest factum Scævolæ Hecatoni displicere; nec enim rationem rei familiaris habendam esse ait qualemcumque, ut quovis etiam titulo & modo ditescas, sed solum honestam seu licitam, quæ cum prudentia & justitia consistere queat.

Huic nec laus) Sententia Ciceronis videtur hæc esse, Scævolam eo facto ostendisse, revera se virum bonum & justum & sapientem fuisse, Hecato autem dum Sapientem illum esse censet, qui jura quidem observet, sed etiam

etiam curam habeat rei familiaris, adeoque utile videatur secernere a justo, non videtur magnam laudem aut gratiam mereri, quod hactenus solum justitiam observet, quatenus non damnum sentit in re familiari. Vt hæc verba, *Etenim omnino negat*, ad Scævolam: *Huic*, *&c.* ad Q. Tuberonem sint referenda. Alii aliter hæc interpretantur. Ego vero non dubito, quin hic locus sit corruptus: quod male hæc cohæreant.

Sed sive) Supponit hic falsum prius, unde non potest non sequi falsum posterius. Omnem enim simulationem & dissimulationem cum dolo conjunctam esse supponit: &, cum nemo fere non simulet aut dissimulet in vita, neminem etiam forte a dolo malo absolvi posse. Antecedentis vero falsitatem ego jam supra coargui, ubi ostendi, posse dolum a simulante ac dissimulante sæpe abesse, ut sine ullo honesti detrimento simulet vel dissimulet, & quidem prudenter.

Sive vir bonus) Supponit item perfectam ideam Viri boni, quique idem non καθήκοντα solum, sed κατορθώματα Iustitiæ exhibeat; hunc enim videtur appellare *recte justum*. Qua idea posita, utique sequitur, vix reperiri talem Virum bonum. Quis enim ita prodest quamplurimis, ut Iustitiam pro norma exactissime observet, atque ita boni & justi viri nomen pro dignitate tueatur, ejusque officia impleat, ut nullam suæ utilitatis rationem sit habiturus?

CAPVT XXVI.

AC *de jure quidem prediorum*) Pergit demonstrare, quomodo in aliis etiam capitibus Honesto repugnans πλεονεξία, & huic subservientes variæ fraudes, Iuris civilis prudentia repressæ fuerint. Prædia alia erant Rustica, alia Vrbana: quæ pro diversis juris effectibus non uno modo censentur. Vide nostrarum Iustit. Iurispr. lib. II. tit. 17. aph. 2. Hic quidem Cicero de prædiis urbanis loqui videtur. Vt vero venditor vitia rei sibi nota, & quæ emtori possint esse ignota, ei indicet, bona fides hujus contractus exigit. Confirmant hoc leges supra citatæ ad Cap. 13. h. l. Si contra factum, & emtor deceptus fuerit, subvenitur illi vel actione emti, vel actionibus ædilitiis: redhibitoria, qua contractus omnino rescinditur, vel actione quanti minoris, qua hactenus rescinditur, quanti pluris ab emtore, qui rei qualitatem aut vitium ignoravit, res emta fuit. Gothofr. ad rubr. ff. de ædil. edict. & toto h. t. l. 18. ff. eod.

Ea præstari) More ICtorum hic loquitur Cicero, non minor ICtus, quam Orator, judicio Iac. Gothofredi ad l. 23. ff. de R. I. Præstare enim sensu ICtorum hic est, damnum dolo vel culpa alteri datum luere ac sarcire, quo inæqualitas & læsio inique facta tollatur. Præstari autem diligentiam quando jubent leges, eam adhibendam esse dictitant. Vide nostrarum Instit. Iurispr. tit. 67. Quæ igitur venditor lingua nuncupasset, hoc est, disertis verbis edixisset, rei venditæ inesse vel adesse, ut illam carius venderet, illa præstanda sunt, l. 26. & 27. ff. de act. emt.

Dupli pœnam) Inficiatione enim causa crescit in duplum, §. 23. & 26. Inst. de action. & ibi Dd. l. 2. §. 1. l. 23. §. pen. ff. ad l. Aquil. l. 7. ff. de solut. Sed cum non omnis causa inficiatione duplicetur, & Cicero speciatim agat de inficiatione venditoris, quæ is in contrahendo nuncupasset, hæc quondam dupli pœna in illum Legg. Tabb. videtur fuisse constituta, l. 26. ff. de act. emt.

Reticentiæ pœna) Si venditor callide quædam rei venditæ vitia celat, vel fallendi causa obscure loquitur, vel insidiose obscure dissimulat, illa ex natura contractus præstanda sunt, l. 48. §. fin. ff. de contrah. emt. Sed hæc Præstatio, seu damni reparatio, improprie hic Pœna dicitur, l. 39. & 41. ff. de act. emt.

In arce) Arx est locus, qui arcere hostilem exercitum ad tempus potest. Serv. ad I. Æneid. Cum igitur loca edita Arcibus fuerint quæsita, castella in tumulis aut collibus exstructa Arces dicta fuerunt. Cum vero istiusmodi loca etiam auspiciis essent opportuna, Arx hic significat οἰωνοσκοπεῖον, Auguraculum veteribus, ubi Augures publice auspicarentur. Varro IV. de LL. & Festus. De *Arcifinio* mensorum vide

vide Grotium II. de I. B. P. c. 3. n. 16.

Insulam) Rectissime hanc quoque vocem explicat Festus: *Insulæ*, inquit, *dictæ proprie, quæ non junguntur communibus parietibus cum vicinis, circuituque publico aut privato cinguntur: a similitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus ac mari eminent, suntque in salo positæ*. Ejusmodi Insulæ etsi olim quidem in Vrbe fuerint satis multæ, post Neronis tamen ætatem fuerunt frequentissimæ. Hic enim, uti Tacitus memorat XV. Annal. jussit, ne domus *communione parietum*, *sed propriis quæque muris ambirentur*; ut tanto facilius incendia reprimerentur. Vnde non est quod mireris, cur. P. Victor (de quo vide, si lubet, Vossium de Hist. Lat. lib. II. p. 198.) in quaque regione Vrbis multo ampliore numero insulas enumeret, quam domus. Hanc quoque causam crediderim, cur toties Insularum mentio fiat in Digestis. *Insularii* erant insularum custodes, l. fin. ff. de off. præf. vig. l. 16. §. 1. ff. de usu & habit. l. 203. ff. de V. S.

Arbitrio illum) Hinc apparet, quomodo dolose captata utilitas bonæ fidei formula ad naturalem æquitatem, ejusmodi contractui convenientem, per judices aut arbitros redacta fuerit.

Ex filio est nominandus) Est vero illud Lumen, omnium ore celebratissimus Cato Vticensis, qui haud ita pridem, cum hæc scriberet Cicero, Vticæ sua manu ceciderat, ne servientem patriam, aut superbum victorem, (qui nemini umquam aut blandiri aut cedere didicerat) adspiceret. De Catonibus, seu familia Porcia vide Gellium l.XIII. cap. 18.

Igitur ad fidem bonam) *Quæ contra bonam fidem fiunt, veniunt in emti actionem*. Et *redhibitionem quoque contineri emti judicio*, ICti recte senserunt, l. 1. §. 1. l. 11. §. 3. ff. de act. emt. Vide Caroli Magni cap. 216. Instit. Iurispr. lib. II. tit. 40. aph. 8. Et lib. IV. tit. 6. aph. 30.

Quod si recte) Hoc Catonis arbitrium ad superiora quoque exempla pertinere ostendit; sed cum ubique non eadem sit reticentiæ ratio, idem de omnibus pronuntiari nequit. Circumstantiæ enim, uti vulgo dici solet, variant jus: quæ cum pene infinitæ sint, hinc recte subdit, omnes reticentiæ modos jure civili comprendi nequivisse.

M. Marius) De hac quæstione quid sentiendum sit, ex Grotio jam supra intelleximus, & omnino distinguendum est inter vitia latentia, & nota. l. 1. §. 1. & in f. de act. emt. l. 43. §. 1. ff. de contr. empt. l. 26. ff. de R. I. l. 48. §. 4. ff. de ædil. edicto.

In mancipio) Hoc est, mancipatione, seu emtione venditione. Erat enim Mancipatio imaginaria quædam venditio inter cives Rom. usitata quæ fiebat adhibitis quinque testibus, civibus Rom. puberibus, & ejusdem conditionis Libripende. Is qui mancipium accipit, æs manu tenens ita dicebat: Hunc ego hominem ex jure Quiritum meum esse ajo, isque mihi emptus est hoc ære atque libra: idque æs dabat ei, a quo mancipium accipiebat, quasi pretii loco. Vlpian. Inst. c. 19. Cujac. l. 11. c. 37. Turneb. lib. XX. Adv. c. 19.

Quorsum hæc) Cicero id unice operam dat, nullam utilitatis rationem esse habendam, quæ ab honestate diffideat, videturque propendere in causam Sergii, cui servitus a Gratidiano non fuisset in mancipio seu dominii translatione solemni diserte expressa. Ceterum cum non adferat, quid a Iudicibus pronuntiatum sit in hac causa, crediderim secundum Gratidianum dictam fuisse sententiam. Nec enim illa fuit quædam astutia aut dolus Gratidiani, cum servitutis, quæ Sergio minime ignota esse poterat, mentionem non injecisset.

CAPVT XVII.

SEd *aliter leges*) Hoc videtur significare, Leges civiles subsidium quidem solere præstare adversus ejusmodi technas, sed nonnisi quatenus manu teneri res possunt, hoc est, quatenus actio aliqua ex dictis factisque externis informatur; sic ut Leges ne quidem in his minimum persequantur, sed ubi satis gravis causa subest, veluti in l. 2. C. de rescind. vend. At Philosophia ipsum ani-

animum perscrutatur, &, quam προαιρεσιν attulerit, investigat. Recte enim Seneca: *Quam angusta innocentia est, ad legem bonum esse?* Rectius etiam illud Senecæ in Agamemnone: *Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor*. Vbi Pudor non tam hominum & famæ, quam æqui & boni, aut certe quod æquius meliusque est, respectum significat: uti hæc interpretatur Grotius III. de I. B. P. 10. n. 1. Etiamsi igitur τα καθ' εκαςα in actionibus non semper liquidum jus in legibus civilibus definitum inveniant, Philosophia tamen practica ejus est amplitudinis, ut nihil tam argute aut recte fiat, quin illius censuram admittere cogatur. Grotius II. de I. B. P. c. 12. §. 12.

Suntne igitur) Pereleganti simili callidorum hominum aucupia explicat: in quo εμφασις verborum probe observanda est. Vid. Grotius Flor. sparf. ad Ius Iustin. p. 27. De ipsa re ita sentiendum esse videtur. Si quis domum vendat, cujus vitium sit occultum, omnino illud a venditore prodi debet. Si manifestum, & a venditore illud non nuncupetur, tum illud vel fit eo consilio & voto, ut, si fieri possit, sua negligentia in insidias incidat emtor: vel quod credat, non posse hoc facile quemquam latere, nullo studio aut desiderio adhibito, ut decipiatur. Priori casu lex quidem civilis suppetias haud facile feret: &, si Rom. Remp. spectes, non nisi inde tanta inæqualitas emerserit, ut quæ dimidium justi pretii excesserit, atque illud demum ex eo tempore, quo Diocletianus eam legem tulit. Interim licet minor sit inæqualitas, est tamen contra rationem honestatis, quæ omnem nocendi & defraudandi cupiditatem excludit. Posteriori casu ejusmodi inæqualitas imputanda erit negligentiæ emtoris. Quis enim alias foret litium finis, quam inconstans commerciorum ratio, quæ tandem infrequens & nulla esset futura? Interim quandocumque opus est, ut significetur rei vendendæ vitium, non utique naturæ lege sancitum est, ut hic ait Cicero, ut illa indicentur ipsa proscriptionis tabula. Aliud est enim, significare voluntatem aut consilium vendendi, & vendere: posterius hoc ubi fit, vitia indicasse sufficit.

Lege sanciri) Hoc est, Legis sanctione improbari ac puniri, §. 10. Inst. de R. D. l. 41. ff. de pœn. Præterea ICti Sanctionem distinguunt in Summam, Mediam, & Infimam. Summam dicunt, qua actus ipso jure nullus ac irritus esse jubetur. Mediam, qua actus ope & decreto magistratus rescinditur, veluti si quis in emtione ultra dimidium sit læsus. Infimam, cum id quod factum est non rescinditur, sed qui commisit multatur.

Societas) Ita est, uti ipse ait, non semel jam hæc ab ipso fuisse dicta. Omnis societas regitur aliquo jure, idque pro ipsius societatis natura comparatum est. Societatum vero natura eo differt, quod in alia atque alia major aut minor sit rerum communio. Iam autem est universi generis humani quædam societas: & jus quo illa regitur Gentium hîc appellatur, hoc est, Naturæ; uti jam supra item explicavi. Civilis autem societas regitur jure civili. De hisce juribus jam ita pronuntiat: *Quod civile, non idem continuo gentium: quod autem gentium, idem civile esse debet*. Hæc ex superioribus quidem recte explicari possent, breviter tamen illa repetenda sunt. Ex illa communissima hominum societate multi se in civilem societatem arctiorem contulerunt, non unum ob finem: de qua re videatur Aristoteles III. Polit. c. 6. sibique peculiares quasdam leges civiles condiderunt, non a natura præscriptas, sed arbitrio ipsorum inventas, quibus crediderunt suam utilitatem & αυταρκειαν civium promoveri posse. Hoc tamen jus civile non eam habet auctoritatem, ut abrogare aut derogare quidquam possit, quod sanctione Iuris Naturalis comprehensum est, sed admisso & observato præcipue in civitate Iure naturæ, aliquid solum præter illud statuit, in iis rebus & actionibus, quæ a natura certam juris determinationem non acceperunt. Ergo quod gentium jus est, idem civile esse debet, hoc est, non existiment cives, se obligationi legum naturalium exemtos esse, quod civili-

bus

bus utantur, iisque propriis. Hoc enim Ius, quod Naturæ dicimus, *παντaχȣ την αυτην εχει δυναμιν*, *ubique eamdem auctoritatem habet*, V. Nicom. 7. §. 5. & omnes omnino homines sive in civili, sive in alia societate viventes obligat, plane uti urendi vim habet ignis & hic, & apud Persas, & ubique. At Civile jus non continuo est gentium: hoc est, non licet inferre, ac si jus alicujus civitatis proprium, & ad ejus utilitatem accommodatum, obliget omnes gentes seu homines, sicut jus naturæ. Eadem explicata legere licet apud Alb. Gentilem lib. I. de Iure Belli c. 2. & lib. III. C. V. necnon apud Boeclerum in Comment. ad Grotium lib I. c. 1. n. 14. p. 167. Videtur autem Cicero his verbis voluisse confirmare, cur tam religiose in contractibus bona fides & æqualitas observanda sit. Proinde cum dixisset, esse propiorem societatem eorum, qui ejusdem civitatis, potuisset etiam addere, propiorem adhuc esse contrahentium societatem, adeoque contractuum naturam utilitatis causa repertam propius quoddam jus exigere. Grotius II. de Iure Belli & Pacis c. 12. §. 9.

Sed nos) Nota hic summi Philosophi & ICti contentionem inter Ius naturæ, & civile Romanum. Quamvis autem hoc repræsentet istius nonnisi umbram & imaginem; optat tamen Cicero, ut Cives R. leges suas civiles sequantur, ne de iis dicendum sit, quod apud Aristotelem VII. Nicom. 10. §. 12. Anaxandrides ait. Cur vero legibus civilibus Romanos parere velit, hac utitur ratione; feruntur enim ex optimis naturæ principiis. Ius enim civile Rom. magnam partem iis comprehenditur legibus, quæ tamquam conclusiones ex Iuris naturæ principiis sunt derivatæ. Sed nec illæ spernendæ sunt, quæ licet ex principiis juris naturæ non prono fluant alveo, modo nihil iis contineant adversum. Deinde etiam notetur, quod illas conclusiones legum civilium appellet veritatis exempla, hoc est, ipsius voluntatis divinæ, & naturalis Iustitiæ ideam referentes, & instar veritatis ac justitiæ divinæ repræsentantes.

Nam quanti) Ex conceptis formularum verbis, juxta quas judicia instituį solebant, manifestum esse vult, quomodo leges civiles ejusmodi formulas inculcantes ex principiis juris naturæ, tamquam rivuli ex suis fontibus profluant. Ius enim naturæ omnem fraudem ac dolum detestatur: qua in re leges civiles quidquid speciatim vetant, ex illis principiis derivatum omne est. Quod attinet priorem formulam: *Vti ne propter te &c.* videtur illa veteri cuidam stipulationi accessisse, quamvis & hanc, & sequentem Brissonius ad arbitrium fiduciæ, de quo supra, referat: quem vide lib. V. de Formul. p. 373.

Arbitriis) Hoc est, judiciis bonæ fidei generaliter sumtis. Vide quæ ad c. 16. h. l. adnotavi.

Fideique bonæ nomen) Ex Scævolæ sententia enumerat contractus, in quibus bona fides religiose cumprimis observanda omnem dolum excludebat. Nam non eo sensu hi contractus bonæ fidei dici consueverunt, ac si reliqui possint esse sine bona fide, sed quod in his eximie conspicua debeat esse bona fides, vimque suam latius explicare. Addatur autem omnino §. 28. Instit. de Actionib. & ibi Dd. Bachovius de Actionib. disp. 6. n. 2. seqq. add. l. 23. ff. de R. I. Nostræ Instit. Iurispr. lib. II. tit. 40. aph. 8. & lib. IV. tit. 6. aph. 30.

Fiduciis) Hæc vox cum sit ambigua, vel intelligi possit pro pignore, quod creditori mancipatur, ea lege, ut soluta pecunia remancipetur; non soluta, creditori pleno jure cedat. Vel fiducia accipi possit, pro redhibendi aut revendendi lege, venditione apposita; vel denique pro tutela fiduciaria: Instit. de Fiduc. tut. cui sententiæ accedit Fr. Maturantius. Sed prima significatio videtur maxime hujus esse loci. Veteres enim ICti Hypothecæ voce usi non sunt, sed Fiduciæ; qua tamen appellatione tam *ενεχυρον pignus*, quam *ὑποθηκην*, complexi fuerunt. Salmas. de Mod. Vsurar. c. 14. Vinn. ad §. 7. Inst. de Action. n. 12.

Præsertim) In enumeratis contractibus utrimque præstationes sæpe debentur. Ita in tutelis pupillus adversus tutorem habet actionem directam, tutor

tor adversus pupillum contrariam. Ita quoque se res habet in commodato, mandato, deposito, negotiis gestis, & pignoratitia, seu fiducia. Has sex nobis contrarias actiones memorant ICti. Actio pro socio ex l. XII. Tabb. utrimque directa est, quia utriusque socii causa instituta est. Ad eum modum se quoque res habere videtur in emtione venditione, & in locatione conductione. Magni igitur judicis est, definire in his, quid utrimque debeat præstari, & quidem juxta illam formulam, *Ex bona fide.* Quia autem non in omnibus enumeratis contractibus locum habet actio contraria, ideo bene addit Cicero, *in plerisque.* Sed & illud notandum est, Actionibus directis non modo opponi Contrarias, sed & Vtiles, multum diversa ratione. Prior oppositio hoc vult, directam actionem principaliter competere, contrariam tamen etiam a bona fide permitti, ne quis alterius gratia inique damnum sentiat. De posteriori oppositione videatur nostrarum Instit. Iurispr. lib. IV. tit. 6. apoph. 11.

Quocirca astutiæ) Astutiam & malitiam Prudentiæ opponit. Sicuti enim Prudentia ubi est, ibi quoque perfecta Virtus, & Bonitas reperitur: ita quoque Astutia cum Malitia perpetuo nexu cohæret. VI. Nicom. 5. §. 9. & cap. 13.

Nec vero in) Pergit docere, in mancipiorum quoque venditione legibus civilibus eliminatam fuisse omnem fraudem: quam cum ipsa natura damnet, recte hoc Ius civile a natura ductum pronuntiat. Quod autem attinet morbos, fugam, & vitium mancipiorum, videatur tot. tit. ff. de Ædil. Edict. Ipsum Edictum recitatur a Iurisconsulto l. 1. §. 1. eod. cui §. 2. hanc rationem cum Ciceroniana plane convenientem subjungit: *Causa hujus Edicti proponendi est, ut occurratur fallaciis vendentium, & emtoribus succurratur, quicumque decepti a venditoribus fuerint: dummodo sciamus venditorem, etiam si ignoraverit ea, quæ Ædiles præstari jubent, tamen teneri debere. Nec est hoc iniquum; potuit enim ea nota habere venditor: neque enim interest emtoris, cur fallatur, ignorantia venditoris, an calliditate.* De servo morboso agitur l. 1. & seqq. De Fugitivo l. 17. aliisque passim. De animi vitiis l. 1. §. ult. l. 4. §. 4. l. 17. §. ult. & aliis. De Fure speciatim etiam agitur l. 23. §. 8. Idem Edictum ab Ædilibus porrectum fuit ad jumenta, ut venditor enuntiaret, quid in quoque vitii aut morbi esset. Vide l. 38. d. t. Sed & latiorem ejus extensionem l. 40. cum seqq. continet. Ex hoc Edicto contra venditorem dabatur actio redhibitoria, vel quanti minoris, quæ etiam Æstimatoria appellatur, l. 18. ff. de Ædil. Ed. De quibus jam supra aliquid dictum est. Quomodo autem hæc dolo excluso bonæ fidei sit & dicatur, legatur Bachov. Tract. de Action. Disp. 7. §. 18. Denique quis fuerit effectus Redhibitionis vid. l. 60. eod. His addantur, quæ incomparabilis noster Grotius congessit Flor. Spars. ad Ius Iustin. de Ædil. Edict. p. 129.

Qui enim scire debuit) Hæc verba si recte se habent, vel de emtore, vel de venditore, vel de utroque intelligenda sunt. Si de emtore, qui de sanitate scire debuit, non autem a venditore admonitus fuit, præstat, hoc est, præstationem ex edicto a venditore recipit. Si de venditore, sciendum est, emtorem neque illius fraudulenta reticentia, neque ignorantia damnum sentire debere, ut tamen priori casu plus, quam posteriori sit præstandum, l. 13. pr. & §. 1. ff. de Act. Emt. Si igitur venditor scire debuit de sanitate, quam vel ignoravit, vel reticuit, id omne præstat emtori, quod ejus indemnitati ex edicto ædilium debetur. Si quis vero hanc explicationem in persona venditoris, & emtoris conjungi posse putet, non repugnabimus. Conferantur, quæ dicturi sumus ad cap. 24. in fine.

Præstat) Ita quoque Vlpianus: *Quæ ædiles præstari jubent.* l. 1. §. 2. ff. de Ædil. Edict.

Hæredum alia) Pertinent huc verba Imp. §. 1. Inst. de perpet. & tempor. action. *Aliquando etiam ex contractu actio contra hæredem non competit: veluti cum testator dolose versatus sit, & ad hæredem ejus nihil ex dolo pervenit.* Sed quantopere hîc ICti laborent, obstantibus multis aliis juris

texti-

textibus, vel ex solo Bachovio cognosci poterit. Add. l.23. §. 5. l.48. §. 5. ff. de Ædil. Edict. Ex quibus legibus cum pateat, ædilitias actiones & hæredi & in hæredem competere; vel manu aliena hæc verba adscripta, vel una cum præcedentibus mendi alicujus suspecta videntur. Sane si post verbum, *excluditur*, sequatur nova periodus, *Ex quo*, hæc magis concinne cohærebunt, & illa infarta exempla melius aberunt; præsertim cum etiam ambiguitate suspecta sint, ceu ante indicatum fuit.

Iuris Natura) Hoc est, ipse Deus, qui Naturæ, id est, Rectæ Rationis auctor est, hoc jus naturale condidit, & omnino omni juri auctoritatem præcipue subdidit.

Vt ex alterius) Ex his exemplis generale præceptum colligit, neminem debere lucrum captare ex alterius inscitia; hoc enim esse furum, & prædonum: cumprimis non licebit id operam dare, ut tuo dolo & fraude inscius sit.

In malitia) Si quis ingenii sui acumen in rebus malis exerceat & ostentet; hæc non vera quædam intelligentia, seu prudentia, sed astutia meretricio fuco adspersa est.

Abstinere possit) Tanta scilicet in multis, tamque effrænis est cupiditatum libido. Quocirca tanto majori studio in Virtutem nobis incumbendum est, quæ est appetitus ορθοτης, & μετριοπαθεια. Hanc cupiditatum enormitatem dicit se in iis consideraturum exemplis, quæ in dubium a multis vocari queant, & de quibus disputari operæ pretium sit. Illa enim vitia, quæ ab ipso enumerantur, nimis manifeste arguunt appetitus improbitatem, & quam cum honestate collata habent contrarietatem: ut adeo tales non disputationibus aut verbis, sed pœnis coercendi sint.

CAPVT XVIII.

TEstamentarius) Hoc nomine Vlpianus testamenti scriptorem appellat l. 9. §. 3. ff. de Hæred. Instit. Quia vero hi homines suo munere ad fraudes abutebantur, testamentarii etiam dicti fuerunt, qui vel falsa testamenta subjecerunt, vel aliquid ultimæ voluntati detraxerunt, aut alias falsi crimen in testamentis commiserunt, l. 22. §. 10. ff. ad l. Corn. de Fals.

L. Minutii) Hanc quæstionem quod attinet, recte reprehenduntur Crassus, & Hortensius. Etsi enim ipsi falsi testamenti auctores non fuerint; voluntate tamen ipsoque facto adprobarunt aliorum crimen, & eidem se obnoxios reddiderunt. Grotius II. de Iure Belli & Pacis cap. 10. §. 1. & c. 21. §. 1.

Obtinerent) Obtinere est, judicio vincere, l. 5. §. 6. ff. Iudic. Solv.

M. Crassum, & Q. Hortensium) Nam obligatio, quæ oritur ex dominio, tamquam ex contractu universali omnes homines tenet, & jus quoddam rei domino parit, sic ut singulares actus aut contractus, quippe tempore posteriores, exceptionem inde accipiant. Facit huc insignis Tryphonini l. 31. ff. Depos. *Latro spolia, quæ mihi abstulit, posuit apud Seium, inscium de malitia deponentis: utrum latroni, an mihi Seius restituere debeat? Si per se dantem accipientemque intueamur, hæc est bona fides, ut commissam rem recipiat, qui dedit: Si totius rei æquitatem, quæ ex omnibus personis, quæ negotio isto continguntur, impletur, mihi reddenda sunt, cui facto scelestissimo ademta sunt.* Recte autem addit: *Et probo hanc esse justitiam, quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore repetitione.* Secundum hæc igitur Crassus, & Hortensius ex falso testamento juste nihil potuerunt capere, sed si justitiæ studiosi fuissent, veris hæredibus hæreditatem resignare debuissent.

Nomen suum ferre) Solebat enim heres una cum hereditate gentilitium nomen ferre.

Etenim si is) Hic jam recedit a Stoicorum placito: *Peccata esse paria.* Ipse enim a minori ad majus hic procedit. Injuriam non arcere, ubi debebas & poteras, minus est peccatum, quam inferre injuriam, aut illatam ab aliis sua ope fovere, seu adjuvare injuriam. Majus vero delictum esse facere, quam pati injuriam, bonis rationibus ab Aristotele V. Nicom. 1. disputatur.

Mihi quidem) Veras hereditates appellat, quæ iis testamentis deferuntur, quæ falsi crimine non laborant. Si tamen heredipetæ non candidis & sinceris officiis successionem impetraverint, sed eam subdolis blanditiis emendicaverint, testatorem utique fraudibus suis inducunt: quorum improbitas licet jure civili non semper castigetur, magnam tamen vim juri naturæ ea inferunt, l. 4. ff. de Inoff. testam.

Atqui in talibus) Vidimus quæstiones illas, in quibus Vtile ab Honesto multis modis dissidere videtur. Interim repetit suum principium, Vtilitatem, & Honestatem ad eamdem amussim & regulam esse examinandam. Hoc quo sensu locum habere queat, vel nequeat, toties jam diximus.

Qui hoc non) Viden' quo progrediatur, quam graviter illos accuset Cicero, qui honestatem ab utilitate, aut hanc ab illa segregant? nec tamen hæc aliter subsistere, aut vera esse possunt, quam si quis ejusmodi utile sectetur, quod penitus honesto repugnet.

CAPVT XIX.

ITaque si vir bonus) Perfectum sapientem Stoicum videtur in arenam producere. Ceterum digitis concrepare, in foro saltare, non natura, sed hominum opinione turpia sunt: atque hæc sane cum proprie dictis turpibus minime sunt confundenda, multo minus hæc istis æquiparanda. Si itaque conditionem natura prohibitam expressisset, qua posita, impetraret hæreditatem avarus Crassus, aut repudiaret Sapiens, rectissime dixisset. Hæc vero est quædam *μεταβασις εις αλλο γενος*, ex homonymia adscita. Interim Sapiens Stoicus ei, quod opinione sit turpe, non quidem temere, sed saltem aliquo casu prætulerit aliquod utile. Quod ut rectius intelligatur, cum his conferenda sunt, quæ aliquot paginis interjectis leguntur, *v. Quid si quis Sapiens*, &c. cap. 24. Obiter notetur, paulo ante dixisse Ciceronem se mortuum Crassum non odisse (vivum enim certe oderat) mox tamen his verbis acerbissime eumdem perstringere.

Animi sui) Hujus argutissimæ *φρασεως* vim haud mihi assecuti videntur, quos vidi, Interpretes. Meam itaque sententiam proferam, nemini tamen invito obtrudendam. Non semel Cicero profitetur, hominis menti inesse *κοινας εννοιας*, communes illas notiones & principia recte vivendi. Plurima vero oboriuntur impedimenta, quæ inter notiones illas, & facta singularia intercedunt, & obstant, quo minus illæ notiones ad usum transferantur, ipsisque actionibus singularibus applicentur. Atque ita notio animi complicatur: ubi autem illa rebus agendis adhibetur, evolvitur. Optime igitur Socrates sensit, qui omnis eruditionis & scientiæ Philosophicæ fructum in eo ponebat, *το καταλληλως τη φυσει εφαρμοζειν τας προληψεις ταις επι μερους ουσιαις*, *si principia naturæ nota recte adaptentur ad res singulares*. Qua de re ita loquitur Arrianus Epictet. lib. III. c. 26. *Τουτο εστι το αιτιον τοις ανθρωποις παντων των κακων, τας προληψεις τας κοινας μη δυνασθαι εφαρμοζειν ταις επι μερους. Hæc est causa hominibus omnium malorum, quod non possint anticipationes, seu communes notiones singularibus adaptare*.

Nisi lacessitus injuria) Improprie hoc dicitur nocere; ad defensionem enim hoc pertinet. Defendere autem non est proprie & formaliter, seu ex mala *προαιρεσει* nocere. Etiamsi enim a me defendente lædatur alter, sibi imputet: adeoque hic illud suo modo locum habet: *Nemo læditur, nisi a seipso*. Reprehendit quidem Ciceronem Lactantius, quod si hæc exceptio attendi debeat, nobis perierint duæ virtutes sanctissime commendatæ, Patientia, & Innocentia. Sed non hoc vult Cicero, quaslibet injurias nos debere ulcisci, sed si forte noceamus alteri, excitari nos debere justa defensione, satis gravem injuriam depellente. Confer lib. I. cap. 6.

Hic non noceat) Supra de iis dixerat, qui suis blandimentis alios inducunt, ut se scribant heredes, legitimis exclusis: quorum composita ad fallendum verba veneno comparat, non sine tacita detestatione illius malitiæ.

Non ergo) Occupatio. Licetne igitur numquam sectari cuiquam quod Vtile

Vtile est? Licet, inquit; modo quid Vtile sit recte intelligat, quod non sit injustum, nec inhonestum.

Fimbriam) Egregium fuit Fimbriæ judicium & plane ad ideam Stoicam comparatum, ut qui cum Socrate unus recte dijudicare sciverit, quis esset perfecte Vir bonus, quantisque officiis hunc titulum adquirere & tueri necesse habeant, qui illum adfectent. Sen. ep. 42.

Sponsionem fecisset) Fiebat olim Sponsio interposita stipulatione certæ pecuniæ, quam, qui litem intendebat, daturum se, ni veram causam haberet, (hoc loco, nisi viri boni officio functus esset) promittebat. Actor enim primum spondebat: id est, sponte atque ultro sponsionem deferebat adversario, quem ideo sponsione lacessere & provocare dicebatur: ab eo namque postea summam eamdem stipulabatur. Hic autem aut fateri cogebatur, aut si inficiaretur, restipulari, tum actor iterum stipulanti adversario spondebat. Apud Græcos erat decima pars rei controversæ, si causa esset privata: in publicis, quinta. His παρακαταβάλλειν, & παρακαταβολὴ dicebatur. Vide, quæ de Sponsionibus etiam adnotavit Grotius Flor. Sparf. ad Ius Iust. de præscript. verb. p. 127.

Ne cogitare quidem) Hoc est, nullum pravi facinoris consilium capere. Interim si simpliciter nudam cogitationem intelligas, verissimum quidem hoc est præceptum, sed per nostram imbecillitatem minime impleri potest. De Iure quidem civili cogitationis pœnam nemo patitur l. 18. ff. de pœn. cui addi potest Gellius lib. VII. c. 3. Interim non omne id quod impune fit in foro civili, etiam rectum est.

Prædicare) Hîc est palam coram quibusvis enuntiare, aut profiteri.

Hæc nonne) Non opus esse subtiliter hæc disputari, proverbio vulgato comprobat, a bono viro omnem dolum & voluntatem detrahendi alteri abesse debere. Dignus enim quicum in tenebris mices, is est, qui adeo bonæ certæque fidei sit, ut nec si tuto & impune possit, velit quempiam mendacio fallere. Cicero II. de Divin. *Quid est sors? idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod tesseras*. Micare, inquit Erasmus in Chiliad. est lusus genus quoddam, quod adhuc apud Italos durat: ut repente porrectis digitis, certantium uterque numerum divinet. *Dubitare* hîc significat, in dubium vocare.

Convertere) A legitimis heredibus falsi crimine aliove dolo ad se transferre. Quamquam optime quique libri veteres legunt, *hereditates omnium posse convertere*.

Adversante) Omni Rationi, omnibusque vivendi principiis adversatur, ut aliquid sit Vtile revera, quod ab Honesto dissideat.

CAPVT XX.

AT enim) Etsi hæc omnia ita se habeant, contrarium tamen fieri inquit. Si enim proposueris bonum Vtile, spem lucri & præmii, causa & auctoramentum peccandi est: ut si homines roges, cur malum hoc facinus aggressi fuerint, tamquam legitimam excusandi causam præ se ferant, invitatos se esse Vtilitate, imo illius spe aliqua. Exemplis idipsum illustrat perspicuis.

Iaceret) Humilis & abjectus viveret, ac contemneretur. Sic *oratio jacere* dicitur, quæ languet. *Iacent pretia prædiorum*, hoc est, vilipenduntur.

Producere) Hoc est, bellum trahere seu protrahere; uti alias Latini Scriptores loquuntur.

Noster Gratidianus) Hic est idem, quem mox appellat Marium. Supra ita fuit locutus: *M. Marius Gratidianus, propinquus noster*.

Res nummaria) Quidquid ad monetam spectat, his vocibus denotatur. Illa vero periodus, quæ mox sequitur, *Iactabatur*, &c. a Lambino, & Langio tota expungitur.

Quid haberet) Tam varium fuit nummorum pretium, ut nemini certo constaret, quantum pecuniæ vel in ære haberet.

Cum pœna atque judicio) Vt qui adulterinos nummos pro probis supposuisset, in judicium deductus mulctaretur, aut pro re nata supplicio ultimo adficeretur.

Thus & cerei) Notetur veterum con-

consuetudo & summa assentatio, quod tamquam Divos coluerint eos, quibus statuæ ex insigni beneficio fuissent positæ, & incensis cereis thus adoleverint.

Conturbant homines) Vox *homines* in veteribus libris non legitur.

Sed omnium) Omnium actionum summum hic constituit principium, non semel a nobis supra explicatum, ad quod tamquam exactissimam normam omnes omnino illæ sint examinandæ.

Aut illum aut hunc) Duorum enim Mariorum meminit, C. Marii, & M. Marii Gratidiani.

Est ergo) Bene monet, non debere ullum ex utilibus bonis nobis tam carum esse, quam Viri boni nomen, easque virtutes, per quas tales evadimus: adeoque nullius boni utilis posse tantum esse emolumentum, quam sit jactura boni honesti. Sen. ep. 76.

Quid enim) Si quis suæ libidini & adfectibus nihil non tribuat, eum quo loco habeat, jam supra intelleximus, ubi dicebat vim esse leonis, fraudem vulpeculæ, & multos nonnisi sola specie homines esse. Et vero si homines, excusso omni rectæ rationis imperio, suis adfectibus pareant, non solum bruto more feruntur, sed ipsis brutis sunt deteriores: ceu idipsum graviter docetur ab Aristotele I. Polit. 2. f. Confer supra c. 5. in fine, & c. 6. in fine.

CAPVT XXI.

QVid qui) Graviter illos accusat, qui potentiæ & amplioris imperii cupiditate ducti sceptrum corripiunt, nulla habita ratione juris & honesti. Speciatim vero & Pompeium, & Cæsarem notat. Iste enim hujus filiam uxorem ducebat, ut Cæsaris audacia subnixus tanto majori vi ad principatum grassaretur, & rei admodum exosæ invidiam in socerum declinaret. Libro primo vehementer etiam accusantem audivimus Ciceronem I. Cæsarem, quod omnia divina & humana jura proculcaverit, propter illum, quem opinionis errore sibi finxerat principatum...

Non metuunt leges, sed cedit viribus æquum,
Victaque pugnaci jura sub ense jacent.

Ovid. V. de Trist.

Mensuraque juris Vis erat, inquit Lucanus lib. I.

Ipse autem) Vtitur hoc Ciceronis testimonio Suetonius in I. Cæsare c. 30. Vnde grandis illa ambitio plus satis apparet. Euripidis versus hi sunt:

Ειπερ γαρ αδικειν χρη, τυραννιδος περι
Καλλιστον αδικειν, τ' αλλα δ' ευσεβειν χρεων.

Ceterum causam tantæ in Cæsare ambitionis nemo rectius Mæcenate expresserit, cujus hæc sunt apud Dionem Cassium: Αρχαι αἱ μακροτεραι και πολυχρονιωτεραι επαιρουσι πως πολλους, και ες νεωτεροποιΐαν εξαγουσι. *Magistratus majores & diuturniores multos sæpe efferunt, & ad res novas excitant.*

Capitalis Eteocles) Επικρισις, qua sententiam hanc Euripidis ceu atro carbone notat.

Omnium sceleratissimum) Tyrannidem, qua patria omnesque boni cives opprimuntur, &, ubi qui liberi debebant esse, servire coguntur.

Quid igitur) Cum supra multis detestatus esset fraudulentas circumscriptiones, quibus se invicem privati in commerciis fallere solent; contentione facta, exaggerat dolos, qui patriæ, civibus, eorumque libertati struuntur.

Qui autem) Si quis Tyrannidem inhonestam per se esse pronuntiet, utilem tamen ei, qui eam adipisci possit; hunc cum ratione insanire existimat, quod nihil revera possit esse Vtile ab honesto, & justo secretum.

Parricidium patriæ) Valde εμφατικως. Estque hæc metaphorica quædam descriptio tyrannidis. Nec dulce Parentis nomen turpitudinem facinoris a Cæsare patrati demere potest, quod a metu vel assentatione profectum fuerit.

Vnum sonare) Hoc est, ejusdem rei significationem facere.

Nunc abeo) Cum vulgus ineptissime de rebus judicet, & eo non rectius sapiant, qui suas cupiditates tam addicte sequuntur; hinc ostendit tyrannidem esse maxime inutilem iis, a quibus utilitatis gratia unice occupata est. Comprobavit hoc ipse I. Cæsaris

ſaris exitus, aliorumque tyrannorum. Huc faciunt, quæ hac de re libro ſecundo attulimus. Notum quoque eſt illud Lyrici lib. III. od. 1.

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem,
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent.

Multi iniqui) Si ex Accii ſententia tot habent hoſtes Reges, juſto titulo monarchiam conſecuti, quanto magis erit omnibus exoſus is, qui proprio ſuo gladio Remp. quaſi jugulavit. Nam veteranas populi Rom. legiones, quæ pro Rep. in Galliis militaverant, civium cervicibus immiſit, & ſervitutis tyrannicæ jugo illas Cæſar innexuit. Accius videtur is eſſe, qui Pacuvio aliquanto fuit junior: de quo Voſſius de Poet. Lat.

Hunc tu quas) Hinc perpetuo exitii metu vexatus exclamaſſe aliquando Cæſar ſcribitur: Præſtare ſemel oppetere mortem, quam in perpetuo mortis metu & ſollicitudine tanta vivere. Pejor enim eſt morte timor ipſe mortis. De malæ conſcientiæ ſtimulis plura dixi Diſp. 3. de Princ. act. moral. th. 6. ſeqq. Cumprimis expendi meretur memorabilis admodum textus Ariſt. IX. Nic. c. 4. ſub fin. Confer ea, quæ dicta ſunt ad cap. 7. lib. II.

Cujus autem) Ecce quid de tyrannis ille ſentiat, poſſe illos a quovis occidi, & promtiſſimum cædis exſecutorem in maxima fore gratia & gloria: unde concludit, non poſſe utilem vel ipſi tyranno ſuam eſſe vitam. Ita a Græcis edoctus hic ſcribit Cicero. Sed hac de re jam alias pluribus dictum eſt ad Grotii lib. I. de I. B. P. c. 4. n. 17. ſeqq. Confer lib. II. c. 7. & lib. III. c. 4. & 6.

Quod ſi hæc) Repetit ſuum principium, idque inſigni illuſtrat exemplo.

CAPUT XXII.

ATqui, ſi ſpeciem) Hac de re ita ſentit Grotius, quod quidquid alicui facere non licet, ad id eum impellere aut ſollicitare non liceat; ſemper enim, qui alteri peccandi cauſam det, peccare & ipſum: proinde nefas eſſe, ſubdito auctorem fieri, ut regem ſuum occidat, proditionem inſtituat. Aliud eſſe putat, ſi quis opera peccantis ſpontanea nec impulſa ad rem ſibi licitam utatur, quod tamen ſine cautione vix eſt ut admitti poſſit: ceu oſtendi ad Grotii lib. III. de I. B. P. cap. 1. §. 21. & 22. Addi etiam merentur, quæ ſcribit Alb. Gentilis de Iure bell. lib. II. cap. 6. Ipſius Pyrrhi de Fabricio hæc vox fertur: *Ille eſt Fabricius, qui difficilius ab honeſtate, quam ſol a ſuo curſu, averti poſſit.* A. Vict.

Qui numquam) Dignitatem hic pro ipſa honeſtate ponit, quod hanc ſemper iſta conſequatur, nec, ex Stoicorum ſententia, ullius alterius boni, præterquam Honeſti, ulla ſit ἀξία: unde corporis fortunæque dotes, ceu ſupra pluribus dictum fuit, ne quidem Boni nomine dignantur. Ceterum ipſam hanc ſententiam quod attinet, a Senatu Rom. utilitatem ab honeſtate numquam fuiſſe ſeparatam, eſt illa longe falſiſſima: & in his ipſis libris non ſemel oſtendit, quomodo majorem utilitatis, quam honeſtatis rationem habuerint. Imo mox hoc loco ſtomachatur, Piratarum eſſe meliorem fidem, quam Senatus. Vnicum ſolum ex Floro exemplum adferam lib. II. c. 2. ubi Punici primi belli prætextum diſerte ait fuiſſe, ut ſocios Romani juvarent, revera Siciliam fuiſſe quæſitam. Vnde illa Carneadi exciderunt: *Omnibus populis, qui florerent imperio, & Romanis quoque ipſis, qui totius orbis potirentur, ſi juſti velint eſſe, hoc eſt, ſi aliena reſtituant, ad caſas eſſe redeundum, & in neceſſitate ac miſeriis jacendum.* Lactantius l. V. c. 16.

Venenis) Quem interficere licet, eum gladio an veneno interimas nihil intereſt, jus naturæ quod attinet. At jure gentium jampridem nefas fuit, hoſtem veneno interficere; ne pericula in bellis, quæ crebra eſſe cœperunt, nimium intenderentur. Plura hanc in rem legi poterunt apud Grotium lib. III. de I. B. P. c. 4. n. 15. ſeqq. Et Alb. Gentilem l. II. de I. B. c. 6.

Si gloriæ cauſa) Vt bellum ſit licitum, neceſſe eſt cauſa nitatur bona: quæ ſi adfuerit, & recte illud

geratur, gloria comitabitur bonam causam, & illam virtutem, cujus beneficio bellum præcipue administratur. Non igitur ipsa gloria desiderata, aut imperii sperata amplificatio justum reddit aut saltem licitum per se bellum, sed maxime illicitum, si hæ cupiditates tibi causa & fines sint. Alias etiam imperium quandoque adquirere jure licet. Grotius III. de I. B. P. c. 15.

Non igitur) Exemplum adfert Vtilitatis existimatæ, seposita honestate. Sed profecto valde ambigua hæc est quæstio, an illud Sullæ factum ita ratum Senatus debuerit habere, ut sicuti Sulla obligatus erat civitatibus, quas accepta pecunia immunes fecerat, ita quoque Senatus P. Q. R. obligati iisdem essent. Hic primo illud videndum, an eadem fuerit civitas sub Sulla, & sub Senatu post Sullæ dominatum. Eadem vero aut diversa civitas censetur, si eadem regnandi forma, aut diversa administrata fuerit. Iam si illa tempora videamus, Sullæ dominatus tyrannicus fuisse videtur, sub Senatu autem rediisse Rempublicam ad statum liberum. Deinde vel Sulla pecuniam acceptam in ærarium Reip. intulit, vel in Reip. aut suam rem vertit. Si prius factum fuit, non dubito vel ad immunitatem relinquendam, vel ad pecuniam saltem reddendam, Senatum obstrictum fuisse: sin posterius, non apparet, quo jure obligatus fuerit. Verum hac de re consulendus est Aristoteles III. Polit. 2. ubi Piccartus, & Gifanius videantur. Boeclerus diss. de eo, quod Civitas egit. ICti ad l. 27. ff. de rebus credit.

Potest autem ulli imperio) Possunt hæc & ad Sullæ & ad Cæsaris tempora commode referri.

Ego etiam) Sane si Cato ita in vectigalibus cogendis nimius fuit, ut conjunctionem ordinum disturbaverit, ipsiusque Reip. saluti ille utilitatis respectus offecerit, recte ab eo Cicero dissensit: nec tam utile Catonis consilium quam inutile fuit. Crediderim tamen, Catonem modum voluisse rigidiorem pro suo ingenio sociis & potissimum publicanis statuere: quod uti non injustum, ita nec inutile potuit esse. Quia enim, uti ex nonnullis Ciceronis nostri Epistolis constat, publicanorum maxima & potentissima Romæ fuit societas, isque ordo in provinciis plurimum auctoritate & potentia valebat; accedebat, ut hisce rebus frequentissime ad suam avaritiam abuterentur. *Quantæ audaciæ, quantæ temeritatis sint publicanorum factiones, nemo est qui nesciat*, inquit Vlpianus l. 12. pr. Sed videatur integer titulus Dig. de publican. & vectigal. Plinius cum de pretioso succo Lasere in Cyrenaica provincia reperiri solito dixisset, ita pergit: *Multis jam annis in ea terra non invenitur; quoniam publicani, qui pascua conducunt, majus ita lucrum sentientes, depopulantur pecorum pabula*, lib. XIX. c. 3. De Publicanis vide l. 1. §. 1. l. 13. ff. de public. & l. 17. ff. de V. S.

Male etiam Curio) In deliberationibus certe hic præcipue spectatur finis, τὸ συμφέρον, & merito illorum consilia ac suffragia obtinent, quæ utilitati rectissime consulunt: id quod fieri nequit, si vel utilitatem vel consilia ea comminiscaris, quæ honestati & æquitati repugnent. Locum ex Aristotelis Rhetoricis huc etiam pertinentem jam citavi. Recte ne vero Curio judicaverit, an secus, ex facti singularibus, quæ hic reticentur, intelligi posset. Fr. Maturantius hæc refert ad causam civitatum, quæ data Sullæ pecunia, immunitatem redemerunt, & rursus vectigales esse jubebantur: de quibus paulo ante.

CAPVT XXIII.

PLenus est sextus) Post quæstiones morales dubias a se allatas, testatur Hecatonis librum sextum refertum fuisse ejus generis dubitationibus, quæ a recentioribus Casus conscientiæ appellantur, & Doctores decisiones illarum tradentes, Casuistæ. Plurima enim in vita occurrunt, ubi anceps hæreas, possis ne licite agere aliquid aut omittere, an aliquando honestatem non inhoneste vincere queat utilitas, aut hæc ista illæsa expeti.

Sit ne boni viri) Prima hæc est quæ-

quæstio, de qua quid senserit Hecato, post accuratam disquisitionem institutam, manifeste indicat Cicero, videlicet ex Hecatonis sententia non esse alendam familiam: cui Cicero refragari videtur, quando ait: Hecatonem tandem ita statuisse, utilitate magis quam humanitate officium esse dirigendum. Ego certe causam non video, cur ab Hecatonis sententia recedam. Supponitur enim esse annonæ caritatem maximam: deinde quæritur, an alenda tum sit familia, h. e. magnus servorum & ancillarum numerus, uti hæc vox sæpe etiam ICtis significat, qui idcirco Familiam in Vrbanam, & Rusticam dividunt. Etsi igitur obligatus sim, ut neminem patiar fame interire, si mea ope ac stipe sublevari possit; non tamen æque omnibus obligatus sum. Primo enim mihi debeo alimenta, deinde iis, qui pars mea sunt, conjugi, liberis, & necessariis. Servi item mea quidem pars sunt, sed non ita, ut isti. Si igitur mea alimenta his omnibus non sufficiunt, iis porrigenda sunt potissimum, quibus præ aliis Natura nos adstrinxit. Servi itaque, si fieri possit, mature cum viatico dimittantur, ut illa loca adire possint, ubi non est tanta annonæ flagellatio. Expendantur hic rationes SCti Planciani in Dig. de agnoscendis & alendis liberis, vel parentibus, vel patronis, vel libertis: &, cur eo Servi comprehensi non fuerint, facile simul intelligetur.

Quærit, si in mari) Hecato temporum suorum inhumanissimum morem inspicit. Nullum tamen dubium est, quin hic obtinere debeat humanitas, etiamsi vilissimi pretii sit mancipium. Etsi enim illi servi ita erant in dominio, ut vendi & quovis alio modo alienari possent, sintque pars sui domini, sic ut qua Servus est, nulla illi cum hero intercedat singularis amicitia, quatenus tamen homo & ipse est, herus illi communionem rerum & officia humanitatis omnino debet. Locum ex VIII. Nic. alias jam produxi. Inhumanissimi igitur ingenii fuit Asinius Pollio, qui servum murænis objecit, quod vas crystallinum confregisset imprudens: quam barbariem ita castigavit Augustus, ut omnem vasorum istorum supellectilem pretiosissimam obtriverit.

Si tabulam) Interest quidem Reip. magis, vivere Sapientem, quam stultum; nolit tamen propter perfectionem summam vitam suam alienæ vitæ jactura conservare. Etsi enim ille sit Sapiens, hic stultus, in hujus tamen vitam nullum jus iste consecutus videtur.

Quid dominus) Quarta hæc est quæstio, An dominus navis, nave per naufragium dissoluta, tabulam, cui innitatur aliquis ex iis, qui transfretandi fuerant, ita licite vindicare possit, ut eripiat illam huic suæ salutis causa. Negat hoc Cicero, ex natura locati conducti rationem petens. Etsi enim jus dominii in navem salvum sit nauclero, hactenus tamen usus illius ad omnes, quos vehit, pertinet, ut ad locum destinatum deveniant, multo magis, si naufragio soluta sit, ut quisque recte occupet tabulam, qua salvus forsan enatare possit, sic ut nauclerus sine injuria ei hanc eripere nequeat. Præterea neque tantum est dominii jus, ut ejus ratione ita liceat rem nostram vindicare, quo in extremum periculum adducatur is, qui rei nostræ non inique incumbit, etiam si ipsi de vita periclitemur. Ex verbis, *quia sua non sit*, veterum codicum auctoritate particula negans, *non* ejici potest.

Quid si in una) Quinta quæstio succedit, quam ut decidat Hecato, Sapientes duos primo constituit, quorum alter alterum superet virtute, tunc huic alterum cedere debere tabulam, ac hilari animo ad Neptuni regna descendere: deinde constituit duos æque Sapientes, hos debere sorte quasi aut micando sibi cedere. Ceterum nimis sunt in his arguti Stoici, nec ejusmodi deliberationem aut disputationem ille temporis articulus periculique momentum admittit. Et cum numquam ejusmodi Sapiens Stoicus inventus sit, qui eveniet, ut duo Sapientes naufragi eamdem arripiant tabulam? si tamen tale quid accidat, quod aliquam similitudinem cum proposita quæstione habeat, mihi nullum dubium est, quin quisque sui

sui potissimum rationem licite habere possit. Quod si argutias argutiis addere velimus, alter Sapientum etiam alterius molem haberet considerandam. Quid enim si tabula unum quidem ferre possit, non autem item alteram, propter gravius corporis pondus? Quid si unus natare sciat, alter nesciat?

Quid si pater) Hic proponuntur quæstiones de pietate patri & patriæ debita. Videtur autem Hecato distinguere ipsa patris in patriam delicta; vel enim illa solum sunt damnosa ei, vel sunt exitiosa. Vtrius generis sint, obsecrabit patrem filius, monebit, accusabit, hoc est, objurgabit, minabitur se illum delaturum. Si nihil his omnibus profecerit, putat in posterioribus delictis Reip. exitiosis licite posse filium denuntiare patris animum: non item in prioribus, quin defensurum etiam patrem. Ceterum hoc primum videtur esse manifesti juris, in tantis criminibus, qualia sunt sacrilegia & peculatus, filium ipsa Naturæ lege minime esse obligatum, ut patrem in manifesto delicto defendat. Deinde crediderim, ne licite quidem fieri id posse, quod, qui vitia defendat, participem se quodammodo facinoris reddat. Iam vero eo usque pietas liberorum in parentes non porrigitur, ut destruantur jura Naturæ, sed ut conserventur per officia debita licitaque. Sicuti vero filius, cum obstinatum patrem revocare ab incepto non possit, recte potest eum accusare, ut avertatur periculum imminens; nam omnes omnium caritates patria una complexa est, inquiebat supra lib. I. non tamen pari jure id faciet, vitato jam periculo, in facti pœnam. Grot. II. de I. B. P. c. 18. n. 4. in fin Facit huc egregia lex 35. ff. de relig. & sumt. fun. ubi ex Zasio memorat Dion. Gothofredus, tale quid olim duos nobiles de Falckenstein in suum parentem designasse.

Quærit etiam) Vera est hic Antipatri contra Diogenem Babylonium sententia, cui & meum cum Cicerone calculum adjiciam. Dolus enim alterius, quo ego deceptus sum, nullum mihi jus dat vicissim decipiendi alterum, & quidem in illa re, quæ ex instituto hominum uti originem, ita certum modum, & ex quantitate ac qualitate metalli certum pretium definitum accepit, quod certe si dolus alterius corruperit, eoque ipso ego circumventus sim, non tamen idem mihi eo nomine in alterum licet. Vel igitur id age, ut pro adulterinis genuinos nummos recuperes, aut, si id non licet, tuæ vel imperitiæ vel qualicumque infelicitati, aut sceleri alterius imputa, nullo capto consilio, alios item fallendi. Quomodo alioqui solutio sit facienda, mutata monetæ bonitate aut pretio, pluribus exposui ad Grot. II. de I. B. P. c. 12. n. 17.

Qui vinum fugiens) Lambinus testatur, omnes libros, quibus usus sit, pro *vinum* legere *venenum*, idemque Brissonium de antiquissimo suo MS. affirmare ait, venenum fugiens interpretantem, bonum & salutare venenum, seu pharmacum, cujus vis & virtus evanuerit. Sed retenta lectione vulgari, ut hanc quæstionem recte definias, quid sit vinum fugiens sciendum est: videlicet quod ætatem non fert, cujus vis & acrimonia paulatim flaccescit, & exspirat. Hoc vero vitium est rem vendendam penitus contingens, adeoque honeste reticeri a venditore vix potest, quamvis secundum leges civiles Rom. impune id facere possit, l. 1. pr. ff. de peric. & comm. rei vend. Cum enim venditio vini, aromatum, & similium rerum perfecta non censeatur, nisi gustatio præcesserit. l. 34. §. 5. ff. de contr. emt. l. 4. §. 1. ff. de peric. & com. rei vend. taliumque rerum emtores eruditum palatum habere soleant, sibi imputent, si præviam gustationem neglexerint, nisi fidem venditoris pro bonitate vini interpositam secuti fuerint: quod ipsum tamen temeritate non vacaret.

In mancipio) Hanc quæstionem etiam supra attigit. Si quis mancipium voluisset vendere, Ædilitium edictum vitia mancipii indicari volebat a venditore, sive corporis, sive animi: quod nisi fecisset, emtori circumvento actio redhibitoria dabatur, l. 1. §. 11. l. 2. 3. 4. & passim ff. de ædil. edict. Quædam vero

vitia,

vitia, quod ad effectum redhibitionis, erant excepta, sic ut, si indicata non fuissent, non tamen locus fieret redhibitioni, sed actione emti resarcirentur. Ita enim loquitur ICtus: *Ob quæ vitia negat redhibitionem esse, ex emto dat actionem*, l. 4. pr. ff. d. t. Talia sunt vitia, quæ recenset Cicero, *mendacem esse*, *aleatorem*, *furacem*, *ebriosum*, l. 4. §. 2. ff. de ædil. ed. Non igitur sequitur, uti colligere videtur Cicero: Hæc vitia si non indicentur, ædilitium edictum non succurrit emtori, quod ad effectum redhibitionis, itaque omnino necessum non est, illa indicari. Ideo enim hoc casu actio emti locum habet, quod contra bonam fidem hujus contractus sit, si talia vitia dissimulentur, etiamsi hoc casu actio redhibitoria denegetur. Itaque Antipatri, & Ciceronis judicium verum, Diogenis falsum fuit. Quod autem furti vitium attinet, videntur obstare Ciceroni l. 31. §. 1. & l. 52. ff. eod. Sed si attente sensum videas, venditor, hoc vitio dissimulato, non tenetur ex edicto ad redhibitionem, sed ex suo promisso seu dicto. Videantur verba ICti l. 52. d. t. & l. 19. § 1. ff. eod. Itaque, cum effectus redhibitionis ex ædilitio edicto locum non habeat ratione furti; etiam hanc ob causam magis mihi suspecta, & ab aliena manu profecta videntur verba cap. 17. sub finem supra notata, & mea sententia ceu spuria omnino expungenda. Cur vero Ædilitium edictum redhibitionem propter hæc vitia denegaverit, præter modum timidos autem, cupidos, avaros, iracundos, & alios complectatur, l. 1. §. 11. & legg. seqq. ff. eod. fortassis hanc habet rationem, quod hæc vitia altius animis insideant, mancipia ideo minus sint idonea ministerio, & difficilius corrigantur. Hac qui non contentus est, adeat l. 20. ff. de legg.

Si quis aurum) Perspicuum ex superioribus esse ait, quid sibi videatur, videlicet, indicandum hoc venditori ab emtore bono viro esse, quod minoris suum vendiderit. Recte. Nam licet hic contractus sit συναλλαγμα tale, in quod ultro citroque, seu utrimque sponte consentiant; simplicitas tamen ejusmodi nemini debet esse fraudi: absque hac enim si fuisset, venditor in tam vile pretium non consensisset. Boni itaque viri est, ut nolit cum gravi alterius jactura locupletari. Atque idcirco hanc Iuris naturalis regulam ICtus pro fundamento substernit Condictioni indebiti. l. 14. ff. de condict. indeb. *Et omnia, quæ contra bonam fidem fiunt, veniunt in emti actionem*; inquit alius l. 1. §. 1. ff. de act. emt. Quod universale pronuntiatum non solum venditorem, sed emtorem concernit. Imo ejusmodi error circa materiam seu substantiam si interveniat, contractum illum penitus nullum reddit, ex sententia Vlpiani l. 9. §. 2. & l. 14. ff. de contrah. emt.

CAPVT XXIV.

Pacta & promissa) Vno verbo responsio ad hanc Quæstionem expediri nequit, quod multis modis pacta & promissa variare possint. Videatur hac de re non minus erudite, quam prolixe disputans summus vir Grotius II. de I. B. P. c. 11. De formula illa Prætoria vid. tit. ff. Quod met. causa, & de Dol. mal. Add. Brisson. de formulis. Confer lib. I. c. 10.

Si quis medicamentum) Recte sentit Cicero, non solum quod magna sit stipulantis inhumanitas; sed quod tali casu promissor nexu suo liberari videatur, utpote contra bonos mores exacta promissione. His enim utique adversatur, nolle alterius salutem conservare, cum possis & debeas. Præterea promissio, ut ait Grotius d. c. § 8. vim accipit ex jure promittentis, nec ultra eam extendi potest. Iam vero non est in potestate promissoris, se nolle rationem & curam habere salutis, eamque sibi exploratam usu.

Quid si quis) Succedit nova quædam Stoicorum ακριβεια. Nec enim sub tali conditione ullum testatorem heredem instituturum quempiam esse mihi persuaserim. Redit vero hic supra etiam allata distinctio inter illa, quæ Natura, & quæ Opinione hominum Turpia, aut Honesta sunt. Saltare in foro opinione turpe est: a quibus actionibus sane vir gravis & sapiens etiam abstinebit. Etsi enim vel maxi-

maxime operam dabit, ut fugiat natura turpia, non tamen opinione turpia putabit se decere; sic enim in extremum contemtum omnis illius σοφια incidet, quem sane pluris æstimare debet, ut talia fugiat, quam facere, ut hereditatem adire & aliquid lucrifacere possit. Ceterum hoc tali restrictione etiam emendat, posse sapientem ea conditione hereditatem cernere, si eo id fiat consilio, ut pecuniam in necessarium Reip. usum conferat. Hujus enim rei honestas, quæ proprie talis est, saltationem illam in foro a turpitudine illa opinabili purgat. Hoc igitur loco idem Cicero asserit, quod nos supra, posse certis circumstantiis magnam aliquam utilitatem præferri alicui honesto; quamvis ille de Honesto hic improprie dicto loquatur, inter quod & proprie dictum vix videtur discrimen ille agnovisse.

Honestius mentietur) Non hinc illud colligendum est, posse aliquod mendacium esse honestum; sed Sapientem honestius facturum, si fidem promissis non præstet, quam si id faciens in turpitudinem incidat talem, qualis est in foro saltare. Quod ipsum tanto facilius a promissiore fieri poterit, quod talium promissorum, quibus vel verum Honestum, vel moribus & consuetudine tale læditur, nulla sit obligatio. l. 6. C. de pact.

CAPVT XXV.

AC *ne illa quidem*) Hæ quæstiones ex parte jam Lib. I. c. 10. tractatæ sunt. Non valent promissa facti per se illiciti. Nocere alteri, est per se illicitum: itaque talia promissa tantum abest ut sint servanda, ut nullam prorsus necessitatem ex obligatione tale quid præstandi consequantur. Quomodo autem Cicero Apollinem, Neptunum, & Dianam, Deos suos, ab injuria absolvet? Fabulas esse pronuntiat. Illud vero Agamemnonis promissum non fuit simplex, sed voto ac juramento aliquo sancitum. Etsi autem hujus maxima sit religio, ut verissimum sit illud Isocratis, εμμενειν τοις ὁρκοις δει, ὡσπερ αναγκαις, *inhærere juramentis oportet, veluti necessitatibus*; nullas tamen vires habebit jurata promissio de re aut naturaliter, aut divina interdictione, aut etiam humana, illicita. Addit enim culpam culpæ, qui talibus juramentis insistit, juramento non recte facto, & quo abstinere satius fuerat, actum injustum adjiciens. Non magis igitur Agamemnon obligatus erat ad Iphigeniam immolandam, quam David, qui Nabali pepercit, quem se occisurum juraverat. Vid. Grotius II. de I. B. P. cap. 13. n. 6. Confer lib. I. c. 10.

Ergo & promissa) Agnoscit hic Cicero inconstantiam ac varietatem materiæ Philosophiæ practicæ, de qua toties protestatur Aristoteles. Hanc enim causam esse ait, cur in hac scientia non possint adferri demonstrationes perpetuo, omni tempore, loco & casu veræ, veluti mathematicæ: ipsa enim principia hujus scientiæ, seu summa juris naturæ præcepta, ex quibus demonstratio deducenda sit, maximam partem ejus esse conditionis, ut sint plerumque veræ, non ubique aut semper: esseque illa principia seu Leges naturæ propositiones contingentes ut plurimum, hoc est, quarum prædicatum natura magis propendeat ad inesse subjecto, quam non inesse; etiamsi nonnunquam aliter eveniat, idque fere propter aliud quoddam Naturæ præceptum, ob singulares quasdam circumstantias intercedens suamque auctoritatem interponens. Atque hujus generis propositiones sunt: Promissa sunt servanda, Depositum est reddendum. A priori vero Agamemnonem revocare debuisset lex Naturæ, quæ homicidia & ανθρωποθυσιαν, *hominum immolationem*, vetat. A posteriori eadem lex nos abstrahit, ne homicidium instrumento lædendi subministrato, ullove alio pacto adjuvemus. Ita quoque proditori deposita pecunia non est reddenda, si illa in patriæ perniciem sit abusurus, ne item tantum scelus adjuves, cujus impietatem Lex naturæ damnat. Bene igitur concludit. *Sic multa, quæ natura honesta videntur esse, temporibus* (εν τῳ καιρῳ, quem plurima circumstant, τα καθ' ἑκαςα Aristoteli dicta) *fiunt non honesta*. Atque hæc sunt Stoicorum illa καθηκοντα περιςατικα: de quibus supra ad l. 1. dictum quoque fuit. Ceterum quomodo sit

sit æstimatio facienda, & a quo, sint ne promissa utilia, an inutilia ei, cui illa facta sint, egregie docet Grotius II. de I. B. P. c. 16. n. 27.

Commutata utilitate) Utilitas hic omnino ea intelligenda est, quam eo tempore, loco, aliave circumstantia ipsa commendat, vel saltem non improbet Honestas. Confer. lib. I. c. 10.

Sed quoniam) Monet me hic locus, ut aliquid de Ciceronis in his libris methodo dicam. Præcepta enim quod attinet, paucissimis exceptis, sunt illa aurea. Deprehendere vero est, Ciceronem sæpe eadem bis terve repetere, non solum verba, sed & quæstiones, & sententias, in his tamen posterioribus quasi sui oblitum variare. Nam quæ supersunt hoc Libro tertio, maximam partem excussa jam sunt Libro I. nisi quod pluribus forsan exemplis hic eadem Officiorum præcepta illustret. De Regulo item in multis Codicibus Lib. I. prolixe legitur historia, Cicerone auctore, an librariorum culpa, haud facile dixerim. Hic quidem protinus hujus repetitionis aliquam causam vult proferre, inquiens, Libro I. se dixisse de honestatis fontibus, hic se declaraturum, quo pacto quæ speciem utilitatis mentiuntur, virtutibus illis, ex quibus fontes veræ honestatis isto libro deduxerat, adversentur. Atque hac causa inductum crediderim eruditissimum atque eloquentissimum virum, Cœlium Calcagninum, ut in hunc modum in suis ad Officiorum libros Disquisitionibus scriberet cap. 22. *Soleo ego apud familiares meos, qui mecum incredibili amore atque admiratione Ciceronis tenentur, persæpe testari, non aliud mihi volumen videri negligentius a Cicerone conscriptum, quam hoc de Officiis, ut propemodum aliud agens hoc egisse videatur. Quod ego inde profectum arbitror, quod eo tempore Ciceronis animus, sublato C. Cæsare e rebus humanis, variis curarum fluctibus agitaretur: atque hinc Octavio, qui deinde Augustus appellatus est, studeret, inde Antonium acerrime oppugnaret, neutri satis fideret. Quare mihi videor animadvertere, hæc a Cicerone in summis animi avocationibus literis mandata. Nisi enim hoc foret, qui fieri potest, ut tam divinum ingenium, tanta eloquentia illustre, tot disciplinarum præsidiis munitum, tam oscitanter multa effuderit?* Hæc uti omnino non probo; iniquior enim sæpe in Ciceronem hic censor est, ac non raro nodum in scirpo, aut quod pueri in faba, quærit: ita magnam partem comprobo, cumprimis methodum si videam, ac præcepta vel toties iterata, vel disjecta; sed, uti dixi, hoc forsan non omne auctori, sed librariis saltem aliquam partem tribuendum est, a quibus vel millies aurei hi libelli descripti, ipsaque illa frequentia describendi facile corrupti fuerint. Ipse alioqui Calcagninus quam magnifice de Cicerone sentiat, testis est illa ad Erasm. Roterod. epistola lib. XII. ex qua pauca hæc transcribere liceat: *Tuum ego judicium eo in libello* (de Erasmi Ciceroniano loquitur) *valde probo: nullum scilicet post Ciceronem omnes eloquentiæ numeros implevisse. Aliis verborum delectum, aliis gravitatem, aliis suavitatem, alia aliis defuisse: certe in omnibus ordinem ac numerum desiderari. Sunt enim hæc duo inter ea, quæ apud Ciceronem μωμήσεταί τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται.* Sed de Calcagnino, & quomodo ejus censura acriori alia excepta fuerit, initio Operis diximus. Redeamus jam in viam. Cicero hoc libro sibi proposuerat dicere de contentione ac pugna, quæ sæpe videtur oriri inter Utile, & Honestum. Cum vero Libro I. quatuor Honestatis fontes aperuisset, Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, ac Temperantiam; his jam dicit, se ostendisse, inter illud Honestum, quod a Prudentia & Iustitia proficiscitur, & inter revera Utile, nullam esse pugnam: superesse duos reliquos fontes honestatis, in quibus idem patefaciat. Quia enim Iustitia dirigit contractus, hinc tam prolixe de iis egit: & quia omnis dolus ab his abesse debet, omnisque malitia, Prudentia quoque adhibenda est, quæ malitiam ac technas deprehendere, ac verum utile a falso dijudicare, & ubique Honestum sectari & conservare sciat.

CAPUT XXVI.

Utile videbatur Ulyssi) Sequuntur jam quæstiones ad Fortitudinem pertinentes, quomodo in iis Utile cum Hone-

Honesto conveniat, nec ne. Quæritur hic an Vtile fuerit Vlyssi subterfugere militiam, & otiose domi desidere, paceque cum suis frui? Negat Cicero, quod honestum non sit, Regem detrectare bellum, idque justum, necessarium, & cui sacramentum cum aliis Græciæ principibus jam dederat, idque insigni prudentia & ope adjuvare poterat. Hæc enim & alia similia supponenda sunt, ut nihil principem aut privatum absterrere videantur, quam labores & pericula belli, quæ expavescant. Timiditas vero & ignavia turpe vitium est. Si autem talia non supponas, inhonestum profecto & inutile fuerit, delectari bellis, & movere illud inique, nulla necessitate impellente, & magis latrocinari ac rapere, quam verum bellum gerere. Vtinam non nimis essent hodie faciles ad ejusmodi bella plane illicita & non necessaria homines! Ergone, inquies, qui duci alicui militare cupiunt aut subditi sunt, debent ante de justitia belli ejusque causa deliberare, ut sciant, an honeste pericula adituri hostemque aggressuri sint? Eo quidem animo & conscientia tam tenera arma neminem fere hodie capere sat scio, de eo tamen quid fieri debeat, consule quæso Grotium l.II. de I.B.P. c.26. Homerus cur hujus rei non meminerit, causas inquisivit P. Victorius Var. lect. lib. VII. c. 19.

Fide sacratum jus) Fide pro fidei, ἀρχαϊκῶς. Significat autem per Fidei sacratum, hoc est, sacrum jus, religionem jurisjurandi.

CAPVT XXVII.

SEd *dimittamus fabulas*) Affinxisse Poetas hoc Vlyssi vult. Nam alias non existimavero, Ciceronem quoque omnem de bello Trojano narrationem Homericam, uti a recentioribus quibusdam fit scriptoribus, pro fabula habuisse. Notus quoque est ille Dionis Chrysostomi Commentarius, Ἴλιον μὴ ἁλῶναι, *Ilium non esse captum*.

M. Attilius Regulus) Insigne jam fortitudinis ac magnanimitatis exemplum, quod lib. I. c. 13. attigerat, ex sua depromit Rep. fecitque omnino Regulus, quod bonum civem, & bonum virum decuit; quod quid utile esset Reip. non dissimulaverit, & juramento sancte inhæserit. Crediderim autem, admodum esse dubium, an recte etiam fecerit Senatus Rom. Etiamsi enim Regulus senex fuerit, nonne ipsius merita, ipsius sanctitas, fides ac virtus tanti debuit fieri, quanti paucorum nobilium captivorum liberatio? Deinde, numquid hoc utile est Reip. duces egregie meritos nolle plurium etiam, quorum tamen virtus istius virtutem vix exæquare possit, imo si hoc possit, aut etiam superet, relaxatione redimere? Non puto. Quis enim libenter ejusmodi Reip. militabit? Sed, inquis, mortem præoptabit dux captivus, exemplo Reguli, quam ut aliquid incommodi patiatur Respublica? Respondeo, aliud esse in captivitate & vinculis, aliud in acie mortem oppetere. Audi quid dicat Aristoteles III. Nicom. 9. §. 8. 9. 10. fortem virum, quo virtute sit præstantior, eo molestius subire mortem, imo vita illum dignissimum esse. Deinde si reddidissent captivos nobiles Romani, & magnanimum illum suum civem, quem postea Principem Reip. appellat, recepissent, quæso, quid damni passi fuissent? aut, si quid hinc incommodi tulissent, numquid eo nomine redemtio Reguli fuisset actio inhonesta & illicita? Ego vero arbitror Regulum de Senatu & Rep. optime, Rempub. & Senatum de Regulo pessime fuisse meritum. *Romani stulti & inhumani, qui tantum virum ad eum modum perniciosissime insanire, ad hostes redire crudelissimos permiserunt*; Verba sunt Alb. Gentilis, qui hic legi meretur lib. II. de I. B. cap. 11.

Quamdiu jurejurando) En viri sanctitatem! Ius enim postliminii non habebat, quod juramento se Carthaginiensibus obstrinxerat. Eo vero destitutus captivus, licet ad suos reversus esset, non tamen erat civis, multo minus Senator. Atque ita olim scripsit ICtus Pomponius ad Q. Mucium l. 3. §. 3. ff. de captiv. & postlim. reversl. *Et ideo*, inquit, *in Atilio Regulo, quem Carthaginienses Romam miserant, responsum est, non esse eum postliminio reversum; quia juraverat Carthaginem reversurum, & non habuerat animum Romæ remanendi*. Sic & de decem captivis, ut quidem ex antiquis cri-S

Scriptoribus rem narrat Gellius l. VII. c. 18. *Octo postliminium justum non esse sibi responderunt, quoniam dejurio vincti forent*: hoc est, capitis minores, ut Horatius de Regulo loquitur.

Exquisita supplicia) Eadem vero etiam passi sunt captivi Pœni nobiles. Vide quæ ex Tuberonis, & Tuditani historiis refert Gellius VI. Noct. Att. c. 4. De temperamento, quo alias uti debeat victor in captos, agit Grotius l. III. de I. B. P. c. 14.

At stulte) Objectionem, ejusque resolutionem adfert. Mores plerorumque hominum si videas, stoliditatis Regulum insimularent. Sed ille heroica animi magnitudine prætulit suæ calamitati patriæ gloriam, existimationem, & utilitatem. Fecit igitur, quod boni viri & boni civis fuit: interim Senatus tantæ æquitatis ac integritatis majorem rationem habere debuisset. Etsi enim utile hactenus videbatur esse Reip. ne nobiles Pœni captivi dimitterentur, ea tamen conditione, ut optimum virum ac imperatorem tantis cruciatibus exponerent, Reip. non fuit utile; interest enim Reip. ut bene de salute publica meritis civibus referatur gratia. Si tamen illa vera sunt, quæ Gellius memorat d. c. Regulo venenum esse datum a Pœnis, & ab eo liberari non potuisse, aliquo modo Senatus excusari poterit.

Potest ne) Si civis, qua talis, consideretur, membrum scilicet Reip. non potest ipsi quidquam revera utile esse, nisi idem sit utile Reip. Est enim Civis pars sui totius. Quomodo igitur parti, qua tali, utile aliquid sit, si idem inutile & dedecori sit toti suo? Hinc, si Aristoteli credimus, nemo sibi recte consulere suisque rebus prospicere potest, nisi etiam prudentia œconomica & civili sit præditus, omnemque suarum rerum curam cum fine familiæ, & potissimum civilis societatis conjungat, & eo omnia præcipue referat. VI. Nic. 8. §. 15. Confer. lib. III. c. 6. pr. & c. 12.

CAPUT XXVIII.

Pervertunt) Ex superioribus abunde patet, quomodo hæc vera sint, nec ne.

Quid est igitur) Exaggeraturus vim & religionem juramenti, objectionem denuo adfert. Primo quidem Epicurei cum Lucretio ex ejus lib. I. ita dicent:

Omnis enim per se divum natura necesse est
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus, sejunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira, &c.

Deinde si Stoicus sit, & quidem Providentiam divinam statuat, quia tamen ex illorum hypothesi omnes affectus mali sunt & eradicandi, Iupiter sine dubio sine felle & ira erit, & tam excellenter bonus, ut nemini sit nociturus. Iam igitur etiamsi se obnoxium reddiderit Dei ultioni, præstito juramento, Regulus, frustra tamen illam expavit, quandoquidem sine bile sit Iupiter. Et quamvis Iupiter hanc injuriam perfidiæ ulturus fuisset, potuisset ne gravius supplicium infligere Regulo, quam ipse elegit?

An ne turpiter) Vrget objectiones. Notum est illud principium, ut si electio nobis non semper sit libera relicta, ex malis minimum capiamus. Si itaque aliquis ex numero τῶν πολλῶν hinc perjurii turpitudinem, atque isthinc cruciatus illos poneret, ea judicii lance absque dubio libraret, ut hoc malum majus, istud minus pronuntiet; adeoque ex horum judicio vehementer Regulus errasset. De illo adagio: *Minima de malis*, supra pluribus dictum fuit.

Deinde illud etiam) Instat porro, hominibus infidis non esse servandam fidem, imo cum effectu vix dari posse. Iam vero Carthaginienses quam sublestæ fidei fuerint, affatim comprobat, in adagium translata, *Punica fides*. Quæ præterea circa hoc Accianum monuerit Grotius, legi merentur II. de Iure Belli, & Pacis cap. 13. num. 16. & III. de Iure Belli, & Pacis cap. 19. n. 13.

Luculente tamen dicitur) Hoc est, admo-

modum speciose. Plausibilis oratio alibi nostro Auctori ea dicitur.

Addunt etiam) Nova instantia, non esse honestum conservare juramentum ab hoste extortum, sed videri solum nonnullis honestum, nec minus inani honestatis specie Regulum fuisse deceptum, quam falsa utilitatis specie alii circumveniri solent. Sed de Reguli facto consulenda est historia, quæ non uno illam narrat modo; & quæ Alb. Gentilis loco supra citato de eo scripsit adjungenda sunt.

Addunt etiam quidquid) Vltimum hoc est telum, quod in Regulum torquetur, admodum utile fieri honestum, etiamsi tale aliis non appareat.

Hæc fere) Hasce objectiones jam refutabit. Concedit autem primo argumento aliquid, videlicet Deum non irasci, uti hominem, nec ira impulsum nocere, sed lædi fidem & justitiam perjurio. Iræ enim nomine perturbationem eum intelligere, Stoicorum more, existimo; atque sic tolerari hæc possunt: sin qualemcumque nocendi affectum aut voluntatem intellexisset, minime hæc recipienda essent: ut recte probat Lactantius de Ira Dei, & Grotius II. de I. B. P. c. 13. n. 1.

CAPVT XXIX.

EST *enim jusjurandum*) De hoc omni argumento legendus est Grotius II. de I. B. P. c. 13. ad quod etiam nos multa commentati. Hanc Iuramenti descriptionem ibi condidimus: Iuramentum est appellatio Numinis divini religiosa, in supplementum forte fidei dubiæ, aut securitatis gratia præstita, quæ sancte & religiose facta illud habeat propitium, impie aut temere facta, iratum. Adde nostrarum Instit. Iurisp. lib. I. tit. 14. aph. ult.

At enim ne iratus) Responsurus alteri argumento, non male quidem hoc primum, præter τὸ *Dolere* aliud esse etiam malum, inquit; tam fœdam enim esse turpitudinis ipsius maculam, ut quovis supplicio gravior haberi debeat. Deinde & hoc satis commode dictum est, Dolorem non esse summum malum, licet summum malum non sit sine dolore: quemadmodum summum Bonum non est quidem voluptas, sine hac tamen non est. X. Nicom. capp. priorib. Quod denique addit, Dolorem penitus malum non esse, frigidum est, etsi ex intimis Stoæ penetralibus petitum sit. Nam quod Regulum ipsum hujus rei testem proponit, nihil est, suisque idipsum fere destruit verbis. Regulus enim deliberato rediit ad cruciatus sustinendos, non quod nullum in iis malum esse crederet, sed retinendi officii causa, seu ipsius honestatis amore, ut fidem juratam servaret.

Nam quod ajunt) Recte tertium argumentum hic refellit; nec enim isti rectam dijudicationem aut collationem malorum facere norunt. Sicuti enim bona animi præstant omnibus aliis bonis humanis: ita mala animi sunt omnium maxima. Quod enim optimo contrarium, pessimum est, inquit Aristot. VIII Nic. 10. §. 9. Minima igitur de malis, puta detrimentosis; uti Cicero ipse accurate de hujusmodi malis hoc proverbium vult accipi, lib. I. c. 10. At ex pluribus moraliter malis ac turpibus nullum est deligendum, aut perpetrandum: ceu supra pluribus ex plicatum fuit.

Itaque nervosius) Epicureorum voluptatibus omnia aut maxima quæque tribuentium: hanc sententiam dicit etiam convinci Stoicorum, & Peripateticorum rationibus. Isti enim solum Turpe dicunt esse malum; quamvis hoc falsum sit. Hi dicunt Turpe esse summum malum, quemadmodum in Honesto summum bonum: quibus sane alia mala bonaque accidere queunt. Et hæc sententia verissima est.

Nam illud quidem) Aggreditur jam quartum, ad quod bene quidem, sed non plene respondet; distinctione enim opus est. Habebit enim locum illud Accii, si jurata promissio aperte respectum habuerit alterius promissionis, quæ ei quasi conditio fuerit implicata. Exemplum ejus rei videre licet in l. 5. ff. de l. commissor. Atque in eamdem sententiam Regi Francorum rescripsit Gregorius III. c. pervenit. X. de jurejur. Si autem diversi generis sint promissa, & ci-

& citra respectum mutuum, omnino servandum cuique erit, quod ipse juravit. Imo Regulus simplex plane juramentum hostibus præstitit, qui ipsi nullo modo vicissim erant ea fide obligati. Et quod caput rei est, juramentum ita concipitur, ut hominum quidem gratia, sed ad Deum præcipue verba concepta referantur. Grotius II. de I. B. P. c. 13. n. 16.

Est autem) Etiamsi bellum geramus cum aliis, non tamen omne idcirco jus nobis cum illis est sublatum, omnisque fides, sic ut maxime illa, quæ juramento illigata est, quoque exspiraverit. Sed hac de re videatur Grotius III. de I. B. P. cap. 19. ubi de fide inter hostes agit.

Quod enim ita) Iuramentum debet ad mentem & sensum illius præstari, qui illud defert, & quicum juranti negotium est. Nam dictis ipsis testem adhibens Deum, debet dicta facere vera, quomodo putat a deferente illa intelligi. Apud Hincmarum in opusculo de divortio Lotharii, & Tethbergæ ad interrogationem VI. in hanc sententiam de Deo recte dicitur:

Qui non, ut juras, sed ut is jurasse putavit,

Cui juras, audit: sic es utrique reus.

Hoc igitur Officii præcepto evertitur diabolicum illud Iesuitarum commentum de Methodo dirigendæ intentionis, quod optimo consilio detexerunt Epistolæ provinciales Lud. Montaltii. Atque isti Methodo geminum est de Restrictione mentali delirium. Si tamen illis Cicero haud satisfecerit, adeant Concilium Trosbianum Tom. 3. Concilior. edit. Sirmondianæ. Nimis enim, scio, superbi sunt, ut a Grotio, ad quem eos etiam remittere possem, meliora doceantur: quem tamen, qui volet, adeat II. de I. B. P. c. 13. n. 3. & ibi adnot.

Quod aliter) Si juraveris alicui, sed non ad mentem ejus, tum si id non feceris, quod tu quidem tuo sensu jurasti, perjurium non est. Omnis enim præstatio ex juramento debita debet esse consentanea menti deferentis, quam si hic obscurius indicaverit, sibi hoc imputet. Quod si vero malitiose nolueris illius mentem admittere, & deferentem seu exigentem juramentum præter ejus intentionem callide circumvenire, aut deludere, verbis aliena notione prolatis, utique perjurium est. Grotius ibid. exemplum suggerit Meurs. lib. IV. Hist. Dan. p. 75.

Ut si prædonibus) Quæ hic de prædonibus & piratis tradit, ac si iis jurata promissa non sint servanda, a veritate sunt aliena. Non enim solum his juratur, sed & Deo, qui ad pariendam obligationem sufficit. Neque hic illud discrimen locum invenit inter perduellem, & communem omnium hostem. Etsi enim personæ seu hominis jus deficiat, forte ex jure gentium, quo ab hoste distinguitur prædo & pirata; insuper tibi cum Deo negotium est. Atque in his quoque locum habet illud Plutarchi in Lysandro: *Qui juramento hostem circumvenit, is ostendit a se hostem metui, Deum contemni*. Addatur Grotius II. de I. B. P. c. 13. n. 15. & Alb. Gentilis lib. II. de I. B. c. 3. sub fin. Quod si cum piratis, vel prædonibus, qua talibus, pacta sint inita, etiamsi jurejurando non sint firmata, non tamen semper obligatione destituuntur. Grotius III. de I. B. P. c. 19. n. 2. & 3. Confer h. l. c. 11. in fine.

Perduellium) Confer lib. I. c. 12.

Sed quod ex animi tui) Vide hæc declarantem Grotium lib. I. de I. B. P. c. 13. n. 3.

Scite enim) Putat distinctionem a se factam inter Pejerare & Falsum jurare comprobari posse Euripidis testimonio. Est sane inter hæc aliquod discrimen. Si enim aliquis non ex sententia deferentis juret, sine ullo suo dolo aut culpa, is sane falsum jurat; non enim ipsius mens cum mente deferentis convenit: sed sane non pejerat. Ubi vero liquida & manifesta est exigentis sententia, liquido etiam jurandum est, sic ut non dare liceat sine mente sonum. Si itaque nulla sit conjectura, quæ ducat alio, verba intelligenda sunt ex proprietate, non tam Grammatica, quæ est ex origine, quam populari, ex usu, *Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi*. Grotius d. c. n. 2. seqq.

Regulus vero non debuit) Non igitur, ut quidam existimant, gloriose tan-

tantum fecit Regulus, sed & quod debuit, seu, ad quod obligatus fuit. Nec obstat illud Lyrici de eodem: *Atqui sciebat, quæ sibi barbarus Tortor pararet*. Nam & hoc fieri posse jam sciebat, cum jurato promitteret. Ratio igitur a Cicerone allata alienior est, quod non latrones aut piratæ, sed legitimi hostes essent Carthaginienses; qua de re modo dictum est.

Cum justo & legitimo) Puta, jus gentium quod attinet. Vid. omnino Grotius III. de Iure Belli & Pacis cap. 3. n. 1. Confer lib. I. c.12.

Adversus quem) De Iure feciali, aliisque juribus, quæ nobis intercedunt cum hostibus, toto illo incomparabili Opere agit Hugo Grotius de Iure Belli & Pacis, cumprimis Libro III.

Quod ni ita) Deditio talis subditorum fit, si forsan contra pacta deliquerint, hostile quid tentaverint, aut cum hostibus depecti fuerint. Hinc nonnumquam ipsi imperatores & Consules fuerunt hostibus dediti, sponsionibus eorum forsan a Senatu improbatis: quales erant initæ ad Furcas Caudinas a Veturio, & Postumio, aliisque qui a Cicerone hic memorantur. Nam non idem esse sponsionem, pactionem, & fœdus, cum ex hoc Ciceronis textu, & Livio easdem historias narrante, tum ex eo intelligi licet, quod fœdus pactione, pactio sponsione firmior ac stabilior fuit. Legi hîc meretur Grotius II. de Iure Belli & Pacis c. 15. toto: & speciatim n. 16. Nec non Car. Sigonius l. I. de Ant. Iur. Ital. c. 1.

CAPVT XXX.

Q. *Pompeius*) Hic paulo ante cum iisdem Numantinis æque infame fœdus pepigerat. Esto jam C. Mancinum honestius egisse, qui lege accepta, se dedi passus est. Quæritur autem, an Q. Pompeius licite deprecari deditionis legem potuerit, sic ut nihil contra Honestatem commiserit. Hoc vero ex historica facti narratione optime constabit. Cicero sane II. de Finib. acerbis verbis illum incessit: *Non de improbo, sed callide improbo quærimus: qualis Q. Pompeius in fœdere Numantino inficiando fuit.*

At non debuit) Ανθυποφορα, ad superiores objectiones pertinens. Excipiat enim quis, alia esse pacta jurata spontanea, in quæ ultro consentimus, alia violenta esse: istis nos obligari, his non item. Huic exceptioni stoice prorsus, hoc est, inepte respondet, negans viro forti vim fieri posse. Hæc enim natio suum sapientem facit ακωλυτον, ανεκβιαςον, απαραποδιςον. Veras rationes jam supra protuli, vi, ac religione juramenti explicata. Ostendi item supra, quæ vi aut metu extorta sunt promissa, naturaliter obligare. Quid enim alias opus fuisset restitutione in integrum a Prætore in Edicto exhibita? Præterea poterit vis, metusque non injustus incuti, atque sic expressa pacta vel promissa tanto magis sunt servanda. Grot. II. de Iure Belli & Pacis c. 11. n. 7. & alibi.

Cur igitur) Instant adversarii, quorsum referenda sit actio Reguli, ad Honestum an Turpe, ad Vtile an Inutile, fuerit ne prudentiæ an stoliditatis? vel enim non suscipiendum ab eo fuisse hoc negotium, vel certe ipsum dissuadendi auctorem non debuisse esse. Sane si eo id animo fecisset, ut fragile falsæ gloriæ choragium sibi compararet, uti A. ad Herennium loquitur, improbari hæc actio posset. Sed videtur hoc omne heroicæ illius magnanimitati esse tribuendum; quod illo ævo ambitio & avaritia mores nondum ita infecerant. Proficiscendi multæ potuerunt esse causæ. Primo enim ipsi hostes ita decreverunt, ut ex captivis aliquis mitteretur: deinde ut præsens magis Senatum confirmaret in eo, quod Reip. utile visum fuisset: denique ut valediceret suis. Quod dissuaserit, non factum est auctoritate aliqua publica; non enim Senator aut civis tunc erat: sed privatim exposuit, quid Reip. maxime sibi videretur conducere. Sententiam dixit Senatus, non ille suum punctum contulit, quod postliminio non erat reversus, l. 5. §. 3. ff. de Captiv. & Postlim.

Nam quod ajunt) Novum jam argumentum ante objectum stoice & satis frigide refellere studet. Vrget enim ille semper Vtilitatis, & Honestatis αντικολληγειν, de qua quid sentiendum

dum sit, toties jam dictum est. Sane quod illi dicunt, quod valde utile sit, id fieri honestum, non ita absurdum est, uti Cicero putat, si in thesi, non in hypothesi consideres. Si enim dura multa suscipiantur propter magnam utilitatem, quæ hac semota non alias susciperes, fiunt honesta, hoc est licite possunt peragi; ut nemo tibi opprobrium eo nomine merito faciat. Quod si vero hoc de Regulo usurpet, ut si ille salutis gratia pejerasset, falsissimum hoc est; nec enim, quod sua natura turpe est, ulla utilitate, quantacumque ea fuerit, honestum fieri potest.

CAPUT XXXI.

Itaque ista laus) Ita libro II. cap. 22. pr. de Africano: *Quidni laudetur? sed in illo alia majora: laus enim abstinentiæ non hominis est solum, sed etiam temporum illorum.*

Nullum enim vinculum) Optime. Atque hinc gravis pœna perjuris imminere numquam non credita; ita ut posteritas etiam majorum sæpe delicta lueret. Et quamvis variæ legibus civilibus pœnæ iis sint determinatæ; Deus tamen, cui apprime juramentum præstatur, suæ iræ ac ultionis causam semper habet integram. Grotius d. c. 13. §. 1.

Duodecim tabulis) Verba illius legis non exstant. Gellius lib. VII. c. 18. *Iusjurandum apud Romanos inviolate sancteque habitum servatumque, id & moribus Legibusque multis ostenditur.* Dion. Halicarn. lib. II. Polyb. lib. VI.

Indicant sacra) His enim sæpe diræ, imprecationes, ac devotiones conceptis verbis accedebant. Solebant quoque aris tactis juramenta præstari: cujus rei multa testimonia auctorum congesta legere licet apud Barn. Brisson. lib. VIII. de Formul.

Fœdera) Hæc enim ubi constituebantur, sæpe & sacra, & juramenta adhiberi solebant, ut præsentiori quasi numine sanctius fidem mutuo obstringerent.

Censorum) Vid. d. c. Gellii. Memorat Plinius lib. XXXI. c. 2. quod amnis Olodræ gurgite perjuri patiantur velut flammam urentem. Add. Alex. ab Alex. lib. V. c. 10. Apud Cœlium Rhodiginum legitur, Erinnyas perjurii vindices fuisse quondam creditas, lib. XXII. lect. antiq. c. 10.

At ille ut ingressus est) Luculentum hoc est exemplum, quo patet, juramenti rationem vel tum etiam habendam esse, si vel a latrone, aut invasore per vim sit extortum: quod cum Cicero laudet, videtur superiori disputationi non parum detrahere. Ceterum licet Pomponius juste causam non potuit urgere, eo tamen semoto, ex officio alii Iudices potuissent rem, si tanti visa esset, cognoscere, ac sententiam ferre. Alb. Gentilis lib. II. de Iure Belli c. 5.

CAPUT XXXII.

Sed ut laudandus) Reguli generoso facto & sanctitati opponit contrarium exemplum. Quia vero de hoc non idem omnes referunt, ut ipse innuit Cicero, consulendi erunt Historici. Ille quidem fidem sequitur Polybii: cui tamen addi potest Gellius lib. VII. Noct. Att. c. 18. Æque stulto perfidiæ effugio usi sunt Locri, cum polliciti se pactis staturos, quamdiu terram hanc insisterent, & capita humeris gestarent; terram calceamentis injectam, & aliorum capita humeris imposita abjecerunt, quasi eo modo religione se possent exsolvere: quæ historia item apud Polybium l. XII. exstat. Simile, quod Bœoti urbem polliciti reddere, non stantem, sed eversam reddidere. Thucyd. l. V. Et quod Mahumedes Sultanus, Eubœa capta, eum dissecuit trunco tenus, cui caput incolume fore promiserat: Similis perfidiæ exempla etiam apud Polyænum legere licet. *Rediisse ad hostem non dicetur, qui clam rediit, ut statim exiret; rediisse enim ita intelligi debet, ut in potestate hostium iterum sit:* verba sunt Grotii l. III. de Iure Belli & Pacis c. 23. n. 13. Confer lib. I. c. 13.

Sed illud maximum) Alio exemplo comprobare vult, quomodo Romani spreta non exigua utilitate, maluerint octo millia hominum neci devovere, quam aliquam honestatis, ut ille putat, in sua generositate & fortitudine jacturam facere. Ego autem

hoc non maximum, ſed peſſimum exiſtimo, & contra omne officium, citra neceſſitatem tot animas inhumano plane more neci offerre. Vel enim tot milites capti ſunt propter ignaviam ſuam, vel quod circumventi ſuam virtutem explicare nequiverint. Si poſterius, paucorum ducum, aut forſan unius hæc culpa fuit Imperatoris. De his itaque paucis ſtatui potuiſſet, quod juſtum eſſet. Sin prius, vel omnes eodem crimine æque comprehenderentur, vel una, aut altera cohors. Si hoc, redimi debuiſſent omnes, & præcipui quique pro re nata ſupplicio adfici; ſin iſtud, decimatione potuiſſent juſtius uti, aut deligere fugæ, ac timiditatis principes. Sic pœna ad paucos, exemplum ad omnes redundaſſet. Tot vero animas promiſcue neci tradere, non generoſum, ſed immane prorſus facinus eſt. Nec enim id ſemper locum habet, aut propoſitum eſſe debet militibus, aut vincere, aut emori. Multa enim inter victoriam & mortem media ſunt: quæ adſpernari, & hæc extrema ſemper ſequi, ingentis eſſet ſtoliditatis, nec ſine gravi crimine perpetrari poſſent. Sic enim numquam deditio eſſet facienda caſtelli aut urbis; ſic numquam ſe fidei victoris committere poſſet etiam fortiſſimus miles, ſed extrema quæque eſſent ſemper tentanda: id quod uti inhumaniſſimum, ita falſiſſimum eſt. Etenim hoc Romanorum factum tanto eſt deterius, quod tot animas parva pecunia, uti hîc ait Cicero, redimere potuerint. Nota eſt de Mauritio Imp. hiſtoria, qui atrociſſima cum Cagano Avarum rege bella geſſit. Ceperat barbarus ad XII. millia Romanorum militum; ac dimidium numiſma in ſingula capita petebat, liberaturus eo pretio omnes. Obſtitit vero Mauritii avaritia, quo minus ei locum daret. Sed quomodo hanc inhumanitatem ulta eſt Dei providentia? Ipſe Mauritius a Phoca cum quinque filiis, ac tribus filiabus, ipſaque Auguſta Conſtantina, gladio percuſſus fuit Chalcedone. Spectato vero ſuorum exitio exclamavit: *Iuſtus es Domine, & recta ſunt judicia tua*. Memorat Paulus Diaconus l. XVII. viſum in ſomnis Mauritio Chriſtum in tribunali ſedentem percunctantemque: *Vbi vis reddam tibi, in hoc, an futuro ſeculo?* eumque reſpondiſſe: *Amator hominum Domine, & Iudex juſte, hoc, non illo ſeculo*. Addatur Nicephorus l. XVIII. c. 35. ſeqq.

CAPVT XXXIII.

R*Eſtat quarta pars*) Tranſit jam ad poſtremum honeſtatis fontem, Temperantiam, quomodo & hîc idem ſit honeſtum & utile, nec quidquam utile eſſe poſſit, quod non ſit honeſtum, ſeu quod ſit inhoneſtum.

Atqui ab Ariſtippo) Ariſtippus Cyrenaicus princeps fuit ſectæ Cyrenaicæ, in voluptate ſenſum maxime titillante felicitatem collocans. Ex hac Schola trium aliarum auctores prodierunt, Anniceris, Hegeſias πεισιθάνατος, & Theodorus Ἄθεος cognominatus: unde Anniceria, Hegeſiaca, & Theodoria natio. Ariſtippi ſententiam etiam Annicerios amplexos eſſe, teſtis hîc eſt Cicero. Idem ſenſiſſe putat Epicurum; etſi alii aliter de hoc diſputent. Add. Laertius in vita Epicuri, & Ariſtippi. Sed hoc jam agamus, & cum Cicerone expendamus, quomodo in hac Temperantiæ materia numquam poſſit aliquid ceu Vtile venditari, aut commendari, & ut idem tamen honeſto Temperantiæ ſit contrarium.

Virtutemque cenſuerunt) Virtus eſt cauſa efficiens ſolidæ felicitatis, ac honeſtatis: eſtque bonum laudabile. Quæ laudantur bona, ſunt aliquid, uti docet Ariſtoteles I. Nicom. 12. §. 3. Epicurei igitur & horum aſſeclæ aſſeverabant, Virtutem referri ad Voluptatem ceu genuinum & ultimum finem. Iam ſi cum Cicerone voluptatem intelligas corporis, ſenſus titillantem, fœdius, ac falſius nil dici poteſt. Rationes vide apud Ariſtotelem I. Nicom. 5. §. 5. & 6. Adde Senecam IV. de Benef. c. 2. Interim vera felicitas, quæ eſt εὐπραξία, item eſt conjuncta cum voluptate, ſed illa ſincera, limpida, honeſtiſſima.

Cum his) Hanc Epicuri & obſoletorum ipſius (utitur hac voce hîc Cicero, uti Suetonius ſæpe) opinionem tam peſtilentem eſſe ait, ut omni ſtudio

dio & ope sit oppugnanda.

Nam si non) Ex hypothesi sua Stoica, nihil esse utile, quod non sit honestum, & vice versa, jam illos in hunc modum oppugnat. Si vitæ felicitas consistit in corporis *ευεξια*, atque etiam spe, ac securitate optimæ constitutionis, a qua non potest abesse voluptas; sequitur aliquid ipsis esse utile, quod tamen cum honesto pugnet: Falsum est posterius, uti ex illa hypothesi notum est; Ergo & prius. Ceterum cum illud principium Stoicum non possit eo sensu admitti, sed tum solum, si per Honestum intelligatur quandoque saltem quod sit non inhonestum, aliter oppugnandi erunt. Ita igitur lubet argumentari: Cujus rei qualitas ad aliud refertur, in eo non potest consistere beatitas vitæ. Corporis *ευεξια* refertur ad aliud; E. Propositio inde confirmatur, quod Beatitas expetatur simpliciter propter se, numquam propter aliud, & ut ad illam omnia alia referantur. Assumtio item credo concedetur, nisi quis Epicuri de grege porcus animam propter corpus esse velit statuere. Iam vero quod ratione appetitus non ultimi finis locum obtinet, in eo licet aliqua sit utilitas, non tamen est summa. Interim verum est, quamcumque utilitatem attulerit, vel ad corporis, vel ad animi munia expedienda istius *ευεξια*, eam non adversari honestati, uti ex falsa hypothesi Stoica Cicero concludebat.

Constitutionis spe explorata) Metrodorus fuit *γνησιος* Epicuri discipulus, cujus sententiam a Cicerone propositam Clemens Alexandrinus his exprimit verbis: *Αγαθον, φησι, ψυχης τι αλλο, η το σαρκος ευσαθες καταςημα, και το περι ταυτης πιςον ελπισμα. Anime*, inquit, *bonum, quid est aliud quam stabilis, ac bona carnis constitutio, & spes fide digna, quod ea sic futura sit*? II. Stromat.

Nam ubi primum) Si, inquit, vitæ felicitas consistit in voluptatibus corporis, sequitur Prudentiam ad hunc finem omnes actiones disponere: Absurdum est consequens; E. & antecedens. Prudentia enim, quæ est perfectio intellectus practici, & omnes actiones humanas ad suum debitum finem dirigit, quo solidius sit hoc animi bonum & perfectius, qui quæso corpori serviret, & illius præcipue emolumentum quæreret? Etsi enim prospicimus, ut & corpori bene sit, illud tamen ipsum *ευ* ad animum referendum est; Corpus enim est propter animam. Hujus imperio, istius servitio utimur. Sallust. Bell. Catil.

Quam miser) Si beatitas vitæ consistit in voluptatibus, sequitur virtutes servire, & ancillari voluptatibus; Nam ad beatitudinem non aliter perveniri posse quam virtutum beneficio, communis notio est: A. absurdum posterius; quandoquidem Virtutes nos instruunt, quomodo voluptatum cupiditates, aliosque affectus refrenare debeamus; E. & prius.

Quod autem) Hoc ad superius argumentum potest referri. Prudentiæ opus est bona & mala in vita recte dijudicare, ac repudiatis his ista eligere, ac debita ratione ad ultimum finem dirigere.

Nihil isto esse jucundius) Scilicet, in eo genere voluptatum. Nam alias quod simpliciter est jucundissimum, illud non est turpe, sed honestum.

Iam qui dolorem) Vt acrius Epicureos insectetur, alia etiam conquirit, nonnulla repetit. Et vero recte colligit, eum, qui dolorem summum malum dicat, omnem tollere fortitudinem; quandoquidem hæc virtus molestiarum plenissima est, actiones si videas, etsi viro forti intuitu finis illæ sint perjucundæ. III. Nicom. 9. §. 3. seqq.

Vt, si illum audiam) Et hîc bene disputat; posito hoc, Epicurum felicitatem in corporis voluptatibus constituisse. Qui summum bonum in promiscua voluptate corporis constituit, ille tollit Temperantiam. Hanc propositionem confirmat, quod Temperantia libidinum inimica sit. Sed & hîc Cicero cum Stoicis latius progreditur. Nam aliæ voluptates sunt necessariæ, veluti cibi, potus, veneris: aliæ non necessariæ, sed supervacaneæ & adscitæ. Istis sane non simpliciter inimica est Temperantia, sed solum enormitati, & ei, quod est nimium; hinc ego addidi aliquam voculam propositioni eo nomine inferendam.

Atque in his) Ne nimis sint absurdi Epicurei, & protinus ab omnibus explodantur, aliquem tamen videri volunt locum dare Prudentiæ, Fortitudini, & Iustitiæ, etiamsi in regno Voluptatis habitent. Id quod harum virtutum descriptione ab illis tradita explicat.

Etiam temperantiam) Inserit jam & hujus qualemcumque delineationem ex Epicuri schola petitam, videlicet Temperantiam conciliare *απονιαν και την τȣ λυπȣντος ὑπεξαιρεσιν*, *laboris vacuitatem*, *& rei dolore afficientis subtractionem*, uti Græci loquuntur. Voluptates commendat rarior usus, ejusque generis alia etiam præcepta ad Temperantiam suam referunt.

Iustitia) Si Iustitia & reliquæ virtutes non expetuntur propter se, sed quatenus utiles sunt ad voluptates corporis impetrandas, sequitur illas nullius esse momenti, & dignitatem illarum penitus jacere: Ex Epicureorum autem sententia eo nomine, & non propter se expetuntur.

Quæ honestati esset contraria) Bene hîc loquitur, & si hujus explicationis semper memor fuisset, toties non impegisset. Aliud enim est quod sua natura Honestum, aliud quod Honestati non contrarium est.

Sic omnem) Corporis sine dubio intelligit. Sed numquid etiam moderatam, necessariam conservando individuo, & propagandæ speciei? Minime gentium. Vix mihi tempero, inquit hîc Wolfius, quin exclamem: *Os durum atque impudens*. Pertinent huc, quæ tradit Aristoteles X. Nicom. 1. §. 8. seqq.

Quo magis) Immerito hos accusat, accusandus ipse, uti jam intelleximus. Copulare honestatem cum voluptate, non profecto est cum homine pecudem conjungere; nisi tum demum, si sint vel belluinæ voluptates, vel belluino more, sine ratione & modo expetantur.

Nec vero finis) Sed nondum hoc demonstratum fuit, omnes omnino voluptates corporis, quocumque etiam modo usurpatas, ita dissidere ab honestate, ut tamquam contraria in eodem subjecto cohabitare nesciant.

Alio loco) Libris de Finibus. Interim vel uno verbo debuisset hîc segregare voluptates diversi generis, animi a corporis voluptatibus. De his enim prorsus abjecte sentit: quod si animi quoque comprehensas intellexit, tanto gravior est error, multoque elleboro expurgandus. Videatur de Voluptate, & quomodo cum Honestate conveniat, nec ne, Liber X. Nicom. capp. prioribus, ubi rem omnem ex solidis principiis deductam cognoscere licet: nec non nostræ Disp. de Pœnis theses priores, ubi cernere licet, quem usum in moralibus doctrina de Voluptate recte constituta habeat.

Habes a patre) Epilogus, quo hoc Opus magni muneris loco se scripsisse ac misisse testatur: & profecto tale est. Ipsis postremis verbis totius Philosophiæ practicæ studium ei diligentissime, & sub paterni amoris arrha commendat.

Perinde erit ut acceperis) Modestiæ gratia hoc adjicit, ne videatur meliora scriptis Cratippi præcepta filio tradere, se tanto Doctori præferre, & noctuas Athenas mittere velle.

IN


IN M. T. CICERONIS DE OFFICIIS LIBRVM TERTIVM ALDI MANVTII PAVLI F. ALDI N. COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM.



Libro primo, unde officia ducerentur: secundo, quid esset utile, quaesitum est: hoc tertio, de honesto & utili, cum pugnare videntur inter se, deliberatur; sed antequam haec disputatio suscipiatur, consilium suum Cicero, quod, extincto senatu, deletisque judiciis, ad scribendum curam omnem, studiumque converterit, majoris Africani tuetur exemplo. Mox ideo dicit interdum dubitari solere, utrum id, quod utile videretur, anteponendum esset honesto, non quod ea comparari oporteret inter se, sed quia tempus incideret ejusmodi, ut, quod turpe haberi soleret, honestum esse inveniretur; exempli gratia: hominem occidere, turpe est: at, si tyrannus occiditur, non modo non turpe, sed gloriosum etiam existimatur; distinguuntur haec non tam re, quam tempore. Et, ut distinguantur, formula quaedam constituitur Stoicorum rationi, disciplinaeque consentanea, quidquid honestum, idem utile esse, nec utile quidquam, quod non honestum; quo sequitur, ut, detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, honestum ideo non sit, quia nec natura, id est jure gentium, nec legibus populorum conceditur: contraque honestum in primis, & secundum naturam, pro multorum incolumitate, atque emolumento labores, molestiasque suscipere. Rursus, hominibus, divitiis, voluptatibus, & ejusmodi rebus anteponenda quidem amicitia est: amicitiae tamen caussa nihil contra remp. aut jusjurandum, aut fidem vir bonus faciet; jacere enim utilitatis species, valere honestas debet, cum id, quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honestum est, comparatur. Quod si hoc in privata amicitia, multo magis in rep. observandum; idque laudatur in primis in Atheniensi populo, Aristidis potius, quam Themistoclis, consilium secutis, cum hic utilitatem tantum spectaret, ille honestatem pluris, quam utilitatem aestimaret. Iam, celare veritatem emolumenti gratia, si turpe est: orationis veritatem adhibere, & mendacio sibi utilitatem quaerere, multo turpius. Sunt autem mul-

multa, quæ quia more, lege, jure civili conceduntur, ideo turpia non videntur: sed aliud est jus civile, aliud jus gentium: ideo sæpe accidit, ut, quod jure gentium, id est lege naturæ sanciatur, idem vetetur jure civili: aut, quod jure civili vetatur, idem per naturæ legem liceat. Optimum igitur est jus civile, quod a natura ducitur, & malitiam, fraudemque vindicat, ut in prædiorum, mancipiorumque venditione. Cujus generis cum occurrant multa, una omnium regula est, quam qui servaverit, aberit a culpa: ut ita placeat id, quod utile videtur, si modo turpe non est: aut, si turpe est, omnino displiceat. Accidit autem, ut ne pacta quidem, & promissa servanda sint: tum scilicet, cum aut ei, qui promiserit, aut patriæ inutilia sint; quod enim honestum natura videtur, temporibus fit sæpe non honestum, & omnino; si quid abest a laude, decore, honestate, utile non putandum.



M.T.

M. T. CICERONIS DE OFFICIIS AD MARCUM FILIUM

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

A *Ppellatus est*) Sic, novem, & Tertii.

Scripsit Cato) Qui tamen Scipioni parum amicus esse creditus est. Livius lib. XXXIIX. is, qui, censura severissime gesta, Censorius est appellatus.

Fere ejus aequalis) Secundum enim Africani consulatum primus Catonis excepit, & quidem quaestor ejus: cui etiam obtrectasse, & Petilliis tribunis pl. ut eum accusarent, auctor fuisse dicitur. Livius.

Numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus: nec minus solum, quam cum solus esset.) Velleius lib. I. *Scipio tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinae, & auctor, & admirator fuit, ut Polybium, Panaetiumque, praecellentes ingenio viros, domi militiaeque secum habuerit: neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit, semperque aut belli, aut pacis serviit artibus; semper inter arma, ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit. Numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus*: quia res praeclaras in otio cogitabat. *Nec minus solum, quam cum solus esset*. Solus enim non est, qui secum loquitur: quod faciebat Africanus. Quae sunt autem illa, quae taciti sermonis materiam praebent? resp. in primis, & eae virtutes, quibus actiones nostrae ad verum decus, laudemque diriguntur.

Secum loqui solitum) Ἑαυτῷ διαλέγεσθαι περὶ τῶν πραγμάτων, *secum de magnis rebus disputare*: Isocrates.

Otium, & solitudo) Ennii versus, in Iphigenia, apud Agellium lib. XIX. cap. 10.

Otio qui nescit uti, plus negotii habet,
Quam cum est negotium in negotio.
Nam, cui, quod agat, institutum est, nullo negotio
Id agit: studet ibi, mentem, atque animum delectat suum.
Otioso in otio animus nescit, quid velit.
Hoc idem est, neque domi nunc nos, nec militiae sumus:
Imus huc, hinc illuc: cum illuc ventum est, ire illinc lubet,
Incerte errat animus, praeter propter vitam vivitur.

Vellem & nobis) Particula, &, abest ab undecim, & Tertii. Unus: *vellem idem hoc nobis*. Unus: *vellem quidem nobis*. Unus: *vellem nobis hoc idem dicere liceret*.

Vere dicere liceret) Quodam enim modo licet, sed non aeque, ut illi: quod & ille ingenio praestiterit, & meliora tempora fuerint.

Armis impiis) Bellis civilibus.

Rura peragrantes) Sic quatuordecim mei, & Tertii. Male. Langius, *peregrinantes*: delens, *rura*; nam Peregrinari, est, longius ab urbe iter facere: Rura autem opponit Urbi: Solitum autem esse Ciceronem ruri multa scribere, cum alibi, tum I. de Leg. ait: *Subseciva quaedam tempora incurrunt, quae ego perire non patior: ut, si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quae scribimus*.

Nec haec solitudo) To *haec* addidimus ex omnibus vet. lib.

Non requiescendi studio) Antea, *nec req. studio*. *Non* est in omnibus veteribus.

Aut in curia, aut in foro agere possimus) Mortuo Caesare, nondum libera civitas erat.

In oculis civium) Id est, civibus cari,

cari. Terentius: *Rex te ergo in oculis.* Tusc. II. *In oculis esse multitudini*. Ad Q. fr. Balbum, *in oculis fero*. το, *civium*, est in omnibus veteribus libris.

Conspectum scelerstorum, quibus omnia redundant) Sic apud Euripidem:

Τοιαυθ' ὁ τλημων πολεμος εξεργαζεται.

Talia nimirum infelix Mars patrat.

Sic ab hominibus doctis accepimus) Accepit ab Aristotele: qui των Ἠθικ. Ε. ita scriptum reliquit: Οἱ δ' ανθρωποι ταυτα ευχονται, και διωκουσι; δειδ' ȣ, αλλ' ευχεσθαι μεν τα απλως αγαθα, και αυτοις αγαθα ειναι, αιρεισθαι δε τα αὐτοις αγαθα. ὁ δ' αδικος ȣκ αιει το πλεον αἱρειται, αλλα και το ελαττον επι των ἁπλως κακων, αλλ' ὁτι δοκει δε το μειον κακον, αγαθον πως ειναι. *Homines autem hæc votis omnibus expetuntque ac persequuntur: quod facere non oportet, sed optare sane, ut quæ simpliciter bona sunt, ea nobis quoque bona sint: eligere autem ac sumere, quæ nobis sunt bona. Sed injustus non semper id, quod plus est, eligit, verum etiam quod minus est, in iis, quæ absolute mala sunt. Sed quia videtur etiam minus malum quodammodo bonum esse.* Et ad Eudæmum τῳ Δ.

Ex malis eligere minima oportere) Plautus Trinummo: *Nota res mala, optima.* Et Terentius: *Vt quimus, quando, ut volumus, non licet.*

Non illo quidem) Illustri, & cum dignitate: Sic initio lib. III. de Orat. *otium optat cum dignitate.*

Debeat) Sic duodecim, & Tertii; recte. Duo, *debebat*.

Peperisset otium civitati) In consulatu, conjuratione extincta; de quo jam antea gloriatus est. Hinc:

O fortunatam natam me consule Romam.

Affert necessitas) Hinc:

Δεινης αναγκης ȣδεν ισχυει πλεον.

Dura necessitate nihil est potentius.

Nulla tamen ejus ingenii monumenta mandata litteris) Quinctilian. lib. X. cap. 1. Terentii scripta ad Scipionem Africanum referuntur. Donatus quoque ait, non obscuram fuisse famam, Terentium a Lælio, & Scipione esse adjutum.

Brevi tempore) A dictatura Cæsaris, ad triumviratum.

CAPVT II.

TAmen nullus) *Tum*, quinque, & Tertii.

Feracior) Metaphora ab agris, qui feraces esse dicuntur, in Verrem. Alibi ad ingenium transtulit, *nihil feracius ingeniis*, in Oratore.

Principe) Inter Peripateticos. Fam. lib. XII. ep. 16. & lib. XVI. ep. 21. Vide initio lib. I. & extremo hoc libro, & in proœmio libri de Univers.

Talibus aures tuas vocibus circumsonare) Demosthenes περι συνταξεως· Ου δε τȣτο μικρον ωφελειν οἰμαι, ει τα βελτιςα ὑμας ακȣειν συνεθιζω· δει γαρ ω ανδρες Αθηναιοι, τον βȣλομενον τι ποιησαι την πολιν ὑμων αγαθον, τα ωτα πρωτον υμων ιασασθαι. Διεφθαρται γαρ, ȣτω πολλα και ψευδη, και παντα μαλλον η τα βελτιςα ακȣειν συνειθισθε. *Me non parum prodesse reipublicæ, si vos ad optima quæque audienda consuefaciam. Oportet enim, Athenienses, ut is, qui de Civitate nostra bene mereri cupit, auribus primum vestris medeatur: corruptæ enim sunt. Adeo multa, & falsa, & quævis potius audire, quam salutaria consuefacti estis. Circumsonare*: περιηχειν, περιηχεισθαι.

Vitam ingredi) Isocrates: Οσοι την βιȣ ταυτην την ὁδον επορευθησαν, ȣτοι μονοι της αρετης ἱφικεσθαι γνησιως ηδυνηθησαν. *Quicumque hanc vitæ viam ingressi sunt, hi soli ad virtutem pervenire potuere.*

Suscepisti onus) Expectationis.

Grave) Quinque, *grande*; quo modo illud Poetæ:

Grande onus exiguo formicae ore ferentes.

Ad mercaturam) Sic omnes libri: id est, tamquam ad emendas merces; sic quoque duobus locis adducit hunc locum Nonius. Langius, *mercatum*, ex unico libro. Isocrates in Paranetico: Μη κατοκνει μακραν ὁδον πορευεσθαι προς τȣς διδασκειν τι χρησιμον επαγγελλομενȣς· αισχρον γαρ τȣς μεν εμπορȣς τηλικαυτα πελαγη διαπεραν, ἑνεκα τȣ πλειω ποιεισαι την ὑπαρχȣσαν ȣσιαν. τȣς δε νεωτερȣς μηδε κατα γην πορειας ὑπομενειν, επι τῳ βελτιω καταςησαι την ἑαυτων διανοιαν. *Ne te pigeat longam ire viam ad eos, qui*

qui se aliquid utile docturos profitentur: *Quum enim mercatores, rei familiaris augendæ gratia, tanta maria transmittant: turpe fuerit, Adolescentes, excolendi ingenii caussa, nec terrestre iter velle suscipere*.

Urbis) Quæ semper bonas artes aluit.

Quantum conniti animo) Isocrates idem præcipit: Πειρω την μεν ψυχην ειναι φιλοσοφος, το δε σωμα φιλοπονος. *Enitere, ut animo sis philosophus, corpore laboris patiens*.

Tute tibi defuisse videare) Sic ad Trebatium lib. VII. Fam. ep. 7. *Ut tibi unum timendum sit, ne ipse tibi defuisse videare*.

Multa enim sæpe ad te) Nihil tamen exstat, præter Partitiones Oratorias; & hos libros de Officiis: qui tamen ad formandos potius mores, quam ad cohortandum scripti sunt.

Accuratissime disputavit) Subtilissime, diligentissime, cum veritate congruenter.

De officio) Id est, cum quæritur, quid recte, aut secus fiat.

Breviter esse tractatum) Sic undecim mei libri; tres, & Tertii, *tactum*; quod non improbo; genus enim dicendi sat bonum est; est enim, paucis verbis narrare. Itaque Cicero lib. II. de Orat. *Perquam*, inquit, *breviter perstrinxi, atque attigi*. In quo est animadvertendum, *attingere*, si tamquam translatum usurpatur, cum *leviter* conjungi: si tamquam proprium, cum *breviter*.

Testis locuples) Sic infra: *An locupletiores quæris auctores?* Et ad Cæs. juniorem lib. II. *Nihil omnino certi: nec locupletem ad hoc auctorem habebamus*. Male apud Nonium *locupletis*.

Posidonius) Quem, & Molonem apud Rhodum audivisse, tradit Plutarchus. Et I. de Fin. ipse Cicero suum familiarem vocat.

P. Rutilium Rufum) Is est, quem lib. I. P. Mucium Scævolam sectatum fuisse, ab eoque juris scientiam, & innocentiæ, morumque opinionem hausisse dixit.

Qui Veneris eam partem, &c.) Unus, *qui inchoata Venere*. Unus, *qui in templo Coæ Veneris*: quod est & in ora unius libri. Unus, *qui in templo deæ Veneris*. Unus, *qui in templo Veneris*. Tertii liber. *Qui in Coa Venere*, Recte. *Veneris eam partem*: de qua Fam. lib. I. ep. *Perjucundæ*: ad Att. lib. II. ep. 21. lib. II. de Divin. in Oratore, lib. I. de Nat. De. in Verrem. Duas Veneres Apelles pinxisse dicitur, unam e mari in terram egredientem, de qua Ovidius:

Si numquam Venerem Cous pinxisset Apelles
Mersa sub æquoreis ipsa lateret aquis.

Et alibi:

Ut Venus artificis labor est, & gloria Coi,
Æquoreo madidas quæ premit imbre comas.

Inchoavit aliam, quæ superasset priorem, nisi invidisset mors; de qua Plin. lib. XXXV. cap. 10. & 11.

Et non perfecisset) Absunt hæc a quinque meis. Unus, *& non fecisset*.

CAPUT III.

QUod honestum est) De summo bono controversia fere nulla est inter Stoicos, & Peripateticos.

Peripateticis vestris) Sic emendavi ex uno meo, & Tertii.

Collocata) Placet, *collata*, quod est in duobus meis; nam collatione summi boni, rem inutilem prorsus nullius momenti dicimus, id est, nullius ponderis, cum commodis illis sive corporis, sive in casu positis.

Quin numquam) *Quin umquam*, novem.

Socratem) In Hippia majore pulcrum cum utile necessario vinculo comparat. De Leg. lib. I. Recte Socrates exsecrari eum solebat, qui primus utilitatem ab honestate sejunxisset; id enim quærebatur caput esse exitiorum omnium.

Ut ii) Epicurei.

Vel indolentia) Quod Hieronymi Rhodii dogma fuisse, scribit Cicero de Fin. lib. II.

Qui id solum bonum judicet) E Stoicorum opinione.

Discessione) Unus, *dicessione*; septem, & Tertii, *decessione*. Sic pro Cluentio: *An, ut de caussa ejus periculi nihili decederet?* ad caussam novum crimen accederet?

Ita

Ita legere) Infra, *legere intelligenter voluptates*. Contrarium est, *negligere*.

CAPUT IV.

Rate patent) Cadunt in multos.

Omnes numeros habet) Vide Adagia; *circulum absolvere*.

Cum autem aliquid actum est, in quo media officia compareant, id cumulate videtur esse perfectum) Perfectum, inquit, officium differt a medio: sed accidit saepe, ut, quod perfectum non est, perfectum tamen inscientia vulgi esse videatur; ubi enim apparent media officia, id vulgus, quia supra non intelligit, perfectum esse putat. *Comparantur*, duodecim. *Comparant*; duo, & Tertii.

Quod item in poematis) Antea, *quod autem in poematibus*. Locum recte mutasse videor auctore Nonio; nam, si, *quod autem*, legatur, diversum quiddam a superioribus inferri videbitur: si, *quod item*, simile. Sed in Nonio, *idem*, pro *item*, legitur; & videtur rectius. Notatur autem haec similitudo. Ita fallitur vulgus, cum in poematis, picturisque laudat ea, quae laudanda non sunt, quod insit in his aliquid probi: ita fallitur, cum officium, quod perfectum non est, ideo putet esse perfectum, quia in eo, de quo judicat, officium inesse medium videt: quod ob inopiam judicii putat esse perfectum, cum a perfecto medium longe differat: quia medium illud est, cujus probabilis aliqua ratio reddi possit, caditque in multos: perfectum autem omnes numeros habet, nec, praeter sapientem, cadere in quemquam potest. Ad illa igitur verba, *in quo media officia compareant*, qua specie vulgus in errorem inducitur, & medium officium accipit pro perfecto, respondent haec inferiora, de poematis, & picturis illata. Quod insit in his aliquid probi; ut duorum vulgi errorum duae caussae ponantur, una, quae ad officium, altera, quae ad poemata, picturasque pertineat. *Poematis*: sic in Nonio: & in duobus meis, & Tertii.

Et in picturis) Inde: *ne sutor ultra crepidam*. Vide Aristotelem in poetica. *Et in picturis*: τὸ & non est in tribus; & Tertii; τὸ *in* non est in sex. *Inque picturis*, duo.

Quam secunda) Quia non idem est officium, & honestum, sed ex honesto nascitur officium. Metaphora a *secundario* pane, & *secundario* vino.

Itaque his omnes) Sic emendavi, adversantibus omnibus veteribus libris, postulante sententia.

Commoventur) Afficiuntur, ad bene agendum adducuntur.

Fortitudinis) Quia pro rep. mortem libenter oppetiverunt.

Nec illi quidem septem) Pittacus Mitylenaeus, Periander Corinthius, Thales Milesius, Solon Atheniensis, Chilon Lacedaemonius, Cleobolus Lindius, Bias Prienaeus. Quorum sententiae memorantur:

Optimus est, Cleobulus ait, modus, incola Lindi.
Ex Ephyra Periandre doces, cuncta & meditanda.
Tempus nosce, inquit Mitylenis Pittacus ortus.
Plures esse malos, Bias autumat ille Prieneus.
Milesiusque Thales, sponsori damna minatur.
Nosce, inquit, tete, Chilon Lacedaemone cretus.
Cecropiusque Solon, ne quid nimis, induperabit.

Vide Hyginum in Fabulis, cap. 221. & Laertium. *Ne illi quidem septem*: *ne*, duo, & Tertii.

Quod in nostram intelligentiam cadit) Ex quo medium oritur officium.

Aliter enim teneri non potest, si quae ad virtutem est facta progressio) *Si quae*, unus, & Tertii. Fuit, cum legendum opinarer: *Aliter enim teneri non potest, quam si ad virtutem est facta progressio*.

In his dubitare) *Addubitare*, undecim, & Tertii.

Addubitationem) *Dubitationem*, septem, & Tertii.

Quale sit id) Honestum, an turpe: utile, an perniciosum: cohaereat ne cum honestate, an ab ea segregetur honestas.

Quod potest &c.) Valerius Poplicola legem tulit, ut tyrannum indicta caussa occidere liceret. Et Isocrates in orat. pro Pace, scribit, Lacedaemonios tyrannicidis praemia decrevisse.

Sed

Sed etiam familiarem occidere?) Omnes libri veteres, *sed etiam familiarem hominem occidere?* Venusta repetitione.

Vicit igitur utilitas honestatem) De præterito loquitur, quia jam Cæsaris necem latenter significavit. *Ergo*, pro *igitur*, est in septem, & Tertii.

Quam si sequemur) Ovidius Metam. VII.

---- Aliudque cupido,
Mens aliud suadet; video meliora, proboque,
Deteriora sequor.

Quod sumsit ex Euripide, Medea:

Τα χρηϛ' επιϛαμεσθα, και γινωσκομεν, ϰκ εκπονϰμεν δε.

Bona scimus, & cognoscimus, at non sequimur.

Ab officio numquam recedemus) Omnia recte faciemus, omnem justam reprehensionem cavebimus.

Qui quondam iidem erant, qui Academici) Verba illa, *qui Academici*, ante decem annos delenda opinatus sum; video nunc meam opinionem confirmari uno meo vetere libro. Fulvius quoque Vrsinus testatur se ea non reperisse in uno suo.

Nostra Academia) Cui Cicero suam eloquentiam acceptam fert.

Maxime probabile) Sequitur enim verisimilia, verum esse nihil affirmat.

CAPVT V.

HOminem *hominis incommodo suum augere commodum*) Terentius, Andr. act. 4. sc. 1.

Hoccine credibile est, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Vt malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua ut comparent commoda.

Eos morte, exsilio, vinculis, damno coercent) Supplicii genera quatuor.

Atque hoc multo magis exigit ipsa naturæ ratio) *Exigit*, pro, *postulat*, dictum est; & vis etiam major est in, *exigit*, quam in, *postulat*: cum exigantur nostra, postulentur etiam aliena. Natura autem in eo quasi suum exigit, cum homines congregari, consociarique vult, cui non obedire nefas est. Hæc sententia, atque hæc lectio mihi magis placet, quam, *efficit naturæ ratio*, quod habent plerique veteres libri; non enim hic natura efficit, sed exigit, & efficit in iis, qui parent: non parere autem omnes, satis constat. Propterea sequitur, *cui qui parebunt*. Meam opinionem sententia confirmat, & unus ex meis libris veteribus. Vnus *eligit*, mendose.

Lex divina, & humana) *Divina*, divinitus insita mentibus hominum: *Humana*, consensu generis humani comprobata. Chrysippus Legem definivit παντων βασιλεα θειων τε, και ανθρωπειων πραγματων: *rerum divinarum atque humanarum omnium regem.*

Herculem) Dictus Ἡρακλης, quasi ανδρων κλεος, Fulgentio: vel, quasi ἡρωων κλεος, aliis. Macrobio, quasi ηρας κλεος. De ejus laboribus Ovid. Metam. IX. Diodorus Siculus lib. V. Hyginus cap. 30.

Deinde, &c.) Argumentum contra eos, qui alieno incommodo suum augent commodum.

Hominem ex homine tollat) Neget, quod hominis proprium est: intelligere scilicet, quid natura humana postulet.

CAPVT VI.

DIssolvetur *omnis* &c.) Sic omnes libri veteres.

Consortio) Antea, *consociatio*; male; Sic enim omnes libri veteres, & Nonius, qui hæc recitat in verbo, *consortio*: *Dissolvetur necesse est omnis humana consortio*. Citat autem & Lucilium lib. XIX. *Dejerat enim scripsisse, & post non scripturum; redi in consortionem*. Et T. Livium: *Quænam ista suavitas? quænam consortio est?*

Aut fratri) Ovidius.

Fratrum quoque gratia rara est.

Nam, si quid ab homine ad nullam partem utili utilitatis tuæ caussa detraxeris) Sic septem, & Tertii; *to utili*, non est in tribus. Quatuor: *nam si quid ab homine utili ad nullam partem utilitatis caussa detraxeris*. Placet, quod impressum est. Comparat enim utilitatem propriam cum publica; propriam vi, & injuria quærendam non esse docet: publicam, vel si cum alterius damno conjungatur, non esse reprehendendam. Vtilitatis, inquit, tuæ caussa, si quid ab homine, quam-

quamquam ad nullam partem utili, detraxeris, inhumane feceris, contraque naturæ legem: sin autem non tuæ, sed publicæ utilitatis caussa, aliquid alicui detraxeris, id vero non esse reprehendendum. Hunc sensum qui non viderunt, locum temere immutarunt: nulla, cur mutarent, in suis Adnotationibus ratione allata.

Qui multam utilitatem reip.) Communis utilitas privatæ anteponenda.

Sin autem id non sit ejusmodi) Id est: si tu reip. multum commodare non possis: si sis homo plebejus, & unus de multis; sic decem mei, & Tertii; *ero*, *autem*, non est in uno. *Sin autem is non sit ejusm.* duo.

Suum cuique incommodum) Terentius:

Non tu tuum malum æquo animo feres?

Hanc caussam habeat ad injuriam) Quæ levissima est: gravior autem ratio societatis humanæ.

Neque est contra naturam) A majore ad minus.

Vt membra quædam amputantur) Ovidius I. Metam.

---- *Sed immedicabile vulnus*
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

A communi tamquam humanitate corporis segreganda est) Sic omnes libri veteres. Muretus: *a communi tamquam humanitatis corpore segreg. est.*

CAPVT VII.

PErmisset) Id est, sustulisset; sic omnes libri veteres. Pro Plancio, *reditum perimere*. Pro Sextio, *nisi mors peremisset*.

Prope tamen absoluto) Fulvius Vrsinus pro *tamen*, reponit *jam*, ex antiquo libro; cum quo facit, licet mendose, unus ex meis, in quo est, *proprie jam absoluto*.

Postulare) Vnde Postulata Geometrarum: Cassiodoro, *petitiones*: Euclidi, Αιτηματα: Martiano Capellæ, *concedenda*. *Geometræ*, inquit Cicero in Lucullo, *profitentur non persuadere, sed agere: & omnia, quæ describunt, probant.*

Quo facilius quæ velint, explicent) Quo facilius auditor rudis, subtilium rationum nondum capax, instituatur, doctrinam intelligat.

Si potes) Quod vereor ne non possis: quia repugnat Peripateticæ doctrinæ, cui tu operam das.

Cratippum) Qui ex Peripateticorum sententia non putat, ut Stoici, solum honestum propter se expetendum, sed maxime propter se, non tamen solum.

Mihi utrumvis satis est) Et Peripatetica ratione, & Stoica semper honestas utilitati præferenda.

Hoc) Honestum Peripateticorum.

Illud) Honestum Stoicorum; ad probandum id, quod probare conabitur, nihil utile, quod non honestum.

Tum hoc, tum illud) Academicam inconstantiam arguit; de qua possit dici illud Homeri:

Τοιος γαρ νοος εστιν επιχθονιων ανθρωπων,
Οιον επ' ημαρ αγησι πατηρ ανδρων τε, θεων τε.

Id est:

Tales sunt hominum mentes, quali pater ipse
Iuppiter auctiferas lustravit lampade terras.

Neque enim ei fas erat) Nam in honesto sita esse bona omnia Stoici dicebant.

Eorum opinionem qui ista distraxerint) Qui putarint honestatem ab utilitate segregatam esse, aut contra.

Quod mihi probaretur) *Quod quidem mihi probaretur*, septem, & Tertii.

CAPVT VIII.

NOs commoveri necesse est) Non possumus eam rem non expetere, quæ vel vires, vel voluptates corporis auctura sit, vel incrementa opum, & dignitatis allatura.

Speciem utilitatis) Propriæ: quia utilitas esse non potest, ubi turpitudo est.

Recta) Cum prudentia, & justitia consentientia.

Convenientia) Το πρεπον.

Constantia) Hoc refertur ad animi magnitudinem, sive fortitudinem.

Nihilque) Sic undecim mei, & Tertii; sicque impressum in libris nostris ante me natum, ut mirer, esse, qui locum

locum se emendasse nuper scribant, & que conjunctionem addidisse.

Ad honestatem) Ad animi incolumitatem.

Zenoni) Citiæo, Stoicæ disciplinæ principi. Laertius.

Omni pondere gravior) Alludit ad Critolai Peripatetici libram.

Aut solum, aut summum bonum) *Solum* ut Stoicis: *Summum* ut Aristoteli placet.

Secernit ab honesto) Nihil pensi habet, quantumvis turpe, & flagitiosum sit.

Opum nimiarum potentiæ non ferendæ) Quas reip. perniciosas esse, scribit Plato in Politicis.

Nec tetrius nec fœdius) *Tetrum* opponitur Claro, *Fœdum* Pulcro.

Legum, quas sæpe perrumpunt) Vt aranearum telas. Sic lib. I. de Leg. *Perrumpere telas* dixit. Ad Anacharsidis dictum alludit, de Solonis legibus.

Ipsius turpitudinis, quæ acerbissima est) Mala scilicet conscientia. Hinc alibi: *Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate, ac mente deturbat*. Demosthenes: Η των πραγματων αισχυνη ουδεμιας ελαττων ζημιας τοις γε σωφροσι. *Rerum turpitudo nullo minor detrimento ipsis quidem sapientibus*.

In ipsa enim dubitatione facinus inest etiam si ad id non pervenerint) Libro primo: *Bene præcipiunt, qui vetant, quidquam agere, quod dubites, æquum sit, an iniquum: æquitas enim lucet ipsa per se; dubitatio cogitationem significat injuriæ*. Sic Glaucus Lacedæmonius, oraculum sciscitans, an perjurio depositum abnegaret, Pythia, interitum generis comminata, veniam petenti, respondit: Το πειρηθηναι τω θεω, και ποιησαι, ισον δυναται. *Cum tentaris Apollinem, perinde est, ac si facinus admisisses*. Iuvenalis Sat. XIII.

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.
Nam, scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

Etiam si ad id non pervenerint) Ovidius III. Amorum:

Vt jam servaris bene corpus, adultera mens est.
Nec custodiri, ni velit, ulla potest.

Si omnes deos, hominesque celare possimus) Delictis igitur, etiam occultis, abstinendum. Infra: *Vir bonus vi non utatur, ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem umquam suspicaturum.*

CAPUT IX.

Hinc ille Gyges inducitur a Platone) Lib. II. Polit. Herodotus autem lib. I. multo aliter rem narrat: nec ullam annuli mentionem facit; & Iustinus lib. I. Vide & Suidam, & Adagia. Imperavit Gyges apud Lydos quintus rex, quo tempore Romæ Numa. Apollinem Pythium sciscitatus, an aliquis se esset felicior, (Græcis autem dictus πολυχρυσος) oraculum illi Aglaum quemdam Arcadum pauperrimum prætulit, ætate jam seniorem, qui agelli sui terminos numquam excesserat, parvuli ruris fructibus, ac voluptatibus contentus. Vide Valerium lib. VII. cap. 1. & Plinium lib. VII. cap. 46.

Cum terra discessisset) Sic undecim, & Tertii. Vnus, *dixisset*. Vnus, *discessisset*. Vnus, *discendisset*, male. Alii legunt, *desedisset*. *Discessisset* autem legit & Nonius, interpretans *Hiasset*, *Divisa esset*, *Distensa*, citans & Sisennam hist. 4. *Armata dextera ducti, magisque in latitudinem discedunt*. Ita quoque videtur legisse & D. Ambrosius lib. III. cap. 5.

Regius pastor) Herodotus satellitem fuisse scribit, Dascyli filium.

Palam) Fundam, vacuum illud in annulo, quo gemma includitur, σφενδονην. Sic enim Plato lib. II. de Rep. Την σφενδονην εξω στρεψαι. *Palam in lucem convertit*.

In lucem) *In locum*, antiqui libri omnes.

Reginæ stuprum intulit) Cujus pudicitiam rex ipse, formam ejus ostentando, prostituerat. Regem Candaulem, quem Græci Myrsilum nominarunt. Herodotus.

In his quisquam eum facinoribus) Sic duo. Quatuor, *in his facinoribus eum quisquam*. Septem, & Tertii, *in his eum facinoribus quisquam*.

Rex ortus) Sic quatuor. Vnus, *Rex est ortus*. Novem & Tertii, *Rex exortus*.

Hunc

Hunc igitur ipsum annulum) *Ipsum*, non est in uno: & in Tertii libro est additum in ora. Quatuor, *hunc igitur annulum ipsum*.

Peccare) Quidam delent hoc verbum, quod est in omnibus libris veteribus.

Fictam, & commenticiam fabulam dicunt prolatam a Platone) Macrobius de Somn. Scip. lib. I. Platonem defendit contra Epicureos, quod fabulis sit usus; & ibidem docet, quæ fabulæ philosophis sint concessæ.

Sis ne facturus) Vide Agellium lib. XII. cap. 10. Adagia: *tempus omnia revelat*.

Quamquam non potest id quidem) *Non*, abest a cunctis veteribus libris; sed exigitur a sententia. Loquitur enim hic Cicero ex persona sua; & ipse in ea philosophorum secta fuit, quæ deos administrare, & scire omnia sentiebat; quod illius libri perspicue testantur. Quare, ne discedamus a mente Ciceronis, omnino inducendus est aliquis negandi modus. Vt significetur, fieri non posse, ut diis, hominibusque occultum semper quidquam sit. Nam, si loqueretur de solis hominibus, auferri negantem particulam paterer; sed deos, hominesque conjungit. Itaque suspicor scriptum fuisse in emendatis libris, *nequaquam potest id quidem*. Ex quo alii postea, errore, ac temeritate, reposuerint, *quamquam*: unde alii, examinata, & cognita sententia, addiderint, *non*, ex ingenio scilicet: nam, ut dixi, veteribus in libris *non* extat. Sunt, qui legant: *Neque potest id quidem*. *Non potest id quidem*: nihil enim diis, & hominibus ignotum semper esse potest.

CAPVT X.

COllegæ) *Collega* tres mei. *Collegæ*: in consulatu. Livius, Dionysius lib. V. Plutarch. Florus lib. I. cap. 9. Eutropius lib. I. cap. 11. Aug. de Civ. Dei lib. II. cap. 17. hoc Bruti facinus contra jus, & bonum factum commemorat. Obsequens observatum esse dicit, neminem, qui magistratum collegæ abrogasset, annum vixisse: quorum primus fuit Brutus, deinde Tiberius Gracchus, & P. Tarquinius.

In Regibus expellendis) Vnum regem expulit Brutus, sed in posterum omnem sustulit regnandi consuetudinem.

Ipsi Collatino) Vtpote civi patriæ studioso.

At in eo rege) De Romuli fratricidio Augustinus de Civ. Dei lib. III. cap. 6. Horatius Epodon Ode 7. Ovidius Fast. IV.

Pietatem) Quia fratrem.

Humanitatem) Quia hominem.

Muri caussam) Legem enim Romulus tulerat, ne quis mœnia transiret.

Vel Quirini, vel Romuli) De Quirino, vel Romulo, vide Lactantium lib. I. cap. 15. A Quirino, Quirites: a Romulo, Romani dicti: alterum a deo, alterum ab homine nomen.

Perturbantur officia in amicitiis) Nam propter amicos plurimum delinquitur.

Fidem) *Fides*, ut ait Cicero horum librorum primo, *est, cum fit, quod dicitur*. Pro Rabirio perfidiosum, & nefarium ait *frangere fidem*. Pro Sex. Roscio: *Is, qui fidem violat, omne commune præsidium oppugnat*. Vide Paullum patrem ad. I. epistolam Familiarium.

Nec si judex quidem erit) Amicitiam, & odium a judice abesse debere, ait Cæsar apud Sallustium. Vbi vide nostra Scholia.

Vt perorandæ litis) Sic novem mei. Quatuor, & Tertii, *orandæ*: quomodo citat & Nonius, interpretans pro *agere*. Vnus, *parandæ*. *Litis*: sic omnes mei, & Tertii. *Perorandæ litis tempus*) Vide Plutarchum in Ciceronis vita, de ejus prætura, in Manilii caussa.

Iurato) Iurati ii dicuntur, qui in leges, antequam judicarent, jurare consueverunt.

Divinius) Hinc Horatius *mentem divinæ auræ particulam* dicit. De Senectute ait Cicero Pythagoreos numquam dubitasse, quin homines animum haberent ex universa mente divina delibatum.

Damonem, & Pythiam) Par amicorum, quos celebravit antiquitas; lib. I. & II. de Fin. Tusc. V. Valer. Max. lib. IV. cap. 7. Lactantius lib. V. cap. 18. Simile exemplum de Dionysio

nysio memorat Hyginius cap. 257. sed ibi *Mœrus*, *& Selinuncius*, nominibus, fortasse immutatis, par amicorum legitur, Paria amicorum apud antiquos, Theseus, & Pirithous: Pylades, & Orestes: Scipio, & Lælius: & hi Damon, & Pythias. *Pythiam*: *Phytiam*, unus. *Phithiam*, septem. *Phitiam* duo, *Pithiam*, unus. *Pynthiam*, Tertii liber. Alii scribunt esse in scriptis libris, *Panchiam*, *Pinthiam*, *Phintiam*: quomodo a Plutarcho, & Pausania nominatur. Fulvius Vrsinus Numisma æreum ait esse, sic inscriptum: ΦΙΝΤΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Φιντην, amicum, Pindarus appellat: quasi Φιλιτην, sive Φιλοτην.

Commendandorum suorum caussa) Interpretes hoc loco scribunt, id est, ut suos amicis commendaret. Quod ferri potest. Duriuscule tamen dictum mihi videtur. Potiusque locum corruptum opinor; legendumque, *commonendorum suorum caussa*; id est, ut moneret suos, & sui exemplum ipsis proponeret; quod moribundorum e consuetudine esse, quivis intelligit.

Monet autem hic locus peropportunus, ut veteris testamenti faciendi ritum hic ponam, tum quia ad antiquitatis notitiam pertineat, tum etiam quia non apud omnes, quæ afferam, reperiuntur; ex quibus me non parvam apud studiosos initurum esse gratiam confido, qui hæc, atque alia ejusmodi undique conquisita, studiosissime conservavi.

L. Cuspidii Testamentum.

DEi Opt. Max. numine invocato, absque cujus nutu, neque quidquam rite inchoari, neque recte perfici potest. Hæc est *Lucii Cuspidii* dispositio, & ultimæ voluntatis sententia, de eo quod post mortem suam fieri cupit, decernitque, si quid ex hoc morbo, quem nescit, an ferre possit, secus, ac medici promittunt, de se contigerit. Testatus autem, dum mente valeret, sibi testamentum conficere placuisse, ut sine suorum injuria, ex hac vita proficiscatur, hæc legat. Domesticam omnem supellectilem Nonio, qui Apolloniæ Rhetoricam docet, vel, si quid de eo accidisset, Nonii filiis, P. & Cn. Cæciliis. Porro, quæ mihi debet Q. Æmilius, Germano Æmilio, liberisque ejus relinquo. Agros, Villasque, quascumque Liscii habeo, Domumque consobrinis, & Lucio præcipue, quod nomen is ferat nostrum, mecumque diutissime, atque gratissime sit commoratus, prout decet discipulum, qui filii tenet locum, tuto hæc, & firmiter possidenda censemus. Fundum, quem in Tusculano colui, cui ab Aquilone publica via, ab Austro Templum Iovis Statoris, ab Ortu Solis Sex. Pomp. ab Occasu Suillus Cincinnatus, Attico avunculo do. Dabit autem Hipparchus Philotimo Historico Talentum, & Callino Grammatico Drachmas decem. A reliqua debitione liber esto. Nisi Niccæ rationem haberemus, qui nobis aliquandiu fuit perutilis, & nunc suis facultatibus magnam fecit jacturam, ob fratris naufragium, profecto, quæ a nobis mutuatus est illius Procurator, statim cogeretur reddere. Quoniam vero hoc illi difficile fore animadverti, volo, ut singulis annis victum necessarium Collactaneæ Dorphylæ suppeditet, quæ consenuit in virginitate apud Semproniam meam, cujus desiderio mortem opto, propter fidem, probitatem, fortitudinem, incredibilesque virtutes Vxoris rarissimæ. Vbi Vetula hæc decesserit, absolutus erit debito omni, & cunctis, quas contraxerat, stipulationibus. Si quid humanum Lampridio contigerit, priusquam ejus liberi ad ætatem perveniant, curæ sint Antiocho Rhetori: qui accipiat ex opibus nostris, quæcumque illis erunt necessaria, ut liberaliter educentur, instituanturque. Amo nimis, & valde amo Puerorum indolem, quos ad bonam frugem natos autumo. Tu Antioche, ut dignum est tua erga me, & Lampridium voluntate, a pueris mutuo suscepta, fac, ut eos tueare; ne aut ipsorum ingenia perdantur, aut tui labores disperdantur. Hortum, quem emi ab Herennio, & Deambulationem, Ædesque Nestorianas, quibus a Septemtrione vicini sunt Cæsariani fratres, Gracchi a Meridie, ab Occidentali plaga Mare, ab Oriente Sole Eridanus est conterminus, amicis

cis lego, litteratas litteras doctis, Gallo, Fabio, Hirro, Civibusque cunctis, qui voluerint ibi vacare litteris, & eloquentiæ: ea tamen lege, ut neque illum commutent, neque alienent, neque, ut proprium, cuiquam sit licitum possidere: sed velut sacrum, & commune Gymnasium, communiter ab omnibus possideatur. Eas autem, quæ mihi erant in Ægina partes, dividant Gymnasii Procuratores adolescentibus studiosis in usum librorum, & olei, mercedemque condignam statuant Rhetori, quem delegerint patrueles nostri, & Scholæ principem, maximeque utilem futurum existimaverint. Eis vero consentiant & reliqui necessarii vel nominis gratia. Cavebunt autem ipsi, mandabuntque Successoribus, ut locum hunc ita servent, tradantque posteris in perpetuum. C. Ateius, & Sex. Capito curam habeant Sepulturæ, & funeris, Monumentumque faciant, ut melius videbitur, & justa, quæ post funus fieri solemne est, ita moderentur, ut neque illiberalia, neque superflua sint. Persuasum enim mihi est, illos, quid conveniat, honestumque sit, visuros haud segnius, quam nos, nihilque negligentius facturos. De iis autem, qui mihi servierint, sic statuo.

Demetrio redemtionis pretium remitto, & quinque Minas do, & Pallium, & Tunicam, ut qui mihi Anagnostes fuit. Tauro, qui multum mecum, & diu laboravit, pileum do, & Talenta quatuor, ut honeste vitam degere possit. Dionysius, qui vinctus est, & Syrus fugitivus, si perseveraverint esse improbi, ut sunt, eos venundari mando: &, pretio exacto, aperiri viam ad Hortos Academicos ducentem, & iter proximum, fieri viam, & publicam, ac vicinales vias circumquaque mundari. Et Ancillam Hermiam, quod vinosa est, relinquo: & famulos Mæsum, quoniam erro est: & Getam, quoniam impostor: Davum quoque, ac Maurum mancipes in perpetuum esse edico, quoniam maledici, & contumaces semper fuerint, ut in pistrino pœnas promeritas luant.

Heredem instituere reliquum est, cui fortunas meas honeste relinquam, quibus certo scio inhiare quamplurimos. Vixisses, LÆTE fili, fili mi, vixisses (ut decuit) Læte, non ego nunc sollicitarer, & angerer, non cum mœrore nunc cogitarem, quibus potissimum relinquam patrimonium hoc tantum, tantis curis, cruciatibus tibi uni auctum, tanta vigilantia, studio & parcimonia tibi uni a me servatum. Ceterum, cum sive Fortuna, si qua est, illum mihi inviderit: sive Deus potius, qui & eum dederat, abstulerit, quo domus mea omnis, resque una mecum intereat, nefas est, Divinæ non acquiescere voluntati. His deductis Legatis, cum duos fratris Agathonis filios, totidemque filias habeam, ex utrisque mihi heredes instituam oportet. In quo tamen (me me tristissimum) etiam atque etiam providendum mihi est, ne quid agam, statuamve, quod minus honestum illis, & conveniens, quodque minus æquum, laudabileve aliis factum videatur. Igitur Titus, & Cnæus Cuspidii ita mihi heredes sunto, ut, qui plus Reipub. præstiterit, habeat Domos, Agros, Hortos, Oliveta, & quæcumque Scodræ possedi: Qui minus profuerit, quæ superiore anno Colchinii centum octoginta supra mille jugera comparavimus, consequatur. In reliquis autem bonis meis omnibus, inque familia Faustam, & Felicianam, filias meas, ita mihi heredes instituo, ut quæ melius nupserit, ex Dodrante, Altera ex Quadrante heres habeatur. Et invicem substituo tam has, quam illas, cum suis filiis, in stirpes, non in capita. Permitto autem filiabus, ut, quem quæque earum voluerit, sibi virum optet, optatique per patriam potestatem compos fiat. Curatores testamenti hujus, Silius, Necessarius, C. Atilius, M. Capitolinus, qui maxime omnium viro me affectu prosecuti sunt, quique ex omnibus amicis, ac necessariis fidelissimi semper fuerunt. Vos igitur, per sacra amicitiæ, atque condiscipulatus, obtestor, per summum omnium Opificem obsecro, curate, memores, quantum vestræ fidei committam, ut omnia mea ex sententia apud vos deposita, bene, honesteque gubernentur. Verum enimvero pie, amiceque & alii facient, qui nobis bene voluerunt: quamvis occupati, & seniores, si hæc impleverint,

verint, curaverintque.

Testes in his tabulis sint, Q. Marcius, C. Septimius. P. Curio, L. Capito, M. Terentius, Vibius Pansa, C. Sextius, qui affuerunt, subscripseruntque, ut sua ipsorum littera cognosci possit. Ego idem ille L. Cuspidius testamentum manu mea exaravi, meoque anulo obsignavi, hisque testibus signandum obtuli. Et hanc meam novissimam voluntatem valere volo jure testamenti, quod si forte non censebitur, nomen, & jus habere mando cujuscumque alterius ultimæ voluntatis, quam penitus, & inviolabiliter observari ab omnibus heredibus, & successoribus meis statuo. Valete superstites, mortalitatis non immemores.

Romæ, Kal. Martiis, Cn. Pompilio, & L. Marcio Coss.

Fr. Petrarchæ Testamentum.

SÆpe de eo mecum cogitans, de quo nemo nimis, nisi pauci satis, cogitant, de novissimis scilicet, ac de morte: quæ cogitatio neque superflua esse potest, neque nimium festina: & mors omnibus certa sit, & hora mortis incerta: utile, & honestum credo, antequam me mors impediat, vel mors ipsa, quæ per varios, & ambiguos rerum casus semper nobis impendet, propter vitæ brevitatem procul esse non potest, nunc Dei gratia, dum corpore simul, atque animo sanus sum, de me ipso, ac de rebus meis testanda disponere; quamvis (ut verum fatear) tam parvæ res sunt meæ, ut de ipsis quodam modo pudeat me testari: sed divitum, atque inopum curæ de rebus (licet imparibus) pares sunt. Volo igitur hanc meam voluntatem ordinare, ac scriptis committere, & propter quamdam honestatem, & ob id maxime, ne de hujusmodi reculis meis, propter meam incuriositatem, post meum obitum litigetur. In primis animam meam peccatricem, sed Divinam misericordiam implorantem, & de illa sperantem, recommendo humiliter Iesu Christo. Eique, flexis ipsius animæ genibus, ut a se creatam, suique sanctissimi sanguinis pretio redemtam, protegat, affixius supplico: nec permittat ad suorum manus hostium pervenire. Ad hoc etiam auxilium beatissimæ Virginis Matris suæ, & beati Michaelis Archangeli, reverenter, ac fidenter imploro, & sanctorum reliquorum, quos intercessores apud Christum invocare sum solitus, ac sperare. Corpus autem hoc terrenum, ac mortale, nobilium gravem sarcinam animorum, terræ, unde origo est sibi, volo restitui. Et hoc absque omni pompa, sed cum summa humilitate, & abjectione, quanta esse potest. De quo heredem meum, & amicos omnes rogo, obsecro, & obtestor, & adjuro per viscera misericordiæ Dei nostri, & per caritatem, si quam ad me umquam habuerint: neque falsi spem honoris hoc negligant. Cum sic omnino me deceat, ac sic velim: ita ut, si forte (quod absit) contrafecerint, teneantur Deo, & mihi de gravi utriusque offensa in diem Iudicii respondere. Et hæc quidem de domo sepulturæ, hoc addito, quod nemo me fleat, nemo mihi lacrymas, sed pro me Christo preces: &, qui potest, Christi pauperibus caritatem, pro me orare monitis, porrigat; hoc mihi prodesse poterit: fletus autem, & defunctis inutilis, & flentibus est damnosus. De loco autem non magnopere curo. Contentor poni ubicumque Deo placuerit, & iis, qui hanc curam suscipere dignabuntur. Si tamen expressius mea de hoc voluntas exquiratur, sepeliri velim, si Paduæ, ubi nunc sum, moriar, in Ecclesia S. Augustini, quam Fratres Prædicatores tenent: quia & locus animæ meæ gratus, & jacet illic is, qui me plurimum dilexit, inque has terras piis precibus attraxit, præclarissimæ memoriæ Iacobus de Carraria, tunc Paduæ dominus; si autem Arquadæ, (ubi ruralis habitatio mea est) diem clausero, & Deus mihi tantum concesserit, quod valde cupio, capellam ibi exiguam ad honorem beatissimæ virginis Mariæ exstruere, illioque sepeliri eligo, alioqui inferius, in aliquo loco honesto, juxta Ecclesiam plebis. Sin Venetiis moriar, poni volo in loco S. Francisci de Vinea, illic ante ostium ecclesiæ. Sin Mediolani, ante ecclesiam B. Ambrosii juxta primum introitum, qui civitatis mu-

ros aspicit. Si Papiæ, in Ecclesia S. Augustini, ubi fratribus visum fuerit. Si autem Romæ, in Ecclesia S. Mariæ majoris vel S. Petri, ubi erit opportunius, vel juxta ecclesiam hanc, vel illam, sicut Canonicis placebit. Nominavi loca, quibus per Italiam conversari soleo. Ac, si Parmæ, in ecclesia majori, ubi per multos annos Archidiaconus fui inutilis, & semper fere absens. Sin ubicumque terrarum alibi, in loco Fratrum Minorum, si sit ibi: sin minus, in quacumque alia ecclesia, quæ vicinior fuerit loco mortis. Hæc de sepulcro: plura fateor, quam virum doctum deceat, ab indocto dicta sint; nunc accedo ad dispositionem earum rerum, quæ vocantur bona hominis; cum potius sæpe sint impedimenta animi. Et primo quidem huic S. Ecclesiæ Paduanæ, unde percepi & commoda, & honores, ordinavi animum, jampridem pusillum terræ emere: quod eidem testamento dimitterem usque ad summam quinque mille & ducentarum librarum hujus parvæ monetæ, vel plus, si plus possem. Sed ad hanc usque summam habeo jam verbo licentiam a magnifico Paduæ D. D. Francisco de Carraria, quam vel in vita mea, vel post obitum, quoties, seu quandocumque petita fuerit, daturum esse non dubito: sicut illum, cujus non actum modo, sed verba multa habeant in proposito firmitatem: hujusmodi autem terram hactenus, intervenientibus aliis expensis, emere non valui. Si ergo ipsam emero, (ut spero) faciam in instrumento emtionis poni, quod ipsam teneo animo relinquendi ecclesiæ; & ex nunc ita facio. Quamvis ejusdem terræ situm non possim adhuc in scriptis inserere. Si autem (quoniam nonnumquam piæ voluntates, propter peccata hominum, deduci nequeant ad effectum) dictam terram emere vel propter impotentiam, vel propter negligentiam omisero: lego ipsi ecclesiæ Paduanæ ducatos ducentos auri ad emendum aliquantulum terræ, ubi melius fieri poterit. De cujus proventibus perpetuum anniversarium animæ meæ fiat. Et ipsi D. supplico, si tunc vivet (sicut cupio, & Deum precor, ut multos postea per annos lætus, & felix vivat) vel si (quod Deus avertat) tunc ipse non viveret: precor alium quemcumque, penes quem rei hujus erit arbitrium, quatenus ob reverentiam B. Virginis, & mei, licet indigni, & pusilli hominis, respectum, concedat hoc fieri: & decretum super hoc suum favorabiliter interponat. Lego autem ecclesiæ, apud quam sepeliar, ducatos viginti: aliis autem ecclesiis quatuor ordinum Mendicantium (si ibi fuerint) ducatos quinque pro qualibet. Pauperibus Christi lego centum ducatos, distribuendos, ut videbitur presbytero Ioanni Abocheta, custodi ecclesiæ Paduanæ: & hoc, si hic moriar: sin alibi, ad arbitrium prælati ecclesiæ illius, in qua reconditus fuero. Ita tamen, ut de dicta quantitate nullus ultra singulos ducatos accipiat. Transeo ad dispositionem aliarum rerum. Et prædicto igitur Magnifico D. dimitto tabulam meam, sive iconem B. Virginis Mariæ, operis Zotti, pictoris egregii, quæ mihi ab amico meo Michaele Vannis de Florentia missa est. Cujus pulcritudinem ignorantes non intelligunt: Magistri autem artis stupent. Hanc iconem ipsi D. Magnifico meo lego; ut ipsa Virgo benedicta sibi sit propitia apud filium suum Iesum Christum; amicis minoris status, scilicet carissimis mihi, libenter magna dimitterem, si facultas esset uberior: sed affectum librabunt; magistro Donato de Prato veteri, Grammaticæ præceptori, nunc Venetiis habitanti, si quid mihi debet ex mutuo, quod quantum sit, nescio, sed utique parum est, remitto, & lego, nec volo, quod heredi hanc ob caussam ad aliquid teneatur; de equis meis, si quos habuero in tempore transitus mei, qui placuerint Bunzanello de Viguntia, & Lumbardo a Serico, conceivibus Paduanis, volo, quod inter eos sortiantur, quis primum eligat, quis secundum. Et præter hoc dicto Lumbardo, qui rerum suarum curam deposuit, ut res meas ageret, obligatum me confiteor in centum & triginta quatuor ducatis auri, & solidis XVI. quos expendit in utilitatibus meis: & multo amplius; sed, facta ultimo inter nos omnium ratione, dictæ quantitatis sibi debitor remansi; quam si ante

ante acceperit, (sicut spero cito facere) bene erit: alioquin volo, quod heres meus ante omnia sibi satisfacere teneatur: de quo debito chirographum meum habet, quod restituat heredi meo ipse Lumbardus. Item lego ipsi Lumbardo scyphum meum parvum rotundum argenteum, & auratum, cum quo bibat aquam, quam libenter bibit, multo libentius, quam vinum. Presbytero autem Ioanni A-bocheta, custodi ecclesiæ nostræ, Breviarium meum magnum, quod Venetiis emi pro pretio librarum centum: ea tamen lege illud ei dimitto, ut post ejus obitum remaneat in sacristia Paduanæ ecclesiæ ad obsequium perpetuum presbyterorum, ut ipse presbyter Ioannes, & alii orent (si eis placeat) Christum & B. Virginem pro me. D. Ioanni de Certaldo, seu Boccatio, verecunde admodum tanto viro tam modicum lego: quinquaginta florenos auri de Florentia, pro una veste hiemali, ad studium, lucubrationesque nocturnas. Magistro Thomæ Bambasiæ de Ferraria lego leutum meum bonum: ut eum sonet non pro vanitate seculi fugacis, sed ad laudem Dei æterni. Prædicti autem amici mei de parvitate hujusmodi legatorum non me accusent; sed fortunam, si quid est fortuna. Et propter hunc respectum distuli ad ultimum, quem primum esse decuit, magistrum Ioannem de Dundis, physicum, astronomorum facile principem, dictum ab Horologio, propter illud admirandum Planetarii opus ab eo confectum, quod vulgus ignarum Horologium esse arbitratur. Cui lego quinquaginta ducatos auri pro emendo sibi unum parvum anulum digito gestandum in memoriam mei. De facultatibus autem domesticis sic ordino. Bartholomæo de Senis, qui dicitur Pancaldus, viginti ducatos, quos non ludat. Zilio de Florentia, domicello meo, supra salarium suum, si quid sibi debetur, viginti ducatos. Et, si haberem plures, aut alios plures, paucioresve domicellos, supra salarium suum, pro quolibet florenos, seu ducatos X. famulis duos, pro quolibet coco duos. Et, si isti, vel amici obiissent, vel domicelli, seu famuli obiissent priusquam moriar, quod eis legabam, volo, ut redeat ad heredem meum. Omnium sane bonorum meorum mobilium, & immobilium, quæ habeo & habiturus sum, ubicumque sunt vel erunt, universalem heredem instituo Franciscum de Brossano, filium q. d. Amicoli de Brossano, civem Mediolani, portæ Vercellinæ. Et ipsum rogo, non solum ut heredem, sed ut filium carissimum, ut pecuniam quamcumque, sive sit plurima, sive sit minima, (quia magna utique non erit) meis rebus invenerit, dividat in duas partes, & unam sibi habeat, alteram numeret cui scit me velle, & de ea fiat, quod etiam me velle scit. Duo, antequam finiam hanc scripturam, addenda sunt: unum, quod modicum illud terræ, quod habeo ultra montes in comitatu Venusini, in villa, seu castro Valclusæ, diœcesis Tavilicensis, quia sine dubio, eundo illuc, vel etiam mittendo, quodammodo plus expenderetur, quam res valeat: volo, quod sit hospitalis dicti loci, & in usu pauperum Christi. Et, si forte hoc fieri non posset, impediente aliquo jure, vel Statuto, volo, quod sit Ioannis, & Petri, fratrum, q. Raymundi de Raymundis, qui Moneta communiter dicebatur, & fuit obsequiosus, & fidelis mihi valde. Et, si dicti fratres, vel eorum alter obiisset, volo, quod veniat ad filios, vel nepotes, in memoriam dicti Monetæ. Alterum, quod illud modicum, quod habeo in bonis immobilibus in Padua, vel territorio Paduano, vel in posterum habiturus sum, volo, quod sit heredis mei, ut cetera: sed hac lege, quod nec per se, nec per alium horum aliquid alienari possit, venditione, aut donatione, aut perpetua emphytheusi, aut quovis alio modo; nec etiam pignorari usque ad completos XX. annos, a die mei obitus computandos: quod pro utilitate ipsius heredis ordino: qui ignorantia rerum labi posset, quas cum plene noverit, puto non libenter alienabit. Sin autem forte, quia omnes sumus mortales, nec omnino ullus est ordo moriendi, dictus Franciscus de Brossano (quod avertat Deus) ante me moriatur: tunc heres meus esto Lumbardus a Serico prædictus, qui plane animum meum novit: quem, ut

M 3

tio, obtrectatio, ira, invidia solicitare nostros animos solet; quidquid in hos admisi, quidquid amari a me acceptum referunt, oro, obtestorque per commune consortium, & spem misericordiæ, quam a Domino judicandi exspectant, ut id omne deponant, injurias condonent, & placentur defuncto, eam requiem fratri optantes, quam de se impetrari a Domino cupiunt. Exsecutori, quem in calce testamenti designo, hoc officium pietatis relinquo, ut, si ita indulgeat Pontifex, primo post obitum Consistorio hanc veniam, & remissionem non inanis gloriæ, sed salutis caussa meo nomine suppliciter petat; identidem postulans, ut, quæ dispono, quæ testor, pius Pastor paterna indulgentia probet, & non mutet, familiamque meam de me fideliter meritam pie consoletur, & juvet. Ut vero ad gloriam Dei, & integritatem communionis fidelius perseverantis licet peccatoris servi pateat fides, alta voce profiteor tenuisse me a lavacro sancti Baptismatis usque in diem præsentem sanctam orthodoxam Fidem Catholicam, symbolum ab Apostolis conditum, expositionem fidei magni Nicæni Concilii: anathematizasse etiam me, & anathematizare omnem hæresim extollentem se adversum sanctam, & immaculatam fidem, in qua, ut dictum est, vivere & mori intendo: hoc sequens confessionis meæ chirographum omnipotenti Deo in extremo judicio repræsentans. Credo &c. Corpus meum contaminatum flagitiis licet indignum sit, cui habeatur honor, sepulcrique facilis sit semper jactura, rationem tamen habens dignitatis, quam dedit Ecclesia, Pontificalis quoque officii, per quod plebi honoratissimæ præfui, sacræ etiam unctionis, qua per invisibilem speciem invisibilis est impressus character, tradi oro ecclesiasticæ sepulturæ, atque iis insignibus adornatum, quæ consuetudo nostri ordinis tulit. Sapiant tamen omnia modestiam funeralem, non seculi pompam. Si Romæ, ut opto, morior, condi cupio in basilica Apostolorum Principis Petri, post altare beati Gregorii, ad dextram sepulcri Pontificis Pii, ut, qui me extulit vivens, mortuus juxta se habeat. Condi illud ipsum humi volo marmore tantum non caro contectum, quod parieti ecclesiæ conjunctum habeat caput. In ipso autem pariete honore defuncti Pontificis ad memoriam meam nil fabricetur. Marmorea tabula ulnis tribus a terra extans parieti inseratur, quæ supra sepulcrum parieti insiti epitaphium sequens incisum bonis litteris habeat.

Luca ortu, Sena lege fuit mihi patria, nomen
Dum vixi Iacobus, mens bona pro genere.
Papa Pius sedem Papiensem detulit, idem
Cardineo ornavit munere, gente, domo.
Quem colui vivens, non linquo mortuus: hic sum,
Et prope sancta patris filius ossa cubo.
Vivite qui legitis, cælestia quærite, nostra hæc
In cineres tandem gloria tota redit.

Sin alibi in Italia obitum meum esse contingat, Romam nihilominus ad hunc ipsum locum volo corpus meum referri, dicta jam ratione humandum. Trans Alpes vero aut mare, in Cathedrali Ecclesia, in cujus vel Civitate, vel Diœcesi mea vocatio fuerit. Tunc vero exsecutoris curæ sepulcrum relinquens, quintum tantum, & sextum versum demi ex epitaphio volo. Ubicumque autem excessero, testamenti institutionem, quæ sequitur, volo.

Impendia funeris, quæ adhiberi ad solamen superstitum magis, quam defunctorum levamen, solent, summam mille ducatorum aureorum veto excedere, in qua includatur etiam vestitus familiæ. Quanto hæc exhibebuntur parcius, tanto erit plenius: unde & illi benefiat, & meæ animæ consulatur. Supervacua nec placent Deo, nec laudes inter homines habent. Transit brevi memoria funeris, diu permanent damna. Tempora in hoc patrum nostrorum magis sunt attendenda, quam nostra, qui gloria benefactorum, non luminum multitudine, illustrari volebant sepulcra. Quidquid amplius sumetur, quidquid plus erogabitur, piaculum exse-

exsecutoris sit, non peccatum sobria statuentis. Castrum doloris cubito angustius in circuitu sit, quam nostratia soleant. Ipse etiam lectus ad proportionem angustior. Stratum vero lecti, quod pallium dicitur, ad vetus exemplum, ex simplici damasceno violaceo sit, sine ullo omnino auro, aut argento, fimbrias laterum habens ex simplici item damasceno cælestini coloris, in quibus latera singula, singula tantum insignia familiæ habeant. Vero in circuitu Ecclesiæ appendi tot insignium depicta lintea, ludis meo judicio aptiora, quam funeri. Pendeant tantum super altari, in quo Missa major cantabitur, & in circuitu castri, & in edito laterum Ecclesiæ quantum castrum ipsum porrigitur. Eamdem volo esse collocationem funalium, quam & insignium: ardere ea tot in locis sine sacrorum necessitate quem habeant usum, non video. Legem in his libenter exsecutori do, ne honoris sui caussa, ad aliena exempla magis, quam ad se ipsum cogatur respicere. Sermonem enim de his omnem testantis futurum, non exsequatur fidentius. Cereorum quotidiana, & promiscua dispersio, magis quam dispensatio multum auget impensam, nec fructum, qui proponitur, habet. Avaritiæ in his studeri videtur, non orationi. Ad eos rapiendos concurritur undique, ex tota Ecclesia: pugnatur, clamatur, sacra omnia perturbantur, quodque indignius Ecclesia est, ad hos compescendos tumultus publici plerumque vindices adhibentur hastis, gladiisque in domo Domini perstrepentes. Ea ne accidant, precesque non rixæ meum celebrent funus, nolo nisi confidentibus ad orationem, & divina canentibus illos distribui. Per pietatem, quæ debetur mortuis, id non negligat exsecutor funeris. Quaque die in salutem animæ meæ, legantur per devotos Christi Sacerdotes XXX. Missæ tantum. Cum iis una cantetur, qui cantaverit, & prælatus futurus est, ferat in eleemosyna carlinos quatuor in singulis Missis, unum, qui legerit, & his solvendis fidelis adhibeatur minister, qui seipsum, & pauperes, & animam meam non fraudet. Solent, mortuis Cardinalibus, familiares non veri ad accipiendas familiarium verorum vestes accurrere, instare ut dentur, si non dantur, indignari, ac lamentari, ut error non sit, eos vestiri volo, qui in notula, manu mea subscripta, vel anulo meo signata, præsentique testamento inclusa, invenientur appositi, & Capellanis quatuor cannæ, Scutiferis, inter quos Parafrenarios, & primum Cocum, & Cellarium, & dispensatorem nomino, primæ sortis tres: reliquis dimidiam cannam minus, sed secundæ sortis, jubeo dari. Ita tamen, ut diebus funeris ad orationem omnes conveniant, & pro me deprecentur. Hæc ad rationem funeris.

Iovitæ Rapicii Brixiani, Testamentum Venetiis M. D. LII. X. Kal. Iunii conditum.

MOnet me vel annus ætatis sextus, & septuagesimus, vel diuturnis laboribus tenuatum, & imbecille corpus, vel animus variis, ac molestis curis jam prope defessus, ut instare illud tempus credam, quo me bonus, & clemens Imperator Deus ex hac quasi statione, & præsidio vitæ mortalis imperet decedere, & eadem illa, qua hoc, quod sum, finxit natura dissolvat; ego vero, & Deo parere, & naturæ concedere non invitus debeo; nam & ille mihi inter pericula vocatus, & non vocatus semper affuit, & hæc multa mihi liberaliter indulsit; itaque, sive adversa, quæ Deo adjuvante pertuli, mecum repeto, stultus sim, nisi mihi oblatam ab eodem quietem libenter amplectar: sive prosperam naturæ dono valetudinem, & continuatam tam longa ætate sensuum ac mentis integritatem considero, ingratus sim, si jus suum repetenti reluctari voluero, ac non potius æquo quasi plenus vitæ conviva recessero, quod ut præstare constituto melius animo possim, libet, dum est in sano adhuc corpore sana mens, sarcinulas colligere, atque itineri me accingere; magis autem expedite decessurus mihi videor, si prius, quid de re mea post decessum meum velim, diligenter constituero. Quoniam vero sine Divina ope, nihil rectum pro me posse confido,

fido, te Deum Patrem Omnipotentem, te Iesu Christe Vnigenitum Dei Filium, te Spiritus Sancte unum verum, atque æternum, in Tribus Personis Deum supplex invoco, ac tota mente atque animo precor, ut, quæcumque adversus legem, ac voluntatem tuam turpiter admisi, clementer ignoscas, ac præstes, ut, quidquid mihi adhuc ætatis superesse volueris, juste ac pie degam, nunc autem adsis præsens, volensque ac propitius testamentum condenti, & ut es bonus, ac justus, concede, ne quid temere, aut parum officiose decernam, neve scribam, quod aut reprehendi jure, aut probabilem litigandi caussam præstare cuiquam possit. Primum igitur dilectum filium meum Paullum, prudentem Iurisconsultum, ex Antonia Oliveria, bene concordi uxore, susceptum, eo jure, quod excogitari optimum potest, heredem meum ex asse instituo: & quidquid vel immobile, vel mobile possideo, quidquid in nominibus habeo, quidquid denique ad me quovis jure pertinet, id totum illius esse volo: quinetiam, si quid post hoc testamentum rationibus meis, ac rei familiari adjecero, id quoque hereditatis jure ad eum jubeo pervenire. Quoniam vero, si possim, non hæc tantum, quæ fortunæ bona judicantur, ad te fili carissime opto pervenire, paucis tibi ea explicabo, quæ me, jam ad vitæ metas properantem, præterire paternus amor non sinit. Tu, quæ tui amantissimus pater jam moriens mandat, ne contemne, sed (quæ tua est in eum qui te genuit, educavit, instituit, pietas) in bonam partem accipe, & libenter exsequere. Primum in iis, quæ ad divinum cultum pertinent, Apostoli consilio utere, qui nos non vult plus sapere, quam oportet sapere, sed ad sobrietatem sapere: ne curiosis opinionibus ebrii a simplicitate, ac veritate Christiana recedamus: novas omnes opiniones aversare, neque ullo pacto adduci permittas, ut ab honestissimis Romanæ Ecclesiæ institutis umquam recedas: &, quæ a majoribus nostris, & a me ipso servata non ignoras, diligenter serva. Reip. Venetæ, quæ civitatem, ac patriam nostram, in fidem suam suscipiendo servavit, emendavit legibus, ornavit moribus, quam debent subjecti juste imperantibus, fidem, atque observantiam præstato. Brixiam, quæ me amanter ac liberos, & posteros meos in civium numerum admisit, dilige, cole, & observa: publica cum civibus munera libenter subito, & remp. tuæ semper præponito. Agnatos omnes, & affines, ne ut inopes contemnito, sed ut innocentes, & sanguine conjunctos diligito, & non verbis modo, sed re quoque, quantum tenuitas tua patietur, juvato: &, ut paucis multa complectar, quæ adolescens, legum præcepta, didicisti, memoria repete, ac etiam atque etiam vide, ut, quemadmodum cœpisti, honeste vivas: jus suum unicuique tribuas: neminem lædas; ac memineris nihil utilius esse ad opes tuendas atque augendas, quam a multis amari, nihil ad vitam tranquille degendam aptius, quam simultates, & invidiam cavere: liberos tuos, quam diligentissime poteris, & quam celerrime instituendos curato, neque ætatem elabi frustra sinito, & quia non potes amplum, aut saltem sufficiens otiosis patrimonium relinquere, relinque artem aliquam, qua se suosque alere honeste queant, honestatem autem positam puta primum quidem in bonis moribus, deinde vero in eo, ut sibi ipsis possint sufficere, nec aliena ope indigeant; rem multis meis laboribus partam, si reliqueris illis integram, quod boni patris est, feceris: ego tamen, ut id facias, non compello, sed prudentiæ tuæ relinquo. Agnatis omnibus, & affinibus tam mortuis, quam viventibus, si quid debere mihi quovis nomine deprehendentur, id totum libenter condono, eosque omnes sciens volensque absolvo, atque hanc absolutionem quamvis confusam atque implicitam non minus ratam, ac firmam esse volo, quam si rationes omnes, resque, & nomina essent caute & diligenter expressa. Neque enim oblitus sum, cur illis tum crediderim, & nunc possum, si velim, hujus donationis, & absolutionis caussas justas reddere. Marthæ dilectæ filiæ libras sex plane-

neto-

netorum, hoc est duodecim parvorum, item sorori meæ carissimæ bonæ totidem singulis annis, quamdiu vixerint, liberaliter & amanter exhiberi volo, idque semper initio anni, quod initium ab ipso statim obitus mei die constitui jubeo. Te vero, filia dilecta, & te soror carissima rogo, ut hoc quamvis modico legato contentæ sitis, diligenter considerantes tenuitatem meam, & memoria repetentes quantopere vos dilexerim, & quid vestra caussa fecerim. Sepeliri Brixiæ in templo Divi Nazarii desidero eo loco, quem Reverendus ejus Ecclesiæ Antistes D. Fabius Averoldus concesserit. Impensam autem funeris modicam, aut etiam minus quam modicam postulo: & meorum piis precibus juvari malo, quam immensis sumtibus ornari. Teque adeo fili carissime obtestor, ut & in hac re, & in aliis omnibus, tenuitatem rei domesticæ ante oculos semper habeas, frugalitatemque & parsimoniam honestissimum vectigal existimes; erit id tibi, & ad tuendum patrimonium, & ad bonam famam augendam longe utilissimum, mihi mortuo gratissimum: neque tamen hoc mandans te vel avarum vel sordidum fieri velim, sed tuo modulo ac pede te & tua omnia ita metiri, ut sine invidia, & contemtu inter cives nostros vitam ducas honestam pariter, & jucundam. Volo autem uti quot annis anniversarium sacrum pro defunctis familiæ, & agnationis nostræ ad sepulcrum meum faciendum curet heres meus, & successores ejus, pridie Idus Februarias, quo die rectissima femina, & dulcissima mater mea Helena Ravaria sepulta est Bergomi in templo Divi Cassiani, ad aram Divi Nicolai, & pater meus indulgentissimus decennio post, Vicetiæ in Templo Divi Stephani: Laurentius autem pater, & Eleutherius filius eodem anno, quo mater, alter Romæ, alter Patavii diem suum obierunt, quos omnes volo hujus sacri participes, ut, qui me tota vita peregrinantem non destituerunt, aliquem pietatis in se meæ fructum etiam post mortem capiant. Die vero depositionis meæ, volo centum sextantes erogari in eleemosynam centum pauperibus, qui juxta sepulcrum meum flexis genibus clara voce dixerint, Domine miserere illius, omnes Sancti orate pro eo; ut autem hoc servetur fidelius, huic legato non modo heredes, & successores meos, sed omnia mea bona perpetuo obligata esse jubeo collegio Canonicorum Sancti Nazarii, ut ab heredibus etiam invitis possint quotannis exigere libras quinque tam pro anniversarii celebratione, quam pro eleemosyna eroganda. Te vero fili carissime, per longam indulgentiam erga te meam peto, ut, si quid apud te valent vota mea, diligas Laurentium, quem ego ex Paula Catarensi susceptum, ex Laurentii fratris, & meo, & gentis Rhamnusiæ nomine, in cujus clientela eram, Laurentium Iovium Rhamnusianum vocari volui, ut tu eorum, qui te dilexerunt, & juverunt precibus admonitus eum diligeres, & orbum atque inopem (si qua via posses) adjuvares, nec eum qui mihi carus est, mendicare patereris. Vix. Ann. LXXVI. M. VI. D. I. Ob. MDLIII. XVII. Kal. Sept.

Et, quoniam testamentorum formulas posuimus, placet Ioannis Boccatii quoque Testamentum adscribere, quod & si Italica lingua scriptum, mutilumque admodum sit, visum est tamen dignum, quod aliis adderetur. Hoc autem est:

che ne desti ve ad ce oriffi voglio sia sepolto certaldo in q dessa dare ad gli amici

Appresso lascio della Chiesa di Sancta Reparata & altrett ti alle mura della Città di Firenze.

Ancora lascio alla compagnia di Santa Maria di Certaldo ⅌, v.

Ancora lascio all'opera della Chiesa di S. Iacopo di Certaldo ⅌, x.

Ancora lascio alla Bruna figlivola che fu di Ciango da Monte Magno la quale lungamente è stata con meco il letto nel quale era usa di dormire ad Certaldo, cioè una lettiera dalbero. j. coltricetta di penna. j. piumaccio una coltre bianca piccola da quel letto. j. paio di lenzuola buone. j. pancha che star suole ad pie di quel letto. Et oltre acciò un desco piccolo da mangiare dassi di noce. ij. tovaglie menate di lunghezza bra. vi. luna. ij. tovagliole convenevoli. j. botticello di. iij. soma. Et oltre ad

cio

cio una roba di monchino foderata di Zendado porporino gonnella & guarnacca & cappuccio. Et encora voglio che essa di quello che avere dovesse di suo salario di resto da me, sia interamente pagata.

Ancora lascio che ciascuna persona laquale si truova scripta nel libro delle mie ragioni soprasegnato A. che da me debba avere sia interamente pagato & oltre accio ciascuno altro che giustamente mostrasse di dovere avere. Et pergare le dette quantità & lascio voglio che glinfrascripti miei executori ogni mio panno masserizia grano e viada e vino e qualunque altra cosa mobile exceptuati i libri, & lescripture mie possano, e debbano vendere, o far vendere, & dove delle decte mie cose mobili non savesse tanto che bastasse à decti pagamenti, voglio possano vendere & alienare de miei beni come potrei io medesimo vivendo, & maximamente una casa posta in Certaldo nel popolo di saiacopo di Certaldo ad cui da. j. via chiamata Borgo dal. ij. fornaino dandrea di mess. benghi dal terzo via nuova dal. iiij. il decto testatore, e non bastando questa possan vendere de gli altri miei beni come decto è.

Ancora lascio che tutti i miei libri sieno dati e conceduti ad ogni suo piacere al venerabile mio Maestro Martino dellordine de frati heremitani di sancto Agostino e del convento di Sancto Spirito di Firenze, li quali esso debba & p. tenere ad suo uso mentre vive. si veramente che il decto Maestro Martino sia tenuto e debba pregare Iddio per lanima mia, & oltre far copia ad qualunque persona li volesse di quegli libri li quali composti. Et ancora che esso debba con queste medesime condizio.

Seconda faccia.

vecchio cau haveva fatta venire per entro delle era croce di xpo, & una cassa la quale va facta tenerui entro le decte reliqui tutte date senza alcuna zione a frati di sancta Maria di san sepolcro overo del poggetto o dalle campora chessi chiamino, liquali dimorano vicini della citta di Firenze poco fuori delle mura accio che quante volte reverentemente le vedranno preghino idio per me.

Ancora lascio e voglio che una imaginetta di nostra dona dalabastro. j. pianeta con istola & manipolo di zendado vermiglio & j. palio piccolo da altare di drappo vermiglio lucchese & un guancialetto da altare di quel medesimo drappo & iij. guaine da corporali & j. vaso di stagno da acqua benedecta, & j. palietto piccolo di drappo foderato di zendado giallo tutte sie date a glioperai di saiacopo di certaldo & essi operai gli debbano guardare e salvare mentre durano a servigi della detta chiesa di saiacopo & far pregare idio per me.

Ancora lascio & voglio che una tavoletta nella quale è dalluna parte dipincta nostra donna col figlivolo in braccio & dallaltra un teschio di un morto sia data ad Madonna sandra la quale oggi è moglie di francieseo di lapo buonamichi.

Appresso ad tutto questo intendo e voglio che oltre alle predecte in ogni mia cosa cosi mobile come stabile sieno miei heredi universali i figlivoli di iacopo di boccaccio mio fratello quegliche al presente sono e che nel futuro nasceranno legiptimi e naturali cosi maschi comme femine si veramente che ogni fructo il quale de predecti miei beni si ricogliera o trarra debba pervenire nella casa del predecto iacopo & ad esso aspectare & pertenere ladministrazione di quegli in nutricare se & la moglie, & quegli figlivoli li quali aura. Appresso intendo che de detti miei beni i predecti miei heredi non debbano ne possano vendere in altra maniera alienare o impegnare alcuno insino ad tanto che alla eta danni trenta compiuti pervenuti non sieno, & allora vivendo iacobo predecto far nol possano senza suo consentimento, e piacere riservato nondimeno che dove bisognasse di pagare la dote dalcuna loro sirocchia, che maritassono allora voglio possano con lautorita de lor tutori se in eta daccio fossono. Similmente intendo che imperpetuo insino ad tanto che alcuno de discendenti di boccaccio ghellini nostro padre per linea masculina si trovera etiandio che non fosse legiptimamente nato si possa vendere o alienare in al-

in alcuna altra guisa . . casa mia posta in certaldo nel popolo di saiacopo della quale questi

Principio della terza faccia.

heredi percioche in pup o intendo che sieno po gavacciani Piero nigane gelmo barduccio di cher francesco di lapo bonan di torino benciveuni . & Iacopo di Boccaccio lor padre & mio fratello . Et intendo che quello che costoro o la maggior parte di loro o di quegli che allora vivi saranno faranno intorno a fatti de detti miei nepoti, vaglia & tenga ne possa essere per gli altri rivocato o anullato o permutato .

Appresso in executori & fedeli commessarii del mio presente testamento overo ultima volunta eleggho & priego che sieno questi che appresso scrivo . Il venerabile mio padre, & maestro Martino da signa del lordine de frati heremitani di Santo Agostino di firenze . Barduccio di cherichino . Francesco di lapo Bonamichi . Agnolo di torino Bencivenni & Iacopo di Boccaccio mio fratello a quali do piena balia & autorità di vendere & alienare del mio o de miei beni quello, che conosceranno essere opportuno alla detta executione in loro per me fatta . Et intendo che quello che la maggior parte di loro di quegli che allora vivi saranno si fara o adoperera intorno alla detta execuzione sia fermo & rato etiandio contradicendolo gli altri ne si possa per gli altri mutare . Et questo intendo sia il mio testamento, & ultima volunta da a rivocando & annullando ognaltro testamento il quale insino a questo di fatto avessi &c.

Vas) Paulus ex Festo . Vadem, sponsorem significat datum in re capitali . Græcis ἐξηγγυημενοι, qui vadimonio sunt obstricti, eaque lege dimissi, ut in certum diem sistantur.

Si ille non revertisset) Sic omnes mei, & Tertii . Male alias, *si ille non revertisset ad diem* .

Moriendum esset sibi ipsi) *Moriendum esset ipsi*, quattuor, & Tertii . *Moriendum esset ipsi sibi*, unus . *Moriendum esset etiam sibi ipsi*, unus . *Moriendum esset etiam ipsi*, unus .

In amicitiam tertium adscriberent) *Ad amicitiam*, octo, & Tertii . *Scriberent*, unus .

CAPUT XI.

IN Corinthi disturbatione) De Bello Achaico lib. I.

Æginetis) Vide Valerium lib. IX. cap. de Crudelitate, Plutarchum in Lysandro, Thucydidem lib. VIII. Xenophontem lib. II. Ælianus in Variis hanc historiam mendose refert . Servius Sulpicius ad Cic. Fam. lib. IV. ep. 5. *Ex Asia rediens, cum ab Ægina Megaram versus navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere; post me erat Ægina, ante Megara: dextra Piræeus, sinistra Corinthus*. Æginam Atticus quidam Piræeo velut oculis mucum eximendum censebat . Plutarchus in Demosthene .

Cannensi calamitate) Livius lib. XXII. Florus lib. II. cap. 6.

Athenienses &c.) Vide Isocratem in Panegyrico, & Maximum Tyrium Sermon. 3.

Troezene) Troezenios Pomponius Mela fide societatis Atticæ illustres appellat .

Naves conscenderent) Themistocle suadente .

Cyrsilum quemdam, &c.) Locus hic a Demosthene pæne exscriptus videtur, apud quem hæc sunt in oratione pro Ctesiphonte: Και ταυθ' ὑτω σεμνα, και προσηκοντα τοις ὑμετεροις ηθεσιν ὑπελαμβανετε ειναι, ὡς τε και των προγονων τες ταυτα πραξαντας μαλις' επαινειτε, εικοτως. τις γαρ ὐκ αν αγασαιτο των ανδρων εκεινων της αρετης, οἱ και την χωραν και την πολιν εκλιπειν ὑπεμειναν εις τας τριηρεις εμβαντες ὑπερ τυ μη το κελευομενον ποιησαι; τον μεν ταυτα συμβυλευσαντα Θεμιστοκλεα στρατηγον ἑλομενοι. τον δε ὑπακυειν τοις επιταττομενοις, αποφηναμενον Κυρσιλον καταλιθωσαντες, ὐ μονον αυτον, αλλα και αἱ γυναικες αἱ ὑμετεραι γυναικα αυτυ. ὐ γαρ εζητυν οἱ τοτε Αθηναιοι ὐτε ῥητορα, ὐτε στρατηγον, δι' ὁτυ, δυλευσουσιν ευτυχως· αλλ' οἱ δε ζην ηξιυν, ει μη μετ' ελευθεριας αυτοις εξεσαι τυτο ποιειν. ἡγειτο γαρ αυτων ἑκαστος ὐχι τῳ πατρι και τη μητρι μονον γεγενησθαι, αλλα και πατριδι. διαφερει δε τι; ὁτι ὁ μεν τοις γονευσι

γονευσι μονον γεγενησθαι νομιζων, τον της ειμαρμενης, και τον αυτοματον θανατον περιμενει· ὁ δε και τη πατριδι, ὑπερ τυ μη ταυτην επιδειν δυλευυσαν αποθνησκειν εθελησει, και φοβερωτερας ἡγησεται, τας υβρεις και τας ατιμιας, ἁς εν δυλευυση τη πολει φερειν αναγκη. *Atque ea vos ita splendida, & convenientia vestris esse putabatis, ut & e majoribus vestris eos, qui hæc fecerunt, maxime laudetis, nec injuria. Quis enim non admiretur virtutem illorum virorum, qui & regionem, & urbem relinquere voluerunt, triremibus conscensis, ne imperata facere cogerentur? & ejus rei suasorem Themistoclem ducem elegerunt? Eum autem, qui pronunciarat imperium exequendum esse, Cyrsalum lapidarunt, non ipsum solum, sed & mulieres vestræ uxorem ejus. Non enim illius temporis Athenienses quærebant vel oratorem, vel ducem, per quem feliciter servirent; sed nec vivendum sibi censebant, nisi eum libertate vivere liceret. Nam quisque eorum putabat, se non patri, & matri dumtaxat esse natum, sed etiam patriæ. Quid vero interest? quod is, qui se parentibus tantum natum esse putat, fatalem, & naturalem mortem exspectat; qui autem & patriæ: is, ne hanc servire videat, emori volet: & magis metuendas esse ducet contumelias, & ignominias, quas in serviente urbe ferre necesse est, quam interitum.*

Classem Lacedæmoniorum) Vide Plutarchum in Themistocle, & Aristide, & Valerium lib. VI. cap. 5.

Gytheum) Polybius, Ptolemæus, Strabo, Plutarchus, Demosthenes in Orat. de Cor. Livius lib. XXXIV. Gytheum opidum omnium maritimarum rerum Lacedæmoniis receptaculum dicit.

Audivisses) *Audivisset*, novem, & Tertii. Vnus, *audiret*.

Piratas immunes) Vide Plutarchum in vita Pompeii, Florum lib. III. cap. 6. Epitomem Liv. XCIX. Velleium lib. II. Oros. lib. VI. cap. 4. Eutrop. lib. VI. cap. 4. de Vir. Ill. cap. ult. Cic. pro lege Manilia, Plin. lib. VII. cap. 25. & 26. & lib. XXXVII. cap. 2. Valerium lib. VIII. cap. 16.

CAPVT XII.

HOc enim ipsum utile putare, quod turpe sit calamitosum est) Felicitas enim, & calamitas maxima ex parte in animis, & moribus sita est. Της αληθινης ευδαιμονιας, ait Plutarchus, εν ηθει, και διαθεσει το πλεισον εςι. *In moribus, atque animi affectione veræ felicitatis maxima pars sita est.*

Ab Alexandria profectus Rhodum) Hunc locum, recitat Nonius, omissa particula *ab*, & voce *profectus*: cum quo faciunt tres mei, & Tertii liber, & Iulii Galli quoque. *Alexandria profectus Rhodum*, tres.

Diogeni Babylonio) Licet igitur interdum a præceptoribus dissentire, modo id modeste fiat. Diogenes præceptor fuit Antipatri, Antipater Panætii, Panætius Posidonii: lib. I. de Div.

Iure civili) Quod non ita late patet, ut jus gentium, id est naturæ.

Quid agis) *Quid ais*? Quatuor, & Tertii. In uno neque, *Agis*: neque, *Ais*.

Vicissim, & æque communis utilitas) *Vicissimque communis utilitas*, unus, & Tertii. *Vicissim & communis utilitas*, unus. *Vicissimque & communis utilitas*, tres.

Quid iis adsit & commoditatis) *Et*, non est in decem, & Tertii. *Vtilitatis*, unus.

Quis sit finis bonorum) *Qui*, duo, & Tertii. *Quid* unus.

Siquidem inter homines natura meministi conjunctam societatem) *Siquidem meministi esse inter homines natura conjunctam societatem*, decem, & Tertii.

Vt nihil suum cujusque sit) *Cuique*, decem. *Vt nihil cujusquam sit*, Fulvius Vrsinus ait esse in suo vetere libro.

Nec vendendum quidem) *Ne*, duodecim mei. Totum hoc deest in Tertii libro.

CAPVT XIII.

EX altera autem parte) Hæc erat Antipatri opinio.

Pestilentes sint) Sic Diocletianus, & Maximianus lib. IX. C. de Ædil. Edicto, *Pestibilem fundum* dicunt, pro eo, qui letiferam herbam habet.

Erran-

Erranti viam non monstrare) Ex quo versus Ennii lib. I.

Vt homo, qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,
Nihilominus ut ipsi luceat, cum illi accenderit.

Sancitum est) *Sanctum est*, quatuor, & Tertii. *Constitutum est*, unus. *Factum est*, unus, mendose.

Vt quæreremus) Vt quæstionem in medio non explicatam relinqueremus.

Non igitur &c.) Solum honestum, ut Stoici, Cicero sequitur; sentit igitur cum Antipatro.

Obscuri) Qui suam voluntatem non facile ostenderet.

CAPVT XIV.

ORationis vanitatem adhibuerunt) Falsum dixerunt.

C. Canius) Permultæ familiæ Romanæ nomen a bestiis sumserunt, ut *Canii*, *Ovii*, *Galli*, *Porcii*, *Asinii*. De hoc Canio II. de Orat. & ad Att.

Nec infacetus, & satis litteratus) Sic Fam. lib. X. ep. 1. *Nec miror, & gaudeo*.

Argentarium faceret) Αργυροπρακτικην εργαζεσθαι.

Ab iis petivit) Commentum simile de Egestæis Siciliæ populis, Athenienses ad bellum Syracusanum hortantibus, narrat Thucydides lib. VI. argentum enim non solum, sed a finitimis populis commodato acceptum, ostentarunt.

Cymbarum) Cymbæ dictæ a velocitate. Κυμβαι Hesichio, ορνιθες. Vide & Suidam.

Ante oculos) Sic libri veteres. D. Ambrosius, *hortulos*, videtur legisse.

Pro se quisque) Id est, pro virili. Liv. II. *Cum hostes adessent, pro se quisque in urbem ex agris demigravit*. Virg. *Pro se quisque viri*.

Emit instructos) Quibus nihil, quod usui, & ornamento sit, deesset.

Nomina facit) Id est, Nomina in libris apparere facit.

Scalmum) Vide Pollucem lib. I. c. 9.

Aquillius) De Aquillio, in Topicis, & Plin. lib. XVII. cap. 1.

Collega) In prætura, quod indicat oratio pro Cluentio; sic & in Topicis eum appellavit, & lib. III. de Nat. Deor.

Tot vitiis) Perfidia, improbitate, malitia.

CAPVT XV.

ATque iste dolus malus) *Atqui*, legendum puto. Cur autem ita legam, facile patet.

Tutela) Servius Tutelam ait esse vim, atque potestatem in capite libero constitutam, ad tuendum eum, qui per ætatem sua sponte se defendere nequit, jure civili datam, ac permissam.

Circumscriptio adolescentium) Si quis adolescentes decepisset, atque in fraudem illexisset, ut Terentius ait.

Lege Lætoria) De qua Suetonius lib. IV. Prætorum, apud Prisc. in verbo, Stipula, & Cicero lib. III. de Nat. Deor.

Sine lege judiciis) Lex punit, judicium damnat.

Vt inter bonos bene agier) Ad Trebatium, Fam. lib. VII. ep. 1. *Vbi porro erit illa formula fiduciæ? Vt inter bonos bene agier oportet*.

Contra se liceatur) *Se*, abest ab uno. *Contra asse liceatur*, legit Muretus: exemplisque confirmat, Variarum Lect. lib. XIV. cap. 3.

Indicaretur) Id est, æstimaretur. Male Nonius interpretatur, *promitteret*, *addiceretur*.

Sapientis negant) Qualis Carneades. Lactant. lib. de Iustitia, cap. 17. & 18.

Alios bonos, alios sapientes) Cum revera distingui non possint, omnes enim sapientes boni sunt.

Qui sibi ipsi prodesse nequiret) *Qui ipse sibi prod. nequiret*, octo. *Ipse*, quatuor. *Ipse*, non est in uno. *Non quiret*, duo. Citatur & Fam. lib. VII. ep. 6. Sumtum ab Euripidis Medea:

Μισω σοφιστην, όστις ουχ αυτω σοφος.

Singulorum enim facultates, & copiæ, divitiæ sunt civitatis) Sic Isocrates ad Nicoclem: Απαντα τα των οικουντων την πολιν, οικεια των καλως βασιλευοντων εστι. *Vniversa, quæ habent civitatis incolæ, propria sunt eorum, qui bene imperant*.

Huic) Hecatoni: qui discedet a lege naturæ, jus civile tantum servat, idque satis esse putat: cum Scævola le-

γονευσι μονον γεγενησθαι νομιζων, τον τῆς ειμαρμενης, και τον αυτοματον θανατον περιμενει· ὁ δε και τῃ πατριδι, ὑπερ τε μη ταυτην επιδειν δουλευουσαν αποθνησκειν εθελησει, και φοβερωτερας ἡγησεται, τας υβρεις και τας ατιμιας, ἁς εν δουλευουσῃ τῃ πολει φερειν αναγκη. *Atque ea vos ita splendida, & convenientia vestris esse putabatis, ut & e majoribus vestris eos, qui hæc fecerunt, maxime laudetis, nec injuria. Quis enim non admiretur virtutem illorum virorum, qui & regionem, & urbem relinquere voluerunt, triremibus conscensis, ne imperata facere cogerentur? & ejus rei suasorem Themistoclem ducem elegerunt? Eum autem, qui pronunciarat imperium exequendum esse, Cyrsilum lapidarunt, non ipsum solum, sed & mulieres vestræ uxorem ejus. Non enim illius temporis Athenienses quærebant vel oratorem, vel ducem, per quem feliciter servirent; sed nec vivendum sibi censebant, nisi cum libertate vivere liceret. Nam quisque eorum putabat, se non patri, & matri dumtaxat esse natum, sed etiam patriæ. Quid vero interest? quod is, qui se parentibus tantum natum esse putat, fatalem, & naturalem mortem exspectat; qui autem & patriæ: is, ne hanc servire videat, emori volet: & magis metuendas esse ducet contumelias, & ignominias, quas in serviente urbe ferre necesse est, quam interitum.*

Classem Lacedæmoniorum) Vide Plutarchum in Themistocle, & Aristide, & Valerium lib. VI. cap. 5.

Gytheum) Polybius, Ptolemæus, Strabo, Plutarchus, Demosthenes in Orat. de Cor. Livius lib. XXXIV. Gytheum opidum omnium maritimarum rerum Lacedæmoniis receptaculum dicit.

Audivisses) *Audivisset*, novem, & Tertii. Vnus, *audiret*.

Piratas immunes) Vide Plutarchum in vita Pompeii, Florum lib. III. cap. 6. Epitomem Liv. XCIX. Velleium lib. II. Oros. lib. VI. cap. 4. Eutrop. lib. VI. cap. 4. de Vir. Ill. cap. ult. Cic. pro lege Manilia, Plin. lib. VII. cap. 25. & 26. & lib. XXXVII. cap. 2. Valerium lib. VIII. cap. 16.

CAPVT XII.

HOc enim ipsum utile pu
turpe sit calamitosum e
tas enim, & calamitas
parte in animis, & mori
Τῆς αληθινης ευδαιμονιας
chus, εν ηθει, και διαθε
εςι. *In moribus, atque*
veræ felicitatis maxima p
Ab Alexandria profectu
locum, recitat Noniu
cula *ab*, & voce *pro*
faciunt tres mei, &
Iulii Galli quoque
ctus Rhodum, tres.
Diogeni Babylonio
terdum a præcept
modo id modeste
ceptor fuit Antip
nætii, Panætius
Div.
Iure civili) (
tet, ut jus ge
Quid agis) (
Tertii. In uno
Ais.
Vicissim, &
Vicissimque con
Tertii. *Vici*
unus. *Vicissi*
tres.
Quid iis
non est in
tatis, unu
Quis sit
Tertii. (
Siquide
nisti conj
ministi e
ctam soc
Vt ni
decem
Vrsinu
Nec
decim
tii li

potest,
commit-
arbitrium
Max. lib.
exponit,
ad arbi-
ut arbitrium
ad rem
videatur: ejus
demoliri do-
inclyti Ca-
Claudio adduxit,
Quidquid sibi dare
. Cato, et
Claudium edi-
, continuo il-
. Idem paullo
est. *De qua re,*
magno aucto-
civilis excel-
prudentia, & re-
. Valerio
qui litem in-
adigit ad arbi-
ad arbitrum ve-
ad formulam dan-
ex usita-
ab utroque ad-
quidem pæne per-
eam rem ita
in verbis a Cice-
magis ape-
; quare suspi-
& inculcatum,
, qui *arbitrum*
, pro, ad
arbi-

...pſ. 46.
...m : *Si*
...*uid mihi*
..., *Sempro-*
...*æſens*, *in*
...*ea pecuniæ*
...*ties morien-*
...*et*, *nondum*
...t. 3. L. Cum
lib. IX. Re-
...*r*, *Heres meus*
...*m*, *quod is ne-*
...*id eum mihi da-*
...*eo non exigere*.,
. 7. L. Actionum,
...ſt. ex Vlpiano li-
...larum : *In perſona*
...*eo agimus*, *qui obli-*
...*faciendum aliquid*, *vel*
...*r adverſus eumdem lo-*
XLV. tit. 1. L. Cum
...rb. obl. ex. Paulo lib.
...: *Cum ſtipulamur*, *Quid-*
...*facere oportet*, *nihil aliud*
...*deducitur*, *quam*, *quod*
...*debetur*. Ibidem ſupra, l.
ex Vlpiano l. XLVI. ad
...*onſtat*, *ſiquidem ita ſtipula-*
...*Quod ex cauſſa condictionis da-*
...*oportet*, *ſtipulationem valere*.
...o poſt, l. Qui ſic, 47. ex
lib. II. ad Sabinum : *Qui ſic*
...*r*, *Quod te mihi illis Kalendis*
...*ortet*, *id dare ſpondes?* &c. Ibi-
l. Si a col. 89. ex Paullo lib.
...d Plautium : *Si a colono*, *cui fun-*
...*in quinquennium locaveram*, *poſt*
...*annos ita ſtipulatus fuero* : *Quidquid*
...*dare*, *facere oportet* ? Lib. XLVI.
... 4. Et uno, 18. ff. de Acceptil.
... Florentino lib. IX. Inſtitutionum :
...*idquid te mihi ex quacumque cauſſa*
...*dare*, *facere oportet*, *oportebit*, *præſens*,
in diemve, &c. Lib. L. tit. 16. L. Sæpe ita, 53. ff. de verb. ſign. ex Paullo lib. LIX. ad Edictum · *Quod eum dare*, *facere oportet*. Inſtit. lib. IV. tit. 3. *Appellamus in perſonam actiones*, *per quas ei dare*, *aut facere oportere intendit adverſarium*. Hæc igitur, a Cicerone recitata, verba ſunt Caſurnii, cum Claudio apud arbitrum ſtipulantis : & additum eſt, *ex fide bona*, quaſi Claudius in ædibus vendendis non ex fide bona ſecum egiſſet, vitio, quod ſciviſſet, occultato.

Hujus noſtri Catonis pater) Qui ſe

...de ...e- ...*da-* . Et Lib. , 13. ...i, ex ...um : ...*tareque* & ſi-

legem etiam naturæ, quæ multo patet latius, quam jus civile, servandam in emendo censuerit.

Tribuenda est nec gratia) *Tribuenda, nec gratia est*, undecim, & Tertii.

Sive & simulatio) *Et*, abest a tribus.

In quibus dolus iste malus non versetur) *In quibus non dolus malus iste versetur*, duodecim, & Tertii.

Recte justum virum bonum non facile reperiemus) Istum, duo veteres libri, & ita ante multos annos emendandum putavit Pater in adnotationibus in margine adscriptis. *Reperimus*, septem, & Tertii.

CAPVT XVI.

SAncitum est apud nos jure civili) Digestorum lib. XXI. & lib. XLIII. *Sanctum*, unus, & Tertii.

Quæ essent lingua nuncupata) Lib. I. de Oratore: *Totum illud, Uti lingua nuncupasset, non in XII. tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum videretur.*

Reticentiæ pœna) Actio redhibitoria dicitur Dig. de ædilicio edicto.

In Arce) Vide Festum in verbo, Arcani, & in, Auguraculum.

T. Claudium Centim) Duo non habent prænomen. *Titium*, unus. *Ti.* unus. Vide Val. Max. lib. IIX. cap. de privatis judiciis.

Officeret auspiciis) Ne rite fierent; sic locutus & Val. Max. in eadem historia. Cic. de Div. *Contemplationi cœli officere*. Et de Orat. I. *Quod cuicumque particulæ cœli officeretur*. Obstruere luminibus, pro domo, & apud Iurisconsultos.

Insulam vendidit) Festus: *Insulæ dictæ proprie, quæ non junguntur communibus parietibus cum vicinis: Circuituque publico, aut privato cinguntur, a similitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus, ac mari eminent, suntque in salo positæ.*

P. Calpurnius Lanarius) Vereor interdum, ne parum notæ gentis nomen occasionem dederit mendo. Cafurnium enim Lanarium in antiquo lapide nominari observavi; ex eo fecit aliquis, *Calfurnius*: & ita scriptum in duodecim meis, & impressum in quamplurimis: unde alius, *Calphurnius*, ut in uno meo: alius, *Calpurnius*, quomodo in uno, & Tertii: ut error ex errore nascitur. Divus quidem Hieronymus in Epistolis ter mentionem facit cujusdam *Calfurnii*, non *Calpurnii*, *Lanarii*. Sed hanc totam controversiam dirimit, ut mihi quidem videtur, antiquus lapis, in radice Capitolii, in pariete privatæ domus, ita scriptus:

C. CAFVRNIVS
C. L. ANTIOCHVS
LANARIVS
VETVRIA. C. L
DEVTERA
MONVMENTVM
FECIT. SIBI. ET. SVEIS
IN. FR. P. XV. IN A. P. XX

Arbitrum illum adegit: Quidquid sibi dare, facere oporteret ex fide bona) Sensus hic alius esse non potest, quam, judicis arbitrio rem committere, Claudium coegit: ad arbitrium Claudium adduxit. At Val. Max. lib. IIX. cap. 2. ita factum hoc exponit, non ut a Cafurnio Claudius ad arbitrium adductus esse, sed ut arbitrium Cafurnius una cum Claudio ad rem cognoscendam adduxisse videatur: ejus verba sunt hæc: *Cafurnius demoliri domum coactus, M. Porcium, inclyti Catonis patrem, arbitrum Claudio adduxit, ut formulam daret: Quidquid sibi dare facere oporteret ex fide bona. Cato, ut est doctus, de industria Claudium edictum sacerdotum suppressisse, continuo illum Cafurnio damnavit.* Idem paullo post similiter locutus est. *De qua re*, inquit, *C. Aquillius, vir magnæ auctoritatis, & scientia juris civilis excellens, judex adductus, prudentia, & religione sua mulierem repulit.* Valerio igitur auctore, non is, qui litem intendit, adversarium adigit ad arbitrum, id est, cogit ad arbitrum venire: sed arbiter ad formulam dandam, id est ad judicandum ex usitata actionis formula, ab utroque adducitur; quod mihi quidem pæne persuadetur; nam Valerius eam rem ita narrat, ut, si quid in verbis a Cicerone discrepat, sententiam magis aperire voluisse videatur; quare suspicor, *Illum*, abundare, & inculcatum, ac receptum ab iis esse, qui *arbitrum adegit*, dictum existimarunt, pro, ad arbi-

arbitrum ire coegit ; (nam in uno meo est , *ad arbitrum illum adegit*). Nec vero me, ut ita credam, unius Valerii movet auctoritas ; exemplum hoc simile in Topicis notavi : *Quemadmodum , si in urbe de finibus controversia est , quia fines magis agrorum videntur esse , quam urbis , finibus regundis adigere arbitrum non possis : sic , si aqua pluvia in urbe nocet , quoniam res tota magis agrorum est , aquæ pluviæ arcendæ adigere non possis arbitrum* . Hic certe , qui ad arbitrum adigatur, nullius mentio est ; *arbiter* igitur *ipse adigitur* , id est, ut interpretatur Valerius, *adducitur* . Eadem ratio mihi suspicionem affert de mendo in oratione pro Comœdo ; nam , ubi est , *cur non arbitrium pro socio adegeris Q. Roscium , quæro* : rectius fore arbitror: *Cur non arbitrum pro socio adegeris , quæro* : id est, cur non arbitrum ad judicandum ex formula pro socio adduxeris ; nam illud, *Q. Roscium* , additum fortasse ex eadem inscitia, qua, *illum*, inculcatum hîc esse dixi. Atque hæc tamen ita sentio , nihil ut affirmare audeam , nisi aliquam libri veteres opem afferant ; interim excitare aliorum ingenia, quibus ego dissentientibus a me non irascar, veritatem ostendentibus etiam gratias agam , non inutile fuit . *Quidquid sibi* : sententia pendet e superioribus ; ideo enim Casurnius arbitrum adegit, ut statueret, quidquid sibi Claudium dare, facere oporteret ex fide bona; quæ sunt antiquæ verba formulæ de dolo malo. Et, *dare facere*, pro, *de ea re facere* , quod erat in omnibus vulgatis libris, recte ab hominibus ingenio , doctrinaque præstantibus repositum est; nam , qui sibi promitti volebat, ita stipulabatur: *Promittis ne , quidquid , te dare , facere, oportet?* Respondebatur , *Promitto* . Extant in Digestis exempla similia . Lib. V. tit. 2. L. Titia ; 13. ff. de inoff. test. ex Scævola lib. III. Responsorum : *Ea omnia , quæ supra dari , fieri jussi , ea dari , fieri volo* . Et postea : *Ea uti dentur , fiant* . Lib. XIX. tit. 1. L. Idem Iulianus , 13. ff. de actionibus emti, & venditi, ex Vlpiano lib. XXXII. ad Edictum : *Id emtorem dare , facere , præstareque oportere* . Lib. XXXI. de Legat. & fideicomm. 2. tit. 1. L. Si scripſ. 46. ex Proculo lib. V. Epistolarum : *Si scripsisset , qui legabat , Quidquid mihi L. Titium dare , facere oportet , Sempronio lego : nec adjecisset , Præsens , in diemve : non dubitarem , quin ea pecunia comprehensa non esset , cujus dies moriente eo , qui testamentum fecisset , nondum venisset* . Lib. XXXIV. tit. 3. L. Cum ita , 19. ex Modestino lib. IX. Regularum : *Cum ita testemur, Heres meus damnas esto liberare illum , quod is negotia mea gessit : & siquid eum mihi dare , facere oportet , ab eo non exigere* , &c. Lib. XLIV. tit. 7. L. Actionum , 25. ff. de oblig. & act. ex Vlpiano libro singulari Regularum : *In persona actio est , qua cum eo agimus , qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid , vel dandum , & semper adversus eumdem locum habet* . Lib. XLV. tit. 1. L. Cum stip. 125. de verb. obl. ex Paulo lib. II. Quæstionum : *Cum stipulamur , Quidquid te dare , facere oportet , nihil aliud in stipulationem deducitur , quam , quod præsenti die debetur* . Ibidem supra , l. Scire , 29. ex Vlpiano l. XLVI. ad Sabinum : *Constat , siquidem ita stipulatus sum , Quod ex caussa condictionis dare , facere oportet , stipulationem valere* . Et paullo post , l. Qui sic , 47. ex Vlpiano lib. II. ad Sabinum : *Qui sic stipulatur , Quod te mihi illis Kalendis dare oportet, id dare spondes?* &c. Ibidem , l. Si a col. 89. ex Paullo lib. IX. ad Plautium : *Si a colono , cui fundum in quinquennium locaveram , post tres annos ita stipulatus fuero : Quidquid te dare , facere oportet* ? Lib. XLVI. tit. 4. Et uno , 18. ff. de Acceptil. ex Florentino lib. IX. Institutionum : *Quidquid te mihi ex quacumque caussa dare , facere oportet , oportebit , præsens, in diemve* , &c. Lib. L. tit. 16. L. Sæpe ita , 53. ff. de verb. sign. ex Paullo lib. LIX. ad Edictum : *Quod eum dare , facere oportet* . Instit. lib. IV. tit. 3. *Appellamus in personam actiones , per quas ei dare , aut facere oportere intendit adversarium*. Hæc igitur , a Cicerone recitata , verba sunt Casurnii, cum Claudio apud arbitrum stipulantis : & additum est , *ex fide bona* , quasi Claudius in ædibus vendendis non ex fide bona secum egisset , vitio , quod scivisset , occultato.

Hujus nostri Catonis pater) Qui se Vticæ

Vticæ sua manu occiderat, ne servientem patriam adspiceret. Agellius lib. XIII. cap. 19.

M. Marius Gratidianus) Asconius, Valerius. Plut. in Sulla, Cic. III. de Leg.

Propinquus noster) Ciceronis enim avus Gratidiani sororem matrimonio conjunctam habuit; de Leg. III.

C. Sergio Oratæ) Plin. lib. IX. cap. 54. Valer. lib. IX. cap. 1. Macrob. lib. III. cap. 15.

In mancipio) Ædium dominio transferendo, cedendoque.

Crassus, Antonius) Omnium consessu principes in eloquentia; vide in lib. de Claris orat.

Jus) Τὸ ἀκριβοδίκαιον.

Æquitatem) Τὸ ἐπιεικές.

CAPUT XVII.

QUatenus manu tenere possunt) Sic omnes libri veteres. In Bruto: *Cum indicia mortis se comperisse, & manu tenere diceret.*

Naturæ lege) Cujus illud est, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

Quod enim civile, &c.) Ius gentium patet latius, quam jus civile. *Quod enim civile: enim*, non est in decem, & Tertii.

Bene agier, magna quæstio est) Sic imprimendum curavit Pater ante me natum; ut mirer, quosdam de hoc loco a se nuper emendato somniare. Contra tamen omnes mei veteres, & Tertii.

In mancipiorum venditione) An sana, fugitiva, fugacia.

De sanitate) Fam. lib. XII. ep. 10.

De fuga) Lactantius lib. V. cap. 17.

Secundum naturam &c.) Hinc, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, Naturæ lex.

In malitia simulatio intelligentiæ) Infra: *Prudentiam vult imitari malitia.*

CAPUT XVIII.

SEd vinculis, & carcere fatigandi) Sic Nonius ex industria, non, *castigandi*: & explanat, *Cohibendi, comprimendi*; sic etiam sex mei, & Tertii.

L. Minucii Basili) Sic lego cum Valerio Max. lib. IX. cap. 4. & cum optimo Tertii libro; & cognomen *Basili*, malo, quam, *Basilii*: quod videtur esse nomen gentis. *Basillus*, observavi in antiquis lapidibus.

Romæ, in hortulis Cæsiis.

IVNONI
REGINAE
PAEZON
AQVILIAES
BASILLAES

In Parione, in ædibus Francisci Lischæ.

IOVI. OPTVMO
MAXIMO. DOLICHEN
PAEZON. AQVILIAES
BASILLAES. ACTOR
CVM. PAEZVSA. FILIA. SVA
D. D

Vt hic fortasse, *Basillus*, etiam legi possit, mutatione I in L.

Homines ejusdem civitatis potentissimos) Recte sic legitur in octo meis; nam *ejusdem ætatis*, ad rem minus pertinet; tuendi enim falsi testamenti consilium adjuvabatur summa potentia duorum hominum ejusdem civitatis: quod spectarunt heredes falsi; eadem vero ætas quid afferebat ad spem obtinendi testamenti? Libentius legerem, nisi veteres omnes adversarentur libri, pro, *ejusdem civitatis potentissimos*, *Civitatis nostræ potentissimos*: uti legitur in Valerio Max. lib. IX. cap. 4. *Ætatis*, tamen legitur in quinque, & Tertii. *Potentissimos*: Crassum divitiis, Hortensium eloquentia.

Alterum amavi vivum) Hortensium æmulum, cujus mortem deplorat in libri proœmio, qui inscribitur Brutus.

Alterum non odi mortuum) M. Crassum, quem vivum oderat, & in Paradoxis insectatur.

Satrium) In librorum varietate, quorum septem *Satirium*, duo *Satirum*, quatuor, & Tertii *Satrium* habent, familiam eam veriorem esse puto, quæ veterum lapidum testimonio confirmatur,

Ro-

Romae in aedibus Hadriani Fusconii, Episcopi Aquinatis. 1.

DIS. MANIBVS
N. SATRI
AVGVSTALIS
SATRIA
NYMPHE
VERNAE. SVO
CARISSIMO
VIX. ANN. XXII
M. I. DIEBVS IIII

Pontis Curvi. 2.

P. SATRIVS. L.
LOC. MON. DED
M. HILARO. TYRANIDI
LIBERT. ET. PERENNO
TERTIO. IN. F. P. XII. IN. AGRO. P.
XIIII

Sentini. 3.

L. SENTINATI
L. F. LEM. VERO
IIII. VIR. QVINQ
IVR. DIC
ORDO. ET. PLEPS. SENTI
N. A. I. R
SATRIA. AN. F. VERA
FIL. PIISSIMO
L. D. D. D.

O turpem notam &c.) Apparet igitur eos partem illius hereditatis accepisse.

Verae hereditates) Testamento legatae: cum illa, proxime nominata, vera non fuerit.

Ab hoc nulla fraus aberit) Reciproce; pro, *Ipse non aberit a nulla fraude.*

Fraudum) *Fraudium*, septem & Tertii. Sic Phil. 11. *Laudium*: Sic, & *civitatium*, Annaeus Cornutus ad Italicum, de Virgilio lib. X. *Iamque exemplo tuo etiam principes civitatium, & poetae incipienti similia fingere*; & in antiquo lapide.

Firmi, in Piceno.

L. VOLCATIO. Q. F
VEL. PRIMO
PRAEF. COH. I. NORICOR
IN. PANN. PRAEF. RIPAE
DANVVI. ET. CIVITATIVM
DVAR. BOIOR. ET. AZALIOR
TRIB. MILIT. LEG. V
MACEDONICAE. IN
MOESIA. PRAEF. ALAE. I
PANNONIOR. IN. AFRICA
II. VIRO. QVINQ
FLAMINI. DIVORVM
OMNIVM. P. C
EX. TESTAMENTO. EIVS
POSITA
M. ACCIO. SENECA
. . . . MANLIO. PLANTA
II. VIR. QVINQ

CAPVT XIX.

SI digitis concrepuerit) Vnde proverbium, *ad digituli crepitum*, id est, minimo momento.

In foro saltaret) Prae gaudio, utpote qui summum bonum non in honesto, sed in divitiis, opibusque poneret. Saltationem autem apud Romanos turpem fuisse, veterum scripta abunde testantur.

Complicatam notionem evolvere) Eleganter dictum, pro, secum ipse diligenter cogitare, & ex ingenio promere quod latet; sic infra: *Explica atque excute intelligentiam tuam*.

Fimbriam) Licinium Fimbriam Valerius lib. VII. cap. 2. nominat.

Fimbria etiam, non modo Socrates) Id est, vir in rep. gerenda versatus, non modo philosophus.

Ne rustici quidem) Bonitas etiam apud rusticos laudem habet.

Quicum in tenebris mices) Lusus genus, Micatio, digitis repente remotis. Cicero de Divin. *Quid est enim sors? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras.* Et II. de Fin. Vide & Varronem. Extat & Turcii Aproniani edictum, quod dignum visum est, ut adscriberem:

Romæ, ad D D. Apostolos.

Ex. auctoritate
Turci. Aproniani. V. C.
Praefecti. urbis
Ratio. docuit. utilitate. sua-
dente. consuetudine. mi-
candi. summota. sub. exaglo
potius. pecora. vendere. quam
digitis. concludentibus. trade-
re. ut. adpenso. pecore. capite
pedibus. &. sevo. lactante. &
subgulari. lanio. cedentibus
reliqua. caro. cum. pelle. &. in-
teraneis. proficiat. venditori
sub. conspectu. publico. fide. pon-
deris. comprobata. ut. quantum
caro. occisi. pecoris. adpendat
&. emtor. norit. &. venditor
commodis. omnibus. &. preda
damnata. quam. tribunus. offi-
cium. cancellarius. &. scriba
de pecuariis. capere. consue-
rant. Quae. forma. interdicti
&. dispositionis. sub. gladii. pe-
riculo. perpetuo. custodien-
da. mandatur.

Natura) Quæ omnia videndi præcepta nobis tradit.

CAPVT XX.

SEptimum annum) Cum consulatu biennio tantum prætura legibus distaret.

Virum) Virtute.

Civem) Dignitate.

Cum ab eo, imperatore suo) Etsi constat, C. Marii Q. Metellum imperatorem esse, cum hic sit proconsul, ille legatus: tamen mihi suspecta non sunt hæc verba, ut supervacanea, sed valde videntur ad sententiam pertinere: cum augeatur adversus Marium invidia, qui ab imperatore suo confecti prope belli gloriam ad se transtulerit. Nam, si legas, *ab eo, ut imperatore suo*, quod iis placet, qui alioqui duo illa verba, tamquam glossema, tollenda existimant, frigere quodam modo, & vim suam perdere sententia videbitur. Nostram lectionem comprobant omnes mei veteres libri, & Tertii.

Bellum illud producere) *Ducere*, undecim mei, & Tertii. *Illum*, sex.

Nec noster quidem Gratidianus) Ne, unus, & Tertii. *Noster*: avus enim Ciceronis uxorem duxerat sororem Gratidiæ, cujus filius fuerat Gratidianus, lib. III. de Leg. Vide Plin. lib. XXXIII. cap. 9. & lib. XXXIV. cap. 6.

Constitueretur) Qui scilicet nummi probi, qui adulterini, quantique quique essent.

Iactabatur) Pretium monetæ neque aureæ, neque argenteæ consistebat.

Descenderent) Placet, quod est in uno vetere Tertii libro, *escenderent*. Sic & Sallustius, Iugurtha: *Pars equos escendere, ire obviam hostibus*. Ita enim legit Fronto, eum locum recitans.

Non habetur ita magnum) To *habetur*, abest a decem, & Tertii, & sane glossema est; quod apparet ex aliis libris; in quorum uno, *non ita magnum sit*: in altero, *non ita magnum est*: in tertio, *non est ita magnum*.

Illum Marium) Qui criminatus est Q. Metellum, spe consulatus adipiscendi.

Explica, atque excute intelligentiam tuam) Sic supra: *Si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere*.

Species) *Specie*, quidam legunt, & explanant, In ea intelligentia; cum iis facit unus ex meis libris veteribus; magis placet impressa lectio.

Fidem, justitiamque detraxerit) Hinc Iuvenalis:

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet auctori. Prima est hæc ultio, quod se
Iudice nemo nocens absolvitur: improba quamvis
Gratia fallacis prætoris vicerit urnam.

In homine figura) To, *in*, abest a quatuor, & Tertii.

CAPVT XXI.

QVi etiam socerum habere voluit eum) Pompeium carpit, qui ut augeret potentiam suam, Cæsaris filiam duxit uxorem.

Ipse autem socer) Suetonius in Iulio.

Nam, si &c.) Senarii jambici.

Fœdissimum, & teterrimum) Antea quoque in hoc libro utrumque conjunxit.

Parens) Cæsar.

Sonare) Significare; vide metaphoram

ram elegantem in *discrepare*, & *sonare*; ut, *discrepare*, & *concinere*, de Nat. Deor. lib. I.

Pauci boni sunt) Pauci sunt boni, duo.

A Tantalo & Pelope proditum) Legitima successione a patre ad filium quasi per manus transmissum.

Regi) Cæsari.

Qui cum exercitu) *Cum*, non est in ullo vetere libro & elegantius abest.

In maxima gratia futurus sit, & gloria) Gratiam, & Gloriam tyrannicidæ consequuntur. Lib. II. eadem conjungit: *Hæc genera officiorum qui persequuntur, magnam ipsi adipiscentur & gratiam, & gloriam*. Et Fam. lib. X. ep. 5. *Gratiæ, gloriæque cave, tempus amittas*. Tres, & Tertii addunt, *το &, in maxima & gr.*

CAPUT XXII.

AC. *Fabricio consule iterum, & a senatu nostro*) Agellius lib. III. cap. 8. *Fabricio*: Luscino.

Perfuga) Medicus Pyrrhi, ut ab aliis traditum est. Agellius, Valerius Max. Eutropius, Plutarchus.

Si præmium ei proposuisset) *Sibi* duodecim, & Tertii. *Promisisset*; unus.

A senatu laudatum est) *Laudatum a senatu est*, septem, & Tertii. *Est a senatu laudatum*, unus, *Laudatum a senatu*, unus.

Vtrum igitur utilius) *Visum igitur utilius*, duo.

Senatui nostro, qui numquam utilitatem a dignitate sejunxit) At Paullo infra: *Est ei senatus assensus, turpe imperio*.

Liberavisset) Immunes esse declarasset.

Ordinum conjunctio) Equitum, & senatus, quorum dissensione fractæ sunt opes reip.

Vincat utilitas) Or. IV. in Catil. *Meorum periculorum rationes utilitas reip. vincat*. Plutarchus Melanopum rhetorem, Callistrato, pecuniam largienti, cedentem, ad populum dixisse scribit: Ὁ μεν ανηρ εχθρος, νικειτω δε το της πολεως συμφερον. *Vir quidem inimicus, vincat autem civitatis utilitas*. Vide lib. II. de Invent. quo loco placere dicit Aristoteli utilitatem solam in genere deliberativo, sibi honestatem.

CAPUT XXIII.

ANnonæ) Non tantum frumenti, sed quidquid ad victum attinet.

Familiam) Mancipia.

In utramque partem disputat) Cur & alenda, & deserenda videatur.

Vtilitate putat officium dirigi) Vt potius fame pereant servi, & ancillæ, quam ipse aut insigni detrimento afficiatur, aut cum suis liberis fame periclitetur.

Quam humanitate) Vt familia conservetur propter naturalem societatem rationis, & orationis, quæ servis etiam cum dominis intercedit.

Servuli vilis) Qui non magni vendi possit.

Negat) Cum tamen præstet eum vivere, qui sit utilior reip.

Dominus navis) Navicularium, & Magistrum navis vocant Iurisconsulti.

Quam si navigantem) Quod Arioni musico evenisse, testatur Herodotus.

Ne uterque rapiat, an alter cedat alteri) Miror, quibusdam doctis viris placere magis, *uter*, quod tamen est in quinque meis, quam, *uterque*; diversa enim significant; &, *uter*, pro, *utervis*, Latina lingua non recipit; nam illud pro Sextio, *horum utro uti volueris, altero est carendum*, usitatam significationem habet. *Neuter*, septem; & Tertii habent. Vnus, *neutrum*.

Quasi sorte, aut micando victus) Sic liber Tertii, & plerique alii. Duodecim tamen, *aut dimicando*. Male. Quod colligitur & ex Nonio Marcello, qui hæc recitans in verbo *micare*, ita legit; etsi eo loco tamquam verba Ciceronis non agnoscantur: & Nonii emendator ex Attio in Chrysippo hæc proferri putet, ex vestigiis scripturæ; falso tamen.

Accusabit) Reprehendet; non enim hoc loco est, *accusare* ad judices.

Cui potius assentior) Cui etiam supra assensus est de Rhodio frumentario.

Vinum fugiens) Quod ætatem non fert: quod lentum incipit fieri.

Non ea, quæ nisi dixeris) *Non nisi ea, quæ nisi dixeris*, octo mei.

CAPVT XXIV.

HS millies) Milliones tres.

Luce palam in foro saltet) *Luce clara*, videtur legisse Nonius; quod conjicitur ex ipsius verbis, licet mendosis; nam, quæ Ciceronis citat, cum hæc esse deberent, non leguntur in eo, sed alia, quæ alicujus veteris poetæ sunt.

Sed, quoniam promisit) Contra utilitatem.

CAPVT XXV.

AC *ne illa quidem promissa servanda sunt*) Contra promissa.

Iis ipsis utilia) Sic omnes mei, & Tertii, uno excepto, in quo τὸ, *iis*, deest.

Quibus illa promiseris) Τὸ *illa*, deest in uno.

Sol Phaetoni filio) Ex Clymene nympha Oceani, & Thetyos filia. Ovid. Metam. I. & II. Hygin. cap. 154. Lucanus lib. II. Fulgentius lib. I. & Lucianus in Astrologia.

Facturum se esse dixit) Immo juravit per Stygiam aquam.

Sublatus est atque is, antequam constitit) Sic tres, & Tertii. Vnus, *sublatus insanus; atque is, antequam const.* Octo, *sublatus est, atque insanus, antequam constitit*. Quod si retineamus, *Insanus*, dicendum, eum, ex scorpionis conspectu territum, habenas remisisse, ut equi sentirent se non verum aurigam habere.

Ictu fulminis deflagravit) Sic duodecim, & Tertii. *Fulmine deflagravit*, unus. *Ictu fulminis*: a Iove, precibus mortalium, tanto incendio laborantium, auditis. *Deflagravit*: collapsus in Padum.

Quid quod Theseus exegit promissum a Neptuno) Supra, lib. I.

Optiones) *Optationes*, undecim, & Tertii.

Noverca) Phædra.

Quo optato impetrato) *Optato*, abest a duobus meis.

Iphigeniam) Fabula est apud Euripidem in tragœdia, Iphigenia in Aulide.

Promissum potius non faciendum) Contra promissa.

Neque semper deposita &c.) Contra deposita.

Temporibusque fiunt non honesta) Honesta temporibus perturbantur, fiuntque non honesta. *Non honesta*: sic undecim, & Tertii; unus, *inhonesta*.

At de prudentia quam vult imitari malitia) Supra: *In malitia simulatio intelligentiæ*.

Conformatione) Φιλανθρωπία. Cujus contrarium illud apud Terentium, *homo perpaucorum hominum*.

CAPVT XXVI.

VTile *videbatur Vlixi*) Aggreditur de fortitudine.

Quidam poetæ tragici prodiderunt) Quorum nullus extat.

Homerum, optimum auctorem) Fabularum, & artificii poetici, non historiarum. Iurisconsulti omnium virtutum parentem appellant. Dion tamen Chrysostomus ejus narrationem de Trojæ excidio confutat.

Istam) Tranquillitatem.

Cuju' ipse &c.) Senarii jambici, ex Pacuvii Armorum judicio.

Ne coiret) Cum reliquis Græcis, in concilio Græcorum: ubi actum de bello Trojanis publice inferendo.

Fide sacratæ) Pro, *fidei sacratæ*; quod antique dictum qui ignorarunt, *fide*, arbitrati dictum esse auferendi casu, *sacrata* in libris scripserunt. Vide Agellium, & exempla apud Sallustium, a me in Adnotationibus collecta. Veteres tamen libri omnes, aliter. Vnus, *fides sacrata*. Vnus, *fid' sacratum*. Decem, & Tertii, *fide sacrata*.

Cum hostibus) Homerus in Il.

Cum fluctibus) Homerus in Od.

Fabulas) Non enim hoc de Vlixe verum putabat, nec omnia de bello Trojano pro certis habebantur.

Xanthippo Lacedæmonio) Vide Polybium lib. I.

Falsam judicavit) Quæ deciperet: cum utile esse non posset, quod honestum non esset.

Quem censes) Sic Tertii liber. *Quæ censes*, omnes alii, Ter. Andr. act. 5. sc. 2. *Quid censes?*

Magnitudo animi) Remp. otio privato præferentis.

CA-

CAPUT XXVII.

NUm locupletiores quæris auctores) Sic supra, testis locuples Posidonius. In Bruto, Thucydidem locupletem auctorem dicit. Ad Q. Fr. Locuples tabellarius, id est, cui litteræ recte credi possint. Pro Flacco, testis locuples. Livius lib. IX, de Samnitibus: Sponsores nos sumus rei satis locupletes. MSS. An locupletiores, &c. alii, Nam locuplet; male, sed unde tamen eliciatur vera lectio, octo, & Tertii. Non, tres, Num, quo modo impressimus, unus. Locupletiores auctores: quam animi magnitudinem, & fortitudinem.

Nil extimescere) Magnificentius hæc dicuntur, quam verius.

Exquisita supplicia) Agellius lib. VI. cap. 4. Vide & D. Aug. de Civ. Dei.

Erat in meliore caussa) Rectius fecit, meliorem caussam habuit; felicior erat: siquidem ex honesto felicitas provenit. Infra Q. Pompeium in eadem cum Mancino caussa esse dicit, id est pari ignominia.

Id cuiquam civi utile esse) Civi, abest a quinque meis, & Tertii; neque legitur in Nonio, in conducere.

CAPUT XXVIII.

SEd, quia nusquam possumus, &c.) Utilitas ubi sit.

Iratum Iovem) Sic & Iovem iratum dicit ep. 12. lib. VII.

Non eorum modo) Epicureos intelligit; vide Lactantium Firm. libro de Ira Dei.

Sed eorum etiam) Stoicos, Peripateticos, Academicos intelligit.

Minima de malis) Debemus eligere.

Apud Attium) In Atreo; vide & Hyginum cap. 88. Sic apud Senecam in Thyeste; Thyestes, impia filiorum dape satur,

> *Sceleris*, inquit, *est aliquis modus*,

Ad quæ Atreus:

> *Sceleri modus debetur, ubi facias scelus, non ubi reponas*.

Quamquam ab impio rege) Præstruit solutioni.

Quemadmodum) Et hæc objectio facit testimonii naturam: quasi enim ex analogia petiverunt eam adversarii.

CAPUT XXIX.

IRam deorum, quæ nulla est) Ut Philosophi omnes affirmant.

O Fides alma, apta pinnis & jusjurandum Iovis) Apta pinnis, fateor me non intelligere quid sit; unus antiquus liber, apta primis: alius, apta pennis; alius, apta premiis: alius, acta p'rnis; alius Iulii Galli, atta p'cinis; obscura omnia. Si conjecturas e longinquo petere consuessem: id quod placere nonnullis video: legerem, a qua pendet jusjurandum Iovis. Aut dicamus, descriptum esse ab Ennio simulacrum Fidei almæ, ut erat in templo Capitolino, per quam jurare proximus Iupiter videbatur. Fidem non esse deam, tradit D. Augustinus de Civ. Dei, lib. IV. cap. 4.

In Capitolio) Plin. lib. XXXV. cap. 10. Plut. in Numa, Dionys. Halicarnasseus lib. II. Liv. lib. I. cap. 21. Cic. de nat. de. II.

In Catonis oratione) Censorium intelligit.

Certe, si nihil malum esset) Iuxta Epicureos, quibus summum malum est dolor.

Principem reip.) Erat enim consularis.

Nervosius) Ut Stoici.

Remissius) Ut Peripatetici.

Persona) Decoro personæ.

Hoc sibi sumunt) Sic undecim, & Tertii. Hæc, unus. Sibi sumunt: hujus defensionem suscipiunt. Cic. ad Torquatum: Hoc mihi non sumo. Et ad Cæcinnam: Non sumo, ut &c.

Videant, ne quæratur latebra perjurio) Servanda fides etiam infideli.

Ius bellicum) De quo lib. I.

Ut, si prædonibus &c.) Cum enim humano generi semper infesti sint, jus humanum eos juvare non debet.

Perduellium) Lib. I.

Communis hostis omnium) Isocrates ait milites mercenarios esse communes inimicos omnium hominum.

Falsum jurare) Non ex animi sententia.

Verbis concipitur) Verbis conceptis jurare, sive pejerare. Varro de lin. Lat.

apud Agell. lib. VII. cap. XI. Plautus Asin. act. 3. Festus in *Prajurationes*. Quinctil. lib. V. cap. XI. Valerius lib. IV. cap. 1. de Africano consule.

Euripides) In Hippolyto: Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος. *Lingua juravit, mens autem injurata manet*. Citat & hunc versum Basilius de ratione studiorum, cap. 9. Huc faciunt illa Cydippes ad Acontium, apud Ovidium, in epist.

Quid tibi nunc prodest, jurandi formula juris,
Linguaque praesentem testificata deam?
Quae jurat, mens est, nil conjuravimus: illa,
Illa fidem dictis addere sola potest.
Consilium, prudensque animi sententia jurat,
Et nisi judicii vincula nulla valent.

Ius fetiale) Dionysius lib. II. Plut. in Numa, & Camillo, & Probl. Livius lib. XXX. Agellius lib. XVI. cap. 2.

Vinctos) Sic Livius: *Progressi fetiales ubi ad portam venere, vestem detrahi pacis sponsoribus jubent, manus post terga vinciri*.

CAPUT XXX.

APud *Caudium*) Apuliae vicum; vide Livium lib. IX.

Sub jugum missis) Inermes milites cum singulis vestimentis extra vallum exire jussi.

Injussu enim populi, senatusque fecerant) Livius, de hac eadem re: *Injussu populi nego quidquam sanciri posse, quod populum teneat*.

Ti. Numicius, Q. Melius) Livius, *L. Livium*, & *Q. Melium* tribunos nominat.

Tum tribuni pl. erant) Cum actum est de Samnitum pace repudianda, non cum facta pax est; nam extra urbem esse nisi per unum diem tribunis pl. non licebat. Livius lib. IX.

Hujus deditionis) De qua D. Aug. de Civ. D. lib. III. cap. 17. Valer. lib. V. cap. 1. Agellius lib. XVII. cap. ult. Plut. Parall. cap. 6. Florus lib. I. cap. 16. Oros. lib. III. cap. 15. Eutrop. lib. II. cap. 2. & de vir. ill.

Multis annis post) Post CXXCIII. Liv. Epit. LV. Plut. in Mario, Florus lib. II. cap. 18. de vir. ill. cap. 59. Eutrop. lib. IV. cap. 3. Oros. lib. V. cap. 5. August. lib. III. cap. 21. Valerius lib. II. cap. de Scipionis disciplin. mil. & lib. I. cap. de Prodigiis. Vide & Iulium Obsequentem.

Q. Pompeius) Qui paulo ante cum iisdem Numantinis aeque infame foedus pepigit. Cic. de Fin. II. Oros. lib. V. cap. 5. Epit. Liv. XLIV. Eutrop. lib. IV. cap. 7.

Lex) Hanc supra *rogationem* nominavit. Agellius tamen lib. X. cap. 20. distinguit *rogationem* a *lege*.

CAPUT XXXI.

QVod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset) Quod, occasione bene faciendi belli ductus, obtinendi legitimum imperii tempus evasisset. Valerius lib. IV. cap. *de pietate filiorum in parentes*. Legitimum autem dictaturae tempus, sex menses: ex lege XII. Tabularum, apud Cic. de Leg.

Qui Torquatus postea est appellatus) *Qui postea est Torquatus app.* quatuor, & Tertii, *Qui postea Torq. est app.* quinque. *Qui postea Torq. app. est*; tres. *Torquatus*; hic postea filium suum interfici jussit, quod praeter mandatum cum hoste conflixisset. Sall. Cat. Liv. lib. VIII. Val. lib. II. cap. 2. & Plut. in Parallelis.

Ruri habitare jussisset) Vide Valerium lib. VI. cap. 9.

Surrexit e lectulo) At Livius non ait eum surrexisse e lectulo, sed jacentem haec dixisse.

Remotisque arbitris) E cubiculo abire jussis. Valerius.

Gladium distrinxit) Quem tectum attulerat. Valerius.

Nisi jusjurandum sibi dedisset) *Nisi in quae ipse concepisset verba juraret*: Livius. *ro*, *sibi*, abest a Tertii libro.

Missum fecit) Itaque non tantum patri caussae dictio remissa est, sed etiam ipsi adolescenti ea res honori fuit. Livius.

Gallo) *Galli*, Tertii liber; & ita recitat Nonius.

Torque detracto) Sic legit Nonius. Ciceronem tamen, & Virgilium muliebri genere: Livium virili *Torquem* dixisse, annotavit D. Hieronymus; quod

in alcuna altra guisa . . casa mia posta in certaldo nel popolo di saiacopo della quale questi

Principio della terza faccia .

heredi perciocheè in pup o intendo che sieno po gavacciani Piero nigane gelmo barduccio di cher francesco di lapo bonan di torino bencivenni . & Iacopo di Boccaccio lor padre & mio fratello . Et intendo che quello che costoro o la maggior parte di loro o di quegli che allora vivi saranno faranno intorno a facti de decti miei nepoti , vaglia & tenga ne possa essere per gli altri rivocato o anullato o permutato .

Appresso in executori & fedeli commessarii del mio presente testamento overo ultima volunta eleggho & priego che sieno questi che appresso scrivo . Il venerabile mio padre , & maestro Martino da signa del lordine de frati heremitani di Sancto Agostino di firenze . Barduccio di cherichino . Francesco di lapo Bonamichi . Agnolo di torino Bencivenni & Iacopo di Boccaccio mio fratello a quali do piena balia & autorità di vendere & alienare del mio o de miei beni quello , che conosceranno essere opportuno alla decta executione in loro per me facta . Et intendo che quello che la maggior parte di loro di quegli che allora vivi saranno si fara o adoperera intorno alla decta executione sia fermo & rato etiandio contradicendolo gli altri ne si possa per gli altri mutare . Et questo intendo sia il mio testamento , & ultima volunta da a rivocando & annullando ognaltro testamento il quale insino a questo di facto avessi &c.

Vas) Paulus ex Festo . Vadem , sponsorem significat datum in re capitali . Græcis ἐξηγγυημενοι , qui vadimonio sunt obstricti , eaque lege dimissi , ut in certum diem sistantur.

Si ille non revertisset) Sic omnes mei , & Tertii . Male alias , *si ille non revertisset ad diem* .

Moriendum esset sibi ipsi) *Moriendum esset ipsi* , quattuor , & Tertii . *Moriendum esset ipsi sibi* , unus . *Moriendum esset etiam sibi ipsi* , unus . *Moriendum esset etiam*

In amicitiam tertium adscriberent) *Ad amicitiam* , octo , & Tertii . *Scriberent*, unus .

CAPUT XI.

IN *Corinthi disturbatione*) De Bello Achaico lib. I.

Æginetis) Vide Valerium lib. IX. cap. de Crudelitate , Plutarchum in Lysandro , Thucydidem lib. VIII. Xenophontem lib. II. Ælianus in Variis hanc historiam mendose refert . Servius Sulpicius ad Cic. Fam. lib. IV. ep. 5. *Ex Asia rediens , cum ab Ægina Megaram versus navigarem , cœpi regiones circumcirca prospicere : post me erat Ægina , ante Megara : dextra Piræeus , sinistra Corinthus* . Æginam Atticus quidam Piræo velut oculis mucum eximendum censebat . Plutarchus in Demosthene .

Cannensi calamitate) Livius lib. XXII. Florus lib. II. cap. 6.

Athenienses &c.) Vide Isocratem in Panegyrico , & Maximum Tyrium Sermon. 3.

Troezene) Troezenios Pomponius Mela fide societatis Atticæ illustres appellat .

Naves conscenderent) Themistocle suadente .

Cyrsilum quemdam , &c.) Locus hic a Demosthene pæne exscriptus videtur , apud quem hæc sunt in oratione pro Ctesiphonte : Και ταυθ' ὑτω σεμνα , και προσηκοντα τοις ὑμετεροις ηθεσιν ὑπελαμβανετε ειναι , ὡς τε και των προγονων της ταυτα πραξαντας μαλις' επαινειτε , εικοτως . τις γαρ ουκ αν αγασαιτο των ανδρων εκεινων της αρετης , οἱ και την χωραν και την πολιν εκλιπειν ὑπεμειναν εις τας τριηρεις εμβαντες ὑπερ τυ μη το κελευομενον ποιησαι ; τον μεν ταυτα συμβυλευσαντα Θεμιστοκλεα στρατηγον ἑλομενοι . τον δε ὑπακυειν τοις επιταττομενοις , αποφηναμενον Κυρσιλον καταλιθωσαντες , υ μονον αυτον , αλλα και αἱ γυναικες αἱ ὑμετεραι γυναικα αυτυ . υ γαρ' εζητυν οἱ τοτε Αθηναιοι υτε ῥητορα , υτε στρατηγον , δι' ὑ , δυλευσουσιν ευτυχως . αλλ' οἱ δε ζην ηξιυν , ει μη μετ' ελευθεριας αυτοις εξεσαι τυτο ποιειν . ἡγειτο γαρ αυτων ἑκαςος υχι τῳ πατρι και τη μητρι μονον γεγονησθαι , αλλα και πατριδι , διαφερει δε τι ; ὁτι ὁ μεν τοις

γονευ-

CÆLII CALCAGNINI
DISQVISITIONES
IN
M. T. CICERONIS
DE OFFICIIS LIBROS.

M. ANTONII MAIORAGII

DECISIONES XXV. QVIBVS M. TVLLIVM CICERONEM AB OMNIBVS CÆLII CALCAGNINI CRIMINATIONIBVS LIBERAT.

IACOBI GRIFFOLI LVCINIANENSIS

DEFENSIONES M. TVLLII CICERONIS CONTRA CÆLII CALCAGNINI DISQVISITIONES IN EIVS DE OFFICIIS LIBROS.

AMPLISSIMO ATQUE ILLUSTRISSIMO VIRO

FRANCISCO SFRONDATO,

SENATORI, ET CONSILIARIO CÆSARIS CLARISSIMO,
M. ANTONIVS MAIORAGIVS
S. P. D.

VIde quam mihi persuaserim, tibi grata esse, quæ facio omnia: & ea præcipue, quæ ad mansuetiores Musas pertinent, quibus tu mirifice delectaris, ut ceteras tuas eximias ac prope divinas virtutes, hæc una laus majorem in modum exornare videatur. Accesseram nuper in forum, quo mihi rarissime per occupationes meas licet accedere: cum juvenis quidam ex his, qui me publice profitentem audiunt, familiaris, ac necessarius meus, mihi libellum attulit, quem numquam antea videram, in quo mira quædam se legisse dicebat, & ante eum diem inaudita: nempe Ciceronem in Officiis quinque & viginti locis a Cælio Calcagnino notatum, & reprehensum. Ego qui Ciceronem ab ineunte adolescentia semper feci plurimi, & cum cetera fere omnia, tum illud præsertim opus de Officiis legendo & interpretando pene contrivi, cœpi ridere Momi illius insaniam, qui in tam eleganti & venusto corpore speraret aliquid invenire se posse, quod juste reprehenderet. Sed tamen ea mihi legenda, quæ notaverat, existimavi, ut si quid esset argute dictum, atque ingeniose excogitatum, laudarem hominis acumen & ingenium, temeritatem improbarem. Non enim mihi persuadere poteram, in tam præclaro opere reprehensione dignum quidquam inveniri: nec fas esse ducebam, hanc maculam in Ciceroniano nomine diutius insidere, atque inveterare. Quamobrem eo animo derepente libellum arripui, ut ab injusta (si fieri posset) accusatione patrem eloquentiæ liberarem. Quod certe Musis approbantibus satis feliciter effecisse mihi videor. Nam quamvis essent multa tam ingeniose, atque

que acute excogitata, ut non tantum probabilia, sed etiam vera viderentur, eis præsertim, qui Dialecticis imbuti non sunt: ego tamen omnia tam facile defendi, & rectissime dicta probavi, ut a nemine sit amplius dubitandum. Quam lucubratiunculam meam tibi dicandam esse censui: vel quod te semper Ciceroniani nominis amatorem & studiosum fuisse cognovi, ut tibi gratissima hæc sedulitas mea sit futura: vel quod ego neminem habeo, quem magis quam te sperem aliquando studiorum meorum fautorem atque amplificatorem fore. Nam ex quo die te cognovi, semper erga me magnopere propensam atque inclinatam voluntatem tuam animadverti. Quam spem & cogitationem de te meam auxit vir clarissimus Franciscus Crassus: qui cum non ita pridem Mediolanum revertisset, ab ea Senarum administratione, in qua tantam dignitatem & gloriam consecutus est: de animo tuo, & de sermonibus, quos de me frequenter haberes, mihi narravit. Maxime vero confirmatus sum, postquam tu Mediolanum proxime reversus, me tam humaniter excepisti, cum ad te venissem salutandum, & tam familiariter mecum sermones contulisti. Itaque sim ingratissimus, nisi te supra mortales omnes colam, atque observem, cum præsertim tantæ sint ingenii tui suavitates, tantæ dotes, de quibus dabitur aliquando mihi copiose tractandi facultas; est enim magnus laudum tuarum campus; in quo exultare facile possit oratio. Nunc a te quæso, ut attente bonaque cum venia Decisiones has meas, quibus Ciceronem a Calcagnini criminibus liberavi, perlegas: quæ (ut spero ac opto) tibi gratæ erunt, ac jucundæ. Vale. Ex ædibus nostris VIII. Idus Iul. M. D. XLIII.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTORES.

ETsi mihi non dubium est, quin iis omnibus, qui Cicerone duce sperant aliquando summum eloquentiæ fastigium attingere, jampridem sit ita persuasum, M. Tullium Ciceronem in omni doctrinæ genere tantum excelluisse, ut post homines natos nullus umquam fuerit apud Latinos, qui, non dicam cum eo certare, sed ne quidem ejus vestigia longo intervallo premere potuisse videatur. Tamen cum videam hoc tempore, quo liberalissimarum artium studia maxime vigent, nonnullorum hominum ineptissimorum tantam esse audaciam, ut procaci lingua sua divini oratoris manes vexare, & insectari non dubitent: facere non potui, quin hanc causam tam gravem, tam illustrem, tam honestam susciperem: ut a maledictis conviciatoribus Ciceronis auctoritatem defenderem. Nihil enim video in quo possim ego, aut utilius in hac ætate mea juvenili stylum exercere, aut bonarum literarum amatoribus magis gratificari, aut denique facilius laudem aliquam & gloriam, quam optimus quisque expetit, mihi parare, quam si refellendis maledicorum criminationibus, omnis eloquentiæ parentem Ciceronem iniquissime doceam accusari. Etenim si Cælius Calcagninus, vir alicujus in literis nominis, quicum mihi primo congredi certum est, & alii nonnulli magnæ sibi laudi futurum & gloriæ sperarunt, si contra Ciceronem aliquid verisimile possent excogitare: quanto mihi gloriosius, ac laudabilius erit, si recte patrocinatus ei fuero, quem omnes, dum viveret, sibi patronum adesse cupiebant? At dicet fortasse quispiam, Quis tu es? aut unde tibi tantum virium, ut hoc oneris aut facile subire solus, aut commode sustinere possis? Ego vero si ejus auctoris, quem defendo, dignitas atque amplitudo spectetur, fateor huic causæ me non idoneum patronum exsistere. Quis enim recte possit Ciceronis excellentiam ac laudes enarrare, nisi si iterum ipse reviviscat Cicero? Sed si quis causæ facilitatem

tatem

tatem spectare voluerit, intelliget profecto non modo me qui jam longo studio ac labore nonnullos in disciplinis progressus feci: sed quemlibet pene dicam imperitum hominem, qui primoribus (ut ajunt) labris literas degustarit, hanc causam defendere, ac tueri posse: cum præsertim innumerabiles pene advocatos, qui Ciceroni faveant, atque infinitos sententiæ meæ subscriptores sine dubio sim habiturus. Nam quis hoc tempore Ciceronem non diligit? quis non admiratur? quis non omni ratione defendendum putat? Huc accedit id, quod maximum est, & in omni causa semper plurimum valuit: nam ea quæ Ciceroni objiciuntur, tametsi argui suspiciose possunt, tamen omnino falsa sunt omnia; ut non verear, quin facile submotis falsitatis tenebris ipsa per se veritas elucescat. Illud præterea mihi non mediocre calcar addidit ad hanc provinciam suscipiendam, quod animadverti paucos admodum adversarios esse, eosque leves ac fugaces, ut non hostes legitimi, sed sicarii potius, ac prædones esse videantur, qui non cominus certare audeant, sed ex insidiis aggredi, & vibrato jaculo Parthorum more fugere soleant. Verum hoc tempore certum est, eos prætermittere, qui non tam audaces ac temerarii fuerunt, timideque, ac paucis Ciceronem accusarunt. Unus mihi omnium audacissimus Cælius Calcagninus arripiendus est, cujus maledictis respondeam, quem insecter, cujus imperitiam notam omnibus efficiam, quem eruditis viris deridendum propinem. Hic enim in uno de Officiis opere, quinque & viginti locis Ciceronem annotavit: sed ita, (ut paulo post aperte declarabo) ut pleraque eorum, quæ tamquam errata reprehendit, ipse non intelligat. Hujus igitur hominis loquacitatem, honestis ac veris rationibus reprimendam esse censui: ne forte ceteri ejusdem generis literatores, audaciores ad detrahendum bonis auctoribus fierent, si tantam hic impune petulantiam tulisset. Quam quidem meam operam, ac laborem, spero bonis omnibus gratissimam ac jucundissimam futuram: vobisque in primis, qui tantum jam profecistis in literis, ut admirabilem, ac divi-

nam


nam Ciceronis intelligentiam & doctrinam agnoscatis. Illud enim mihi persuasum est, non posse Ciceronem ab eis non vehementer amari, qui singulares ejus virtutes intelligunt. Vos igitur omnes Ciceroniani nominis amatores mihi patronos ac defensores paro. Vos exploratum habeo, nullo umquam tempore mihi defuturos, vestra fide sapientiaque fretus hoc onus sustuli; quod si vos aliqua ex parte allevabitis, erit omnino mihi leve & gloriosum; neque dubito, quin unusquisque vestrum libentissime causæ meæ patrocinaturus sit. Ergo quicumque estis ubique, quibus valde placet Cicero, decisiones has meas vobis adprobandas ac defendendas existimate. Ex hoc fore hunc numero, quem ego mortalium omnium plurimi facio divinum hominem Sfrondatum certo scio; qui cum rerum præclarissime gestarum gloria tantum excellat, ut Carolo quinto Imperatori semper Augusto & utilissimus & gratissimus sit: tamen bonis literis adeo mirifice delectatur, ut nemo propius ad venerandam illam M. Tullii majestatem, vel dicendo, vel scribendo videatur accedere. Ex hoc numero modestissimus & clarissimus vir Franciscus Crassus, Senator: cujus ab ore melle dulciorem fluere sonum his auribus audivi, quo tempore in fano religiosissimo Mediolani summa cum audientium omnium admiratione coram Cæsare gravissimam illam & splendidissimam orationem habuit. Ex hoc Alciatus noster, totius orbis decus, qui cum Iuris prudentia ceteris omnibus antecellat, tum vero eloquentia tanta est, ut ad eum audiendum undique populi confluant, ac nationes: multi præterea ex agro nostro Mediolanensi, quos hoc tempore, ne nimis longa sumatur oratio, prætermittam. Quot deinde in ceteris Italiæ partibus? quot in Gallia? quot in Germania? quot in Hispania reperiuntur, qui Ciceronis amantissimi sunt, ac studiosissimi? His igitur omnibus non solum gratam & jucundam, sed etiam patrocinio suo dignam visum iri diligentiam meam certum habeo. Quare age tanto vallati præsidio, jam tandem firmo, & constanti animo Calcagninum istum aggrediamur.

M. T. CICERONIS
DEFENSIONES
CONTRA
CÆLII CALCAGNINI
DISQVISITIONES IN EIVS OFFICIA,

PER IACOBVM GRIFFOLVM LVCINIANENSEM, AD ILLVSTRISSIMVM ALOYSIVM CORNELIVM, MAGNVM COMMENDATARIVM CYPRI.

Magna fuit Illustrissime Commendatarie Cælii Calcagnini existimatio, magna viget ob miram in omni disciplina eruditionem ejus nominis auctoritas; quare cum ejus disquisitiones in officia Ciceronis in manus meas pervenissent, admiratus eas legi quam diligentissime; cum enim ad hanc ætatem præclarissimum illud opus aut omnes sint admirati, aut frustra quidam ex eo nescio quæ reprehendere conati; existimabam in eo nihil omnino esse, quod non accuratissime scriptum videretur; verum tanti viri nomen, fateor, me commovit, ac statim in eam mentem impulit, ut putarem, quæ vitia ab aliis deprehensa non fuissent, hujus acerrimum ingenium fugere nequaquam potuisse; quamobrem disquisitiones ejus legi, ut dixi, quam diligentissime; ut si quo in errore versarer, eum mihi Cælius eriperet. Verum cum nihil mihi videretur occurrisse, in quo M. Tullius convinceretur, existimavi, ut ex me tu sæpius audisti, doctissimum illum virum, ut ratio disquisitionis postulat, contra M. Tullium disputasse, ut eo nomine doctorum ingenia excitaret, qui causam ejus suscipientes, quæ illi videbantur ambigua, ea disputando facerent perspicua: quare tu mecum agere cœpisti, ut, quoniam ita voluisse Cælium existimarem, ingenium gravissimi scri-

ſcriptoris, & de genere humano tam bene meriti ſartum tectum ab omni calumnia conſervarem; ego vero qui nullum officium æque mihi neceſſarium eſſe duco, quam obſequi voluntati tuæ, imperii tui potius, quam imbecillitatis meæ ratione habita dedi operam, quam potui diligentiſſimam, ne quid ineſſe vitii in illis libris videretur, quorum præceptis adeo vitam tuam conformaſti, ut quidquid de eis detrahatur, de moribus plane tuis detrahi videatur: ſed jam cum Cælio agendum eſt.



M. ANTONII MAIORAGII
DECISIONES VIGINTI QVINQVE,


Quibus M. Tullium Ciceronem ab omnibus Cælii Calcagnini criminationibus liberat.



SI te magnam dicendi facultatem studio & disciplina comparatam habere viderem, Calcagnine, ut eleganti verborum splendore, & sententiarum gravitate, locutionem exornare, & Ciceronianam dicendi majestatem aliqua ex parte referre videreris: omnino te ingrati animi, atque ipsa malitia jejuni, accusandum ac damnandum esse censerem, quod eum eloquentiæ magistrum, & suavissimæ dictionis artificem, per quem egregie profecisses, tam perfidiose ac nefarie sine causa vituperandum atque insimulandum ignorantiæ nomine suscepisses. Erumpet enim ex me vera vox, & dicam aperte quod sentio, ut volet quisque accipiat. Ego non aliunde judico, quam ab uno Cicerone, Latini sermonis candorem atque elegantiam comparari posse. Sed cum a Romanæ dictionis proprietate, & castimonia, loquendi genus tuum tam alienum esse videam, ut alium potius quemvis auctorem, quam eum, in quo totas vires suas experta est eloquentia, legisse videaris: non jam te ingrati animi, sed temeritatis, & audaciæ potius condemnandum esse judico. Nam quid magis audax, aut temerarium esse potest, quam te hominem vulgaris, ut res ipsa declarat, eruditionis de Cicerone judicium ferre voluisse? cujus admirabilem eloquentiam, incredibilem scientiam, divinam intelligentiam ne primoribus quidem (ut dici solet) labris degustaris? Poterat te sane consensus omnium eruditorum uno ore Ciceronem adprobantium ab improbitate tanta revocare: poterat te revocare de Ciceronis eminentissima scientia, singulari judicio, admirabili rerum

omnium cognitione, confirmata tot jam seculis opinio. Sed nimirum immoderata quædam atque inanis aucupandæ gloriæ cupiditas, quæ sæpenumero sapientiores etiam homines facile transversos rapit, tuum pectus titillavit. Credebas enim (ut opinor) futurum, ut per hanc improbandi tam egregii auctoris occasionem, nomen tuum disseminaretur in orbis terræ memoriam sempiternam. Verum ista tua tam effrænata gloriæ cupiditas te omnino frustrata est. Nam si quid apud eruditos homines, quæ semper plurimum potuit, hoc etiam tempore veritas potest, efficiam profecto hodie, ut omnes intelligant, te nullum penitus in iis rebus, in quibus Ciceronem accusas, habuisse judicium. At etiam, si Diis placet, Albertum nescio quem, virum credo bonum & eruditum, tibi patronum ac defensorem paras: perinde quasi possit aliquis diutius tueri falsitatem, ac non ipsa per se veritas elucescat: aut, si Albertus ille tuus aliqua polleat eruditione, non sit una mecum temeritatem tuam improbaturus. Nam quanto rectius a te factum esset, si quæ fortasse non intelligebas, aut de quibus aliquo modo dubitabas, ea cum Ciceronianæ Philosophiæ studiosis aliquibus communicasses? Facile est damnare, quæ non intelligimus: sed hæc imperitorum consuetudo. Turpe est autem homini litterato tam facile contra jam omnium consensu probatos auctores, & tam temere verba facere. Nam e duobus alterum omnino necesse est, ut aut ceteros omnes, qui jampridem in manibus opera Ciceronis habuerunt, imperitiæ condemnes, quod hos (ut tu appellas) errores non adverterint; te vero unum scilicet omnium ingeniosissimum, & perspicacissimum credas, qui tamquam lynceus quidam ea videas, quæ ceteri numquam videre potuerunt: aut si ceteri nonnihil erroris subesse cognoverunt, neque tamen improbarunt, te omnium audacissimum profitearis. Quod utrumque sane & vitiosissimum est, & intolerabilis arrogantiæ. Omnino vel hujus, vel illius vitii culpam subire tibi necesse est. Vtrum mavis, elige. Quamvis ego te & accusandum, & damnandum utroque crimine statuo. Primo, quia tantam tibi
 scien-

ſcientiæ perſuaſionem inducis, ut omnium judicio tuum judicium anteponas: quod ſummæ eſt arrogantiæ. Deinde, quia totius eloquentiæ parentem nefarie ac parricidioſe, ſine cauſa laceras: quod incredibilis eſt audaciæ. Sed jam ad Diſquiſitiones tuas veniamus, & ſingulatim omnes diligentiſſime perpendamus, atque examinemus, ut notum fiat omnibus, quam inſulſe atque invita Minerva Ciceronis propugnatrice ac patrona divinum hoc opus de Officiis carpendo, Deum oratorum imperitiæ condemnare volueris.



DIS-

DISQVISITIONES
ALIQVOT IN LIBROS OFFICIORVM
M. T. CICERONIS
CÆLIO CALCAGNINO AVCTORE.

Disquisitio prima.

PRimo mihi titulus non plane satisfacit, *de Officiis*; nam plenius atque uberius de Officio existimassem, sicuti & Panætius inscripsit περι τυ καθηκοντος. Nec me fallit, Ciceronem libro decimosexto epistolarum ad Atticum ex professo hanc inscriptionem magis probasse, ceu pleniorem. Sed suæ sententiæ nullam rationem affert; quare nulla eum alia causa motum ad titulum immutandum arbitror, quam ut a Panætio evariaret, cui palam reclamat: quo jure, quave injuria se illi offerat occasio. Quare quum in universum de eo quod ad hominem pertinet, quodque agi deceat in omni vitæ genere, his libris pertractet Cicero: non autem ad aliquarum personarum officia & functiones se obstringat, multo plenius est, multoque latius propositum Ciceronis complectitur officium, quam officia. Sicut de situ terræ, quam terrarum, libentius Geographicos meos inscripserim, sic de imperatoris officio rectius liber inscribatur, quam imperatorum, in quo in universum præscribatur, quid imperator agere debeat, & qua ratione imperatoriam potestatem administret. Contra, vitas imperatorum, & de imperatoribus commentarios nuncupaverim, quibus non omnium, sed aliquorum gesta comprehendam. Sunt enim nonnulla verba, quæ in numero unitatis uberius quid significent, quam in numero multitudinis. Ad hoc exemplum titulum quoque *De Finibus Bonorum & Malorum* immutavit, quem Zeno περι τελυς, mea quidem sententia multo commodius inscripserat, ipso etiam Cicerone assertore, qui in tertio de Finibus inquit: Quum enim hoc sit extremum, sentis enim credo, me jamdiu quod τελος Græci dicunt, id dicere tum extremum, tum ultimum, tum summum: licebit enim finem pro extremo aut ultimo dicere: Quum ergo hoc sit extremum, congruenter naturæ convenienterque vivere, necessario sequitur, omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere, nulla re impediri, nulla prohiberi, nulla egere.

M. Ant. Majoragii Decisio prima.

PRimo tibi titulus (ut ais) non satisfacit: Magna vero causa, quæ te ad suscipiendum cum Cicerone certamen impulerit, quod tibi titulus non satisfaciat. At plurimum & ingeniosissimis & eruditissimis viris, qui ante

te fuerunt, satisfecit: quorum nemo fuit umquam, qui hanc inscriptionem improbaret: nisi forte Plinio te præferendum existimas, qui in præfatione Naturalis historiæ titulum hunc agnoscit, cum Ciceronem de Officiis Panætium secutum fuisse scribit. Quæ volumina (inquit) ejus ediscenda, non modo in manibus habenda quotidie nosti. Ecce quantopere Plinius hoc opus de Officiis commendat, quod tu quodam in loco, in istis disquisitionibus tuis, tamquam sterile, jejunum, & mutilum vituperas. Sed fuerint sane cæci tot summi viri, qui & nostra, & majorum nostrorum memoria floruerunt: non adverterint hunc Ciceronis (ut tu credis) errorem. Videamus quid tu, videlicet vir ingeniosus, & Ciceronianorum operum Aristarchus sentias. Profer in medium, quæso, rationes istas, quibus hanc de Officiis inscriptionem vituperes. Plenius, inquis, atque uberius de Officio, existimassem: sicuti & Panætius inscripsit, περι τȣ καθηκοντος. En causam, quare a Calcagnino nescio quo parens eloquentiæ Romanæ Cicero reprehendatur. Revocas igitur nos omnes Ciceronis studiosos ad sententiam tuam? & postulas, ut tibi tamquam Apollini cuipiam Delphico credamus, plenius atque uberius de Officio esse, quam de Officiis? Sed de hoc paulo post; illud nunc a te peto, unde Panætii libros ipse habueris, ex quibus intelligeres, eos de Officio, non de Officiis esse inscriptos? Equidem existimo, nullum hoc tempore Panætii scriptum extare, sed legeris apud aliquem auctorem titulum hunc: Sic enim ad Atticum scribit Cicero: Nos hic φιλοσοφȣμεθα, quid enim aliud? & τα περι τȣ καθηκοντος magnifice explicamus προσφωνȣμένque Ciceroni; qua de re enim potius pater filio? Inscripserit etiam ita Panætius suum opus, (vide quid tibi largiar, quod si negem, probare non possis) num idcirco necesse fuit Ciceroni verbum e verbo reddere? cum præsertim fateatur ipsemet, se Stoicos in hoc opere potissimum sequi, non ut interpretem, sed ut solemus (inquit) e fontibus eorum judicio arbitrioque nostro, quantum, quoque modo videbitur, hauriemus. Vult igitur uti judicio, arbitrioque suo Cicero, non Panætium in omnibus sequi: neque fuit ea causa mutandi tituli, quam tu frigide sane, atque inepte objicis, ut a Panætio variaret. Sed quoniam utriusque linguæ peritissimus fuit, & hanc inscriptionem, ut est, ita meliorem, ac magis propriam existimavit: quod ipse scribens ad Atticum in quadam epistola docet his verbis: *Quod de inscriptione quæris, non dubito quin τȣ καθηκον Officium sit, nisi quid tu aliter: sed inscriptio plenior, de Officiis*. Nam quæ fuisset Ciceronis amentia, cum intelligeret, ut tu vis, melius esse, de Officio, quam de Officiis librum suum inscribere, si maluisset errare, quam cum Panætio bene sentire? Sed tu nimirum cum nugatoriam causam susceperis, mavis sine ratione garrire, quam prudenter tacere. Non enim linguarum proprietates intelligere videris: nam eleganter sane Græce dicitur, περι τȣ καθηκοντος, quod siquis per majorem numerum enuntiet hoc modo, περι των καθηκοντων, priorem illam venustatem amittat. Contra titulum istum tuum de Officio, vix Latinæ aures patiuntur: nisi fortasse aliquid addatur aliud, quod ad propriam aliquam artem pertineat: ut, de Imperatoris officio, de officio Medici: quibus tu exemplis mentis nostræ aciem per-

perstringere conaris; perinde quasi sit idem, de officio Imperatoris, & de Officio, simpliciter. Quod si Dialecticis imbutus esses, non ita certe teipsum, atque imperitos homines deciperes. Plurimum enim interest (ut in Elenchis docet Aristoteles) cum additione aliquid proferre, atque illud idem sine additione. Sed hæc relinquamus, quæ tu fortasse non intelligis. Illud videamus, quod ais, nonnulla esse verba, quæ in numero unius uberius quid significant, quam in numero multitudinis: in quorum numero nos Officium non ponimus. Nam quam ridicula est hæc apud intelligentes argumentatio: Nonnulla sunt nomina, quæ cum singulari numero proferuntur, plenius significatum habent, quam si eadem illa per numerum communem enunties: ergo Officium est hujusmodi? Hoc enim quod concludis, te probare oportebat, quod non facis. Vbi quæso reperisti, plus esse Officium, quam Officia? Sed addis aliud non minus ineptum, nec minus ridiculum enthymema, quod ita conformari potest: Melius est inscribere Geographicos libros de situ Terræ, quam Terrarum: ergo Cicero libros suos de Officio, non de Officiis appellare debuit. Nihil ne te pudet hominem (ut audivi) peritum, & magni nominis, ita argumentari? Vbi est acumen tuum? Hæc ne tibi videntur esse consectaria? non hercle magis, quam siquis ita colligat: Mundus providentia regitur; ergo respirant sub aqua pisces. At tu tibi places ea (ut ita dicam) obratiocinatione, audesque titulum etiam de Finibus bonorum & malorum repehendere, quem Zeno *περὶ τέλους* commodius, ut tu existimas, apposuerat: arguisque mutatum esse a Cicerone. Sed dic mihi, num in libris de Finibus bonorum & malorum, ita Zenonem imitatur Cicero, sicut de Officiis Panætium? Quî potest (inquis) cum in eis omnium fere Philosophorum sententias de finibus perscrutetur? Cur igitur eum titulum ad hanc censuram revocas, cum longe sit diversa ratio? quasi vero de uno tantum fine locutus sit, ac non collegerit, quidquid ab antiquis Philosophis super ea re dictum fuerat. Inscripserit igitur bene Zeno, qui unicum beatæ vitæ finem, nempe Honestatem statuebat: num ideo coges exemplo Zenonis Ciceronem de Fine boni & mali libros suos inscribere, in quibus Philosophorum pene omnium opiniones prosequitur? Sed ad priorem quæstionem revertamur. Dico rectissime de Officiis, hoc opus inscriptum esse: pessime fieri, si de Officio, quemadmodum tu vis, inscribatur. Nam si de arte aliqua speciatim tractaret, aut de aliquo ordine, melius fortasse de Officio, quam de Officiis inscripsisset: ut de Consulis Officio, de Prætoris Officio, atque ita de reliquis. Sed cum omnem artem, omnem ætatem, omnem ordinem, omne denique genus hominum his libris comprehenderit, & officii sui singulos admonuerit, necesse fuit, ut si Latine loqui volebat, de Officiis, non de Officio titulum apponeret. Nulla fuit ergo causa, cur inscriptionem hanc damnares: nisi quia sperasti, quemadmodum initio diximus, per hanc occasionem fieri posse, ut vulgo innotesceres, si de Ciceronis fama detraxisses. Non enim te fugiebat (ut arbitror) hos fere libros, in quibus de moribus tractatur, apud bonos auctores & Latinos, & Græcos numeri majoris inscriptionem habere. Sic Plato, cum libros suos de Republica posset inscribere, *περὶ*

περι πολιτειας, maluit tamen περι πολιτειων. Sic Aristoteles non ηθικης, sed ηθικων, neque πολιτικης, sed πολιτικων, neque οικονομικης, sed οικονομικων inscripsit. Quæ eum ita sint; nescio quæ te tanta maledicendi cupiditas obcæcarit, ut hæc tam aperta non videres. Sed jam ad reliquas disquisitiones tuas veniamus.

Iacobus Griffolus ad primam Cælii Calcagnini disquisitionem.

CÆlio titulus de Officio, quam de Officiis plenior videtur: itaque cum M. Tull. scribat ad Atticum pleniorem sibi videri inscriptionem suam, nec rationem tamen ullam afferat, existimat Cælius, eum ambitione quadam, vel potius livore, inscriptionem Panætii περι του καθηκοντος, hoc est de communi officio immutasse; quare id eum fecisse putat, ut a Panætio evariaret, cui palam eum reclamare ait, quo jure, quave injuria se illi offerat occasio. Nunc obsecro te, ut æquo mihi animo concedas eam libertatem agendi cum Cælio, quam ille contra M. Tull. sibi sumsit, cum præsertim necessarium plerumque sit, defensionem ad accusationis rationem accommodare; quamquam perficiam ut multo magis Cælius modestiæ suæ, quàm ego meæ oblitus esse videatur; quem statim in Ciceronem velut imperitum aliquem atque adeo malignum invasisse vides; itaque cum rationem nullam afferat, cur inscriptionem Panætii immutasset, invidia motum illum existimat; itane vero? rationem afferre Cicero non potuit, cur ita sentiret? nec humanius ejus sententiam Cælius interpretari potuisset? aut saltem diligentius investigare, qua vir doctissimus ratione duceretur? Quanto modestius, quantoque gravius Ioannes Baptista Egnatius vir in omni disciplina clarus ipsius Ciceronis auctoritati de hac inscriptione acquiescendum esse statuit; cujus quidem judicium cum in ceteris omnibus, tum in his libris, quos ille in primis admiratur, ego secutus spero me consecuturum, ut omnes fateantur rectum Ciceronis judicium fuisse, si prius viderimus, quibus argumentis Cæl. confirmet officium latius propositum Ciceronis, quam officia complecti. Cum, inquit, universum de eo, quod ad hominem pertinet, quodque agi decet in omni vitæ genere his libris pertractet Cicero, non autem ad aliquarum personarum officia, & functiones obliget, multo plenius est, multoque latius propositum Ciceronis complectitur officium, quam officia; hæc sunt verba Cælii, quæ primum non satis inter se videntur consentire; aliud est enim quod ad hominem universe pertinet, aliud quod agi decet in omni vitæ genere: illud enim ad speciem ipsam pertinet, quæ omnes homines complectitur, & facit ut omnes unum sint; atque idem est universale, & omnibus commune; hoc autem ad diversa genera, & diversæ fortunæ, & sortis homines referendum est: ut ad privatos, ad magistratus, ad imperatores, ad senatores, & ad alios, quorum omnium diversa est vitæ ratio, & diversa sint officia necesse est; de quibus in his libris M. Tullius tractavit. Quod si tantum quæ ad omnes homines, ut ille scribit, ad universum genus hominum pertinent, tractare voluisset, rectius omnino de Officio, quam de Officiis inscri-

scripsisset libros suos; cum autem quæ cives, quæ peregrini, quæque diversorum sint officia, velit scribere, non video, cum sint tam dissimilia, & ad homines spectent adeo dissimiles, quo modo plenior sit inscriptio de Officio, quam de officiis; nam quod ad aliquarum personarum officia se non obstringat, fateor, non enim de Catonis officio, aut Lælii scribere constituit, verum senatoris, & hominum variarum conditionum, quarum non iidem possunt esse gradus officiorum: quæ cum tam multa sint, & tam varia, ut quod uni generi conveniat, ab altero prorsus abhorreat, uno tamen tractatu volens omnia complecti, de Officiis maluit suum opus inscribere, quam de Officio; & hæc est ea ratio, ni fallor, quam Attico scribere tamquam notissimam omisit: non, ut Cælius existimat, ut cum Panætio bellum gereret; quem quidem tantum abest, ut oppugnet, ut etiam sæpe defendat, & laudet, ut in tertio Offic. ubi sic ait: *Ac primum Panætius in hoc loco defendendus est, quod non utilia cum honestis pugnare dixit aliquando posse (neque enim ei fas erat) sed ea, quæ viderentur utilia*, & quæ sequuntur. Rursus in eodem inquit; *Qui autem omnia metiuntur emolumentis, & commodis, neque volunt ea præponderari honestate, hi solent in deliberando honestum cum eo, quod utile putant, comparare; boni viri non solent*; itaque existimo Panætium, cum dixerit homines solere, in hac comparatione dubitare, hoc ipsum sensisse, quod dixerit solere modo, non etiam oportere; defendit igitur eum Cicero, eum defendi patet, nec ullum omittit laudandi tempus; quare in secundo: *Iudicis*, ait, *est semper in causis verum sequi, patroni nonnumquam verisimile, etiam si minus sit verum, defendere; quod scribere, præsertim cum de philosophia scriberem, non auderem, nisi idem placeret Panætio Stoicorum gravissimo*. Hic quod reprehendi jure posset, Panætii tamen auctoritate probat; quem etiam gravissimum Stoicorum appellat. Nec ita multo post (inquit) theatra, porticus, nova templa verecundius reprehendo propter Pompeium; sed doctissimi non probant, ut & hic ipse Panætius, quem multum in his libris secutus sum, non interpretatus. Hîc non solum in doctissimis numerat, verum testatur se multum in iis libris Panætium secutum esse, id quod minime fecisset, si ejus laudem, & gloriam voluisset imminuere; in calce vero tertii libri de Fin. ita de Panætio scriptum reliquit: *Quam illorum tristitiam, atque asperitatem fugiens Panætius, nec acerbitatem sententiarum, nec disserendi spinas probavit; fuitque in altero genere mitior, in altero illustrior, semperque habuit in ore Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Dicæarchum, ut ipsius scripta declarant*. Iam vides, quam juste Ciceronis invidiam, aut iniquitatem Cælius accuset; sed eo jam ventum est, ut ne liberum quidem sit scriptoribus, quo libeat titulo sine ullius malevolentiæ suspicione suos libros inscribere; at quando sibi Cælius hoc sumit, ut tam libere Ciceronis judicium reprehendat, firmioribus argumentis id fieri oportuit; nam Cælii similitudines parum sunt rei similes, cum qua conferuntur; multo enim plenius, inquit, multoque latius Ciceronis propositum complectitur officium, quam officia, sicut de situ terræ, quam terrarum libentius geographicos meos inscripserim; sic de Imperatoris officio rectius inscribatur, quam Imperatorum; in quo univer-

sum

ſum præſcribatur , quid Imperator agere debeat, & qua ratione Imperatoriam poteſtatem adminiſtret; at in quonam terra , quæ eſt una , & unum corpus, ac unum elementum, ſimilis eſt officio , quod eſt tam varium , & tam multiplex? in quonam Imperator , qui unus eſt tantum dignitatis gradu ad omnes pertinens Imperatores? ſatis ſpero ſuperius multa eſſe genera officiorum declaratum, quæ uni convenire nulla ratione poſſunt ; at nullum eſt officium Imperatoris , quod non ſit omnium Imperatorum , nec terra , cum una ſit, plures ſitus, quam unum poteſt habere ; quare de ſitu terræ, & non de ſitibus terrarum, itemque de officio Imperatoris, & non de officiis Imperatorum ipſe quoque meos libros inſcripſerim; contra vero de officiis hominum, & non de hominis officio. Sed video jamdudum in quo verſetur Cælius errore ; ad id enim reſpicit, quod omnes ſunt homines, quorum officia ſcribuntur, ut omnes Imperatores; hoc eſt illud, inquam , quo Cælius decipitur. Nam Cicero ad conditiones hominum & gradus, & ſtatus , & fortunas reſpicit., quorum propria cujuſque ſunt officia ſeparatim præſcribenda. Jam vero cur vitas Imperatorum , & commentarios de Imperatoribus nuncuparet, quia non omnium, ſed aliquorum geſta comprehendit ? at ego potius quia Imperatores habent artem quidem, & diſciplinam communem, proprias autem res geſtas, ut oratores ; habent illi quidem artis eadem præcepta , ſed ex illis proprium ſibi quiſque opus conficit ; ita propria cujuſque eſt Imperatoris vita, propriæ res geſtæ, quas tamen communi Imperatorum diſciplina gesserint. Nam quod autem titulum de Fin. bonorum , & malorum improbat, cum idem ſit error ejus, noſtra quoque defenſio eadem eſſe debet ; nam cum plures ſint Philoſophorum ſcholæ , nec eumdem finem ſibi proponant, cumque de omnibus Cicero ſcripturus eſſet , ut conſtat ; recte de Finibus, & non de Fine pulcherrimum illud opus inſcripſit; ubi vero Zeno περὶ τοῦ τέλους inſcripſerit ſuos libros omnino me legere non memini ; at ſi Cælii conjectura fidem mihi faceret, non vererer aſſerere Zenonem , de uno, & proprio tantum fine diſſeruiſſe. Ciceronis autem verba ex tertio de Fin. mecum faciunt; quid enim is dixit illud extremum eſſe? quonam modo deſcripſit? *congruenter naturæ convenienterque vivere* ; qui unus eſt finis , & proprius Stoicorum: quare uterque recte ſua eſt uſus inſcriptione.

Altera Cælii Calcagnini diſquiſitio.

IDem ſe definiturum officium pollicetur, quod a Panætio prætermiſſum fuiſſe miratur. Nec tamen ego video eum præſtitiſſe , quod pollicebatur ; nam protinus officii diviſionem, non definitionem aggreditur : *Omnis*, inquit, *de officio duplex eſt quæſtio*. Quo loco obſervandum eſt, Ciceronem veritate coactum de Officio , non autem de Officiis quæſtionem propoſuiſſe, & mox rurſus ita conſcripſiſſe : *Atque etiam alia diviſio eſt officii*. Differre autem diviſionem a definitione, nemo eſt tam ignarus Dialecticæ, qui neſciat, vel ipſo Cicerone auctore in Topicis. Nam juſta definitio e genere ac differentiis conſtat, nec ad finitionem accerſenda eſt diviſio : niſi forte in æquivocis, ne in Sophiſta-

phistarum laqueos incidamus. Nec mihi argutator aliquis objiciat, diffinitionem & definitionem differre : prioremque illam ad divisionem magis, id est *διαιρεσιν*, quam *τον ὁρισμον* spectare. Nam hanc sibi Cicero defensionem ademit, quum ex Platonis imitatione dixit, *omnem quæ a ratione suscipitur aliqua de re institutio, debere a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur*. Idemque in Topicis : *Finitio est*, inquit, *quæ id, quod definitur, explicat quid sit*; cujus etiam investigandæ rationem docte enarrat. In definiendo enim ille ordo servandus est, ut quum sumserimus ea, quæ sunt rei quam definire velimus cum aliis communia, usque eo persequendum, dum proprium efficiatur, quod nullam aliam in rem transferri possit. Ob id ergo subjici debuit: *Officium esse actionem in omni vita, cum virtute ac ratione conjunctum*. Actio, genus est: In omni vita, tam eam officii partem complectitur, quæ ad finem bonorum, id est, felicitatem adipiscendam, quam eam quæ præceptis constat cum virtute differentia; quod quidquid a virtute abjunctum, ab officio longe absit & ratione. Altera differentia communem hanc vitam attingens, in qua decorum, id est, *το πρεπον* requiritur; nihil enim agendum est, cujus probabilis ratio afferri non possit. Totus autem hic locus a Cicerone erutus est ex Phædro Platonis, apud quem ita Socrates loquitur : *Περι παντος μια αρχη τοις μελλουσι καλως βουλευεσθαι, ειδεναι δει περι ου αν η, η βουλη· η απαντας ἁμαρτανειν αναγκη. τους δε πολλους λεληθεν, ὁτι ουκ ισασι την ουσιαν ἑκαστου. ὡς ουν ειδοτες, ου διομολογουνται εν αρχη της σκεψεως. προελθοντες δε το εικος αποδιδοασιν. ουτε γαρ ἑαυτοις, ουτε αλλοις ὁμολογουσιν*. Hoc est; *Iis qui recte atque ordine consulere volunt, unum est omnium principium, cognoscere quid illud sit, quod in consultationem venit : alias error accidat oportet; nam plerique nesciunt, se rei cujusque propositæ substantiam ignorare; sed quasi sciant, & perspectum habeant, in ipso disceptationis initio eam declarare non curant; in progressu igitur orationis, quod par est subsequitur, ut multa nec sibi, nec alii consentanea loquantur*. De hoc loco nuncupatim meminit Cicero in II. de Finib. *Omnis autem in quærendo, quæ via quadam & ratione habetur oratio, præscribere primum debet, ut quibusdam in formulis ea res agatur : ut inter quos disseritur, conveniat quid sit id, de quo disseratur*. Hoc positum in Phædro a Platone probavit Epicurus, sensitque in omni disputatione id fieri oportere. Iureconsulti, atque Oratores non temere se definitionibus obstringunt, existimantes eas plerumque subverti solere; ex quo fiat, ut quidquid iis fuerit superstructum, protinus concidat; de qua re ita Vlpianus libro quinquagesimo Digestorum : *Omnis definitio in jure civili periculosa est; rarum est enim, ut non subverti possit*. Et Quinctil. l. VII. *Rarissima enim apud oratores reperietur illa ex consuetudine philosophorum ducta servitus. Est enim certe servitus, ad certa se verba obstringendi*; idque faciendum in libris Ciceronis de Oratore vetat M. Antonius. *Nam est etiam periculosum, cum si uno verbo sit erratum, tota causa cecidisse videamur*; optimaque est illa via, qua utitur Cicero pro Cæcina : *ut res proponatur, verba periclitentur*.

M. Ant.

M. Ant. Majoragii Decisio secunda.

MIratur a Panætio prætermissam esse officii definitionem Cicero, nec injuria: neque enim aliter potest intelligi, quid sit id, de quo disputetur, nisi definitio statim adhibeatur. Sed tibi non videtur id ipse præstitisse: atque, ut ex verbis tuis colligi potest, putas Ciceronem aut nescivisse, quid esset Definitio, aut per negligentiam definitionem officii prætermisisse. Nam protinus (inquis) officii divisionem, non definitionem aggreditur. Addis præterea multa, quæ nihil ad disquisitionem tuam faciant: citas loca Platonis, & Quinctiliani extra propositum, ut aliquid sapere videaris. Sed antequam doceo rectissime definitum a Cicerone fuisse Officium, te vero nihil aliud quam imperitiam ostentare, refellam id, quod ad priorem etiam quæstionem pertinet. Verba Ciceronis sunt: *Omnis de officio duplex est quæstio*, & paulo post: *Atque alia divisio est officii*; ubi tu observandum esse censes, Ciceronem veritate coactum de Officio, non autem de Officiis quæstionem proposuisse, & Officium singulari numero, non autem plurali (ut grammatici vocant) usurpasse. Quo in loco Parthos imitari videris, qui etiam fugientes spicula retrorsum torquent: ut cum te vicisse putes, tunc tibi maxime pugnandum sit. Sed heus tu bone vir, ubi umquam invenisti verbum aliquod per majorem numerum definiri? nescis definitionem esse singularium? ut si Geometræ de Lineis loquendum sit, & uti definitione velit, non quæret, quid sint Lineæ: sed ita proponet, quemadmodum Euclides: γραμμη εςι μηκος απλατες, id est, *Linea longitudo est sine latitudine*. Eodem modo, si de litteris, aut accentibus Grammaticus aliquis verba sit facturus, non quæret, quid sint Litteræ, aut quid sint Accentus: sed ita definiet, quemadmodum Priscianus: *Littera est pars minima vocis compositæ. Accentus est certa lex, & regula, ad elevandam & deprimendam syllabam uniuscujusque particulæ orationis*. Quid mirum igitur, si loquendi consuetudinem secutus Cicero, cum esset ei definiendum Officium, singularem numerum usurparit? Sic enim etiam ille præstantissimus Philosophorum Aristoteles, cum opus suum de tuenda re familiari sic inscripsisset, περι των οικονομικων, a singulari tamen numero incipiens, ita proponit: ἡ οικονομικη, και πολιτικη διαφερει, *Oeconomica, & Politica differt*. Quare vides te frustra spicula retorsisse. At objicis, Officium a Cicerone non definiri. Iam igitur hoc agamus. Utrum putas hoc a Cicerone per ignorantiam esse commissum, an per negligentiam? Atqui non erat ignarus in hoc genere, te judice ac teste, Cicero: quippe qui definiendi rationem in Topicis doctissime tradiderit: quod opus si tu diligenter perlegisses, numquam tam imperite Ciceronem accusasses. Hunc enim locum per ea quæ docet in Topicis facile potuisses intelligere. Superest, ut dicas eum negligentem fuisse. Verum unde ista Ciceroni negligentia? an quia sit oblitus definitionis? aut eum piguerit addere, aut noluerit? Si dixeris oblitum fuisse: ridiculum te putabimus: cum ibidem paulo ante proponat, se velle definire, quid sit Officium; & præterea maximæ memoriæ Cicero fuisse dicatur. Si pi-

Si piguit addere, cur reliqua scripsit? cur non totum potius opus suppressit, quam mutilum & mancum emitteret? At noluit definire. Imo vero voluit, & rectissime definivit. Sed tu definiendi rationem ac modos non didicisti. Disce igitur, si potes, hoc tempore, quod hactenus ignorasti, Definire idem esse aliquando, quod distinguere, & dividere: Divisionemque omnem recte appellari etiam definitionem. Siquidem Definire nihil aliud est, quam singula intra fines suos redigere, quod per divisionem commodissime fieri solet; atque ideo dicebat Antipater in primo de Definitionibus, *definitionem esse orationem per resolutionem perfecte enuntiatam*; auctor Diogenes Laertius in vita Zenonis Cittiei. Quare cum officium hoc loco resolvit, ac dividit Cicero, ita ut unicuique parti, seu formæ suum finem assignet: quis non intelligit, eum definire, hoc est, intra fines suos officium redigere? *Omnis* (inquit) *de Officio duplex est quæstio: unum genus est, quod pertinet ad finem bonorum*: (Ecce una definitio) *alterum, quod positum est in præceptis, quibus in omnes partes usus vitæ confirmari possit*; (ecce altera). Atque ita sequitur dividendo, ac definiendo usque ad eum locum: *Triplex est igitur (ut Panætio videtur) consilii capiendi deliberatio*. Hoc enim verbum *definire*, apud Latinos idem est quod terminare, & circumscribere, & quasi fines statuere, intra quos rei alicujus propriæ contineantur potestates: quod tunc maxime fit, cum omnes divisionis partes comprehendimus, ut tertio de Oratore Crassus apud Ciceronem tradit, *omnem causam, vel controversiam, tribus definiri, Lite, aut Deliberatione, aut Laudatione*. Scimus autem hanc esse causarum divisionem in Iudicialem, Deliberativam, & Demonstrativam; idem est igitur apud nos *definiri*, quod Dividi, quamvis alia quadam ratione. Eodem modo docet hoc loco Cicero, omne officium duplici quæstione definiri. Atque ita intelligendum est, quod superius dixit: *Omnis, quæ a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci*: id est, a terminorum circumscriptione, & declaratione, quot modis id accipi possit, de quo disputetur; ut etiam primo de Oratore, *nullis ut terminis circumscribat, aut definiat jus suum*: id est, declaret quot in rebus jus suum constitutum sit. Quod etiam observare Dialectici solent, ut numquam propriam definitionem addant, nisi prius explicuerint omnes vocabuli significationes: ut si de Genere tractandum sit, primo triplicem Generis quæstionem proponunt: nam & multitudinem ab uno descendentem Genus esse dicunt, & ipsius multitudinis principium, & id cui supponitur Species. Deinde quoniam de hoc ultimo genere tractant Philosophi, id solum suis proprietatibus circumscribunt, ac definiunt. Erit igitur apud Latinos duplex Definitio: *altera Communis*, quæ Distinctio etiam appellatur, & Divisio; & est ambiguæ significationis explanatio: *altera Propria*, quæ genere constat ac differentiis, & rei naturam explicat, quid sit. Priore illa definitione utitur hoc loco Cicero, cum ita proponit: *omnis de Officio duplex est quæstio*. Secunda paulo post, cum ait: *Medium officium id esse, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi potest*. Sed differt (inquis) a definitione divisio. Sit ita sane, modo sit ea tantum differentia, quæ inter genus & speciem esse solet. Definitio enim tamquam genus est, Divisio tamquam species,

cies : ut paulo post ostendam. Nunc a te quæro, quo auctore dicas illud, *nec ad definitionem accersenda est divisio, nisi forte in æquivocis, ne in Sophistarum laqueos incidamus*. Ergo in nominibus unius significationis definiendis, te videlicet præceptore, nihil proderit divisio? Quorsum igitur attinuit, *Dialecticos quamdam ex partibus, aut formis definitionem assignasse*? quæ certe sine divisione fieri non potest: ut si quis juris civilis definitionem ex partibus sumat hoc modo: *Ius civile est, quod in legibus, Senatusconsultis, rebus judicatis, juris peritorum auctoritate, edictis magistratuum, more, æquitate consistit*. Hæc est definitio partitionis; cum tamen Ius civile non sit ambiguæ significationis, vel (ut Logici dicunt) æquivocum. Est etiam divisionis definitio hoc modo: *Abalienatio est ejus rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio, inter quos ea jure civili fieri possunt*. Sed ut hanc quæstionem expediam, dico ex Ciceronis sententia in Topicis, *divisionem esse definitioni attributam, ut sit ejus veluti species quædam*. Species autem, sive forma, quod idem est, a genere, quoad suum nomen retinet, numquam sejungitur. Itaque omnis divisio recte potest appellari definitio, sicut omnis homo animal. Genus enim (ut Aristoteles auctor est) de qualibet subjecta forma semper dicitur, sed non contra: non enim Forma de genere dici potest: ut si quis dicat, *animal est homo*: absurdum id quidem esset. Ita rectissime dicitur, *divisio est definitio*, non contra. Sunt enim multæ definitiones, quæ divisiones nuncupari non possunt: ut quæ constant ex genere & differentiis; quas tu solas existimasti definitiones appellari posse: quæ te res in hanc sententiam induxit, ut Ciceronem erraste crederes. Sed si diligenter advertisses, quid in Topicis scribat ipse Cicero, ubi de statu finitivo verba facit, non tam facile deceptus esses. Sic enim scribit: Cum autem quid sit quæritur, notio explicanda est, & proprietas, & divisio, & partitio; hæc enim sunt definitioni attributa. Additur etiam Descriptio, quam Græci χαρακτῆρα vocant. Vides divisionem esse definitioni attributam? Quare ponenda tibi posthac est censoria virgula, cum intelligas non auctorum vitio, sed imperitia tua fieri, ut quæ docte & præclare dicta sunt, ea tibi errata esse videantur. Ais enim, hoc loco Ciceronem non præstitisse, quod pollicebatur: cum officium dividat, pollicitus se definiturum. Sed jam (ut opinor) agnoscis ignorantia tua factum, ut Ciceronem accusares, cum nescires divisionem esse definitioni attributam, & tamquam speciem: & qui Dividat, eum Definire rectissime dici posse. At tu (si Diis placet) Ciceronem docere vis, atque illi præscribere, qua definitione sit utendum. Quot modis peccasset Cicero, si ita definisset, ut tu præscribis: Officium esse actionem in omni vita cum virtute ac ratione conjunctam? Nam primo, cum Officium actionem appellas in omni vita, nihil est omnino vivens quod excipias; ut cum Omne animal dicimus, quidquid sentit ac movetur, intelligimus: sed Pecudes etiam & Plantæ vitam habent, nutriuntur enim & crescunt, & in plantis ea est anima, quam Aristoteles θρεπτικὴν, quidam ex nostris, quamvis parum Latine, Vegetativam appellarunt: in pecudibus est ea, quam idem Aristoteles αἰσθητικὴν, nostri Sensitivam dixere. Nos, si Latine loqui volumus, in plan-
tis

tis *nutrientem animam*, in pecudibus *sentientem* esse dicemus. Ideo dicuntur etiam pecudes & plantæ mori, quod vitam habeant. Itaque si Officium (ut tu tibi videris ingeniose definire) est actio in omni vita: erit etiam in pecudibus, & plantis officium: quoniam in eis (ut ostendimus) vita est. Quæ sane fuit inepta quorumdam Stoicorum sententia, ut in plantis ac belluis Officium esse dicerent, quemadmodum scribit Laertius Diogenes. Quare sequitur, ut etiam Virtus & Ratio sit in plantis & pecudibus; quoniam officium (ut tu vis) est cum ratione ac virtute conjunctum: quo quid absurdius dici, aut excogitari potest? Non erit igitur Officium actio in omni vita sed tantum in vita hominum. Sed deinde etiam reliqua pars definitionis tibi diligentius consideranda fuit: non enim omne officium est cum virtute conjunctum, tametsi cujuslibet officii ratio probabilis reddi possit. Differt enim a Virtute Ratio plurimum; siquidem Ratio pars ea nobilior est animi, quæ nos a belluis maxime segregat, & qua sola homines censemur, quam Plato in capite, tamquam in arce posuit. Hæc est (ut ait Cicero) quæ efficit, ut homo consequentia cernat, caussas rerum videat, earumque progressus, & quasi antecessiones non ignoret, similitudines comparet, rebusque præsentibus adjungat, atque annectat futuras, facile totius vitæ cursum videat, ad eamque degendam præparet res necessarias. Virtus autem animi habitus est, aut affectio constans conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, & ipsa sua sponte separata etiam utilitate laudabilis. Sed quoniam Ratio longe latius patet, quam Virtus, multa cum ratione fieri possunt, ut virtus non adjungatur. Architectus enim recta ratione domicilium ædificabit, & hoc modo suum officium exsequetur, cum tamen in eo virtutem nullam esse videamus. Potest enim esse vir nequissimus, & bonus architectus. Eodem modo ceteri opifices summa ratione in artificiis suis utuntur, & dicuntur officium suum exsequi, etiam si nulla virtus in eis esse videatur. Possunt enim factorum suorum probabilem reddere rationem, quæ, Cicerone teste, vera est officii medii definitio. Gloriantur Athenæ armamentario suo, ut ait Valerius Max. nec sine causa: est enim illud opus & impensa, & elegantia visendum, cujus Architectum Philonem ita facunde rationem institutionis suæ in Theatro reddidisse constat, ut disertissimus populus non minorem laudem eloquentiæ ejus, quam arti tribueret. Quid cum de utilitate sola, detracta honestate, tractandum est? ut duobus propositis utilibus, utrum sit utilius. Hîc nulla est honestas, nulla virtus: & tamen est officium. Non igitur erit semper officium cum virtute conjunctum. Quamobrem aperte vides, te non officium satis acute definivisse, quin potius non mediocriter peccasse. Nam ejusmodi debet esse definitio, ut neque plura, neque pauciora, quam ipsum definitum, complectatur, ut proprium quiddam efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit. Tu vero cum in omni vita officium esse definis, pecudes, & plantas rationis participes efficis: cum autem numquam sine virtute vis officium esse, artifices omnes multasque actiones, quæ sunt a virtute remotæ, privas officio suo. Poteras igitur rectius offi-

cium hoc modo definire: Officium est actio in omni vita hominum, cujus probabilis ratio reddi possit.

Iacobus Griffolus ad secundam & vigesimam primam Cœlii Calcagnini disquisitionem.

QVæritur secundo loco, utrum Cicero definierit officium, ut promisit, necne. Cælius quidem negat, ego vero affirmo: videamus igitur uter nostrum errore magis capiatur; at si prius ostendero, in quo errore mens Cælii versetur, facilior erit pro bandæ opinionis meæ ratio. Credit igitur Cælius, atque id constantissime credit, quando non contentus hanc opinionem suam semel declarasse, in alia quoque disquisitione etiam pluribus contendit errorem suum confirmare, credit, inquam, Cælius Marcum Tullium, cum dixit: *Placet igitur (quoniam omnis disputatio de officio futura est) ante definire, quid sit officium, quod a Panætio prætermissum esse miror*; genus ipsum officii se definiturum promisisse; at id neque Cicero promisit, & si promisisset, longe gravius peccasset ille sua promissione, quam Cælius sua interpretatione; quandoquidem officium, cum sit analogum, definiri per genus suum non potest: quare Cælii definitio, ut paulo post constabit, est vitiosissima, nec tamen, si recte definiri posset officium, esset ea diffinitio necessaria, nisi forte Cicero de genere, & non de specie officii disputaturus esset; at res contrarium declarat, & ipsius auctoris hæc verba: *Quorum autem officiorum præcepta traduntur, eà quamquam pertinent ad finem bonorum, tamen id minus apparet: quia magis ad institutionem vitæ spectare videntur, de quibus est nobis his libris explicandum*. Si de his igitur se Cicero disputaturum profitetur, cur quærat quisquam definitionem generis, de quo præsertim nullo modo disputari possit? Cum enim Plato velit omnem institutionem, quæ a ratione suscipitur, a definitione proficisci, quis tandem ratione de ea re poterit disserere, quæ vix ullam habeat definitionem? Quamobrem M. Tullius vir doctissimus intelligens, ne oratio sua in erroribus vagaretur, explicari oportere, quidnam id esset, de quo disputaturus erat, nec posse, nec si posset, debere analogum definiri, divisit statim officium in suas potestates, ut Plato, & Aristoteles monent in ejusmodi vocibus fieri oportere, & de qua vellet disserere declaravit, ut in definitione substantiæ, & aliis in locis fecit Arist. Cum igitur Cicero dixit: *Quoniam omnis disputatio de officio futura est*, de quonam officio? de quo credo poterat disputari, & de quo denique disputavit; deinde cum ait: *Placet ante definire, quid sit officium*, quod tandem officium, de quo ne verbum quidem facturus erat? quid ineptius? Iam vero Panætium reprehendit, quod officii definitionem prætermiserit, velim (Cælius dixisset) cujusnam officii; at quoniam περι τȣ καθηκοντος inscripsit suum opus, definitionem τȣ καθηκοντος omisit; ergo quod omiserat Panætius, se facturum Cicero promisit; omisit ille definitionem communis officii: ergo commune officium definiturum se Cicero profitetur. Et tamen in animo Cælii

lii tanta vis inhæsit erroris, ut duobus locis ausus sit a Cicerone quasi syngrapha definitionem generis flagitare. Quæ nam (malum) ratio in eam mentem impulit hominem alioqui doctissimum, ut exponeret tam multis differentiis divisionem a definitione differre, ne quis divisionem illam definitionem esse crederet? Ego vero, qui dubitarit in hac re præter eum, arbitror esse neminem: nec majore prudentia tam verbosus esse voluit in definitione generis a definitione speciei distinguenda, quando animadvertit tandem Ciceronem definisse partes officii; at eas definitiones ita conatur confutare, ut nec illis fidem suam liberet, quod generis, non partium definitionem promiserit, nec idoneæ videantur esse. At utrum genus, an partes quid esset explicandum fuerit, satis disputatum est. videamus nunc, an idonea usus sit utriusque officii definitione. Verba Ciceronis hæc sunt: *Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant, medium autem officium id esse dicant, quod, cur factum sit, ratio probabilis reddi possit*. In utraque Cælius inquit genus, i.e. caput definitionis deesse; nec miror: non enim vim officii analogam esse vidit; dixisset enim in ejus significationibus definiendis, aut nomen definiti repetendum, aut analogi genus accipiendum, ut in æquivocis. Nam si quæratur, quisnam sit canis terrestris, respondebitur, opinor, ille, qui latrat, aut quid tale, ubi ille canem referet, nec erit in oratione necessaria ταυτολογια, vel dicetur, est illud animal domesticum, quod latrat; cur igitur etiam Stoicis (nam Stoicorum sunt illæ definitiones) officium non liceat ita definire si rectum sit, perfectum officium esse, vel recte factum? nonne sophistarum paralogismus hac ratione declinatur? quod si ita Cælius, ut debuit, assumsisset in suo paralogismo: perpendiculum est rectum officium, statim cognovisset, in quo delirabat; hæc eadem sunt dicenda de officii medii definitione. Sed adhuc in alia sumus difficultate, utraque enim definitio ad utramque partem potest accommodari, id quod est maximum in definitione vitium. Etenim & perfectum officium, inquit Cælius, est, quod cur factum sit, probabilis ratio reddi potest; neque enim quisquam, ut putat, adeo contumax est, qui sine probabili ratione perfectum officium geri contendat; aut medium officium id quod rectum non sit; alioqui si rectum non est, perversum ac præposterum id esse fateamur necesse est. At videamus, si peccatum sit in ea re, quam belle in idem Cælius labatur; ita enim, cum hæc confutabat, officium definierat, ut actionem esse diceret in omni vita cum virtute, & ratione conjunctum, ac se ipse interpretatus est, nequa nos ambiguitas perturbaret. Actio, inquit, est genus: In omni vita, tam eam officii partem complectitur, quæ ad finem bonorum, i. e. felicitatem adipiscendam spectat, quam eam, quæ præceptis constat: Cum virtute, differentia, quod quidquid a virtute abjunctum, ab officio longe absit, & ratione, altera differentia communem hanc vitam attingens, in qua decorum, id est, το πρεπον requiritur: actionem cum virtute conjunctam ad felicitatem adipiscendam spectare ait, cum ratione communem hanc vitam attingere, in qua decorum requiritur, quod nihil agendum sit, cujus ratio probabilis afferri non possit. Si duas hic Cælius vult esse partes offi-

officii, ut certe vult, vehementer censura sua peccat; namque si in communi vita requiritur το πρεπον, quanto magis requirendum est in ea vita, quæ perfectior est, & ad felicitatem propius accedit? rursus si in communi vita nihil agendum sit, cujus ratio probabilis afferri non possit, quanto minus a sapiente, ut Cæl. ipse contra M. Tull. confirmat? Omnes igitur hæ differentiæ conveniunt officio cum virtute conjuncto; at si, ut ille ait, quod rectum non sit, oportet perversum esse, & præposterum, necesse ut secunda pars illius officii per Cæl. aut recta sit, aut perversa, (nam quod cum virtute conjunctum sit, rectum est, puto) si recta, ergo eadem cum prima; sin perversa, nihil habet cum officio commune, ut mox clarius ostendam: ergo nisi Tullius effugiat eam calumniam, Cælius effugiet? nihil minus; ac si bene Cæl. optime M. Tullius; nam si rectum officium est, quod perfectum appellant, nimirum ejus ratio perfecta, nedum probabilis reddi potest; tantum enim interest inter perfectum, & probabile, ut disparata quasi esse videantur; perfectum enim id est, cui nihil addi potest, & quod in suo genere expletum, & cumulatum est; probabile vero, cui sæpe tantum deest, ut imperfectum esse videatur: quo circa ea officia, quæ cuique probari possunt, quasi secunda honesta, ut inquit M. Tullius, non sapientum modo propria, sed cum omni hominum genere sunt communia: perfecta vero in solum sapientem cadunt, ut mox copiosius explicabitur. Quare rectum officium non modo probabile, sed etiam perfectum est, & proprium sapientis; medium verum probabile tantum, & omnibus commune, tamquam res quædam inchoata & non perfecta, atque his differentiis a Cicerone, i. e. a Stoicis, vel potius ab Aristotele hæ partes officii distinguuntur. Hic enim in secundo Ethicorum actiones hominis nondum perfecti ostendit ab actionibus distare jam perfecti, nec similiter in his evenire, ac in operibus artificum; hæc enim non propter auctorem, sed per se, sponte sua commendari solent, modo pulcra esse, & decentia videantur; actiones vero non item; nam hæ perinde, ut opinio est de eo, a quo proficiscuntur, existimandæ sunt, ita multa fiunt ab homine in recta ratione vitæ nondum satis confirmato, quæ justa sunt, non tamen juste facta; nam hæc ab habitu rationis, & jam perfectæ naturæ sunt, ut illa communia quædam sint officia, & media, & nondum perfecta, hæc autem κατορθωματα, id est, recta, & perfecta possint appellari: quî potest inter Arist. & Stoicos magis convenire? Cælius autem vult, quod rectum sit, esse probabile, & quod probabile, rectum, ut hæc simul convertantur: quod si concedatur, illud quoque concedatur necesse est, omnem inchoatam virtutem cum perfecta & absoluta converti. Sed haud scio, an illud quoque Cælio assentiatur quisquam, omne officium aut rectum, aut perversum esse, vel præposterum oportere; nam cur officia communia media dicuntur? nonne quia nec in bonis, nec in malis numerantur, & medium inter ea locum videntur obtinere? sic Stoici, ut in tertio de Fin. constat, qui nisi mentiuntur, quis neget inter rectum, & perversum esse medium? sin mentiuntur, scire velim, cur Cælius ea media vocet officia? Sed nimium perseverat in hoc errore, nec posterior cogita-

tio

tio de eo quidquam detraxit ; non enim eadem de re iterum disputasset, & tolerabilius fuisset conjuncte de omnibus disputare, quæ ad hanc quæstionem videbantur attinere. Quare ne forte videar similiter peccare, conjunxi utriusque confutationis reprehensionem. Cum autem Cælius sit tam facilis, & tam acutus in aliorum definitionibus improbandis, videamus jam vicissim quam vel acutissimus quisque illius definitionem facile tueretur. Officium esse vult actionem in omni vita cum virtute, & ratione conjunctum, ubi impressorum fortasse vitio factum est, ut conjunctum potius quam conjunctam legatur: omnes deinde partes definitionis suæ sic explanavit: Actio, inquit, genus est: recte. In omni vita, tam eam officii partem complectuntur hæc verba, quæ ad finem bonorum, id est, felicitatem adipiscendam (hîc verbum deesse *attinent*, videtur) quam eam, quæ præceptis constat; non recte est enim tertium genus vitæ, quod nec in perfectis officiis nec in communibus versatur, propterea quod vitiosum est; quod si quis negat, jam non erit cur officia communia media dicantur, erunt enim extrema; sed est tertia vivendi ratio, quæ si non sit, media non erit, ut media, sed ut extrema; sed Stoici volunt esse hanc mediam; est igitur & tertia. Neque Stoicorum auctoritatem inficiari potest quisquam; nam & Cælius in vigesima prima disquisitione medium esse alteram differentiam officii, & formam dicit. Sed nullum officium ad turpem vivendi rationem pertinet, nihil enim tam contrarium est cuiquam, quam officio turpitudo; falsum est igitur, officium esse actionem in omni vita. Cum virtute, differentia, quod quidquid a virtute abjunctum ab officio longe absit; ergo per hanc differentiam communis vita longe abest ab officio; aut species confundit, hoc est, humano capiti cervicem jungit equinam. Sed ut concedam omnia, quæ in sua definitione Cælius exponit, illud tamen concedi non potest, quod hæc sit definitio generis, in qua ponuntur ultimæ differentiæ, quæ species constituunt: nihil enim in generis definitione esse debet, quod omnibus partibus illi subjectis non conveniat: ita si definias animal esse substantiam animatam cum sensu, nullum invenietur animal quod non sit ejusmodi: at si rationale addas, jam non animalis, sed hominis erit definitio, qualis hæc est, de qua tam multa diximus. Nam officium, quod est cum virtute conjunctum, est rectum officium; item cum ratione, est medium; in quos errores lapsus Cælius non esset, nisi definire voluisset, quod definiri commode non potest. Sed nec officii quidem recti vim satis intelligere visus est; sive enim officium virtute conjunctum id intelligit, quod Stoici rectum vocant, sive quam Arist. perpetuam animæ rationalis actionem ex virtute, male omnino id est interpretatus; nam & illi rectum officium, & hic actionem virtutis ultimum bonorum esse definiunt; in quo mire utriusque ratio consistit. Neque hîc quidquam refert, quod aliquid intersit inter utriusque disciplinæ bonum; satis est enim quod Arist. vult actionem virtutis felicitatem esse, Stoicis perfectum officium, quod solum statuunt esse bonum, honestum. Quod autem hæc ita se habeant, ex definitionibus constat; in primo enim Ethicorum *bonum humanum*, inquit Arist. *actionem rationalis ani-*

 mæ

me per optimam virtutem, esse in vita perfecta. Cato vero apud M. Tullium in tertio de Fin. inquit: *Rectum officium omnes numeros virtutis continet*: In Officiorum vero tertio sic ait Cicero: *Illud autem, quod rectum idem appellant, perfectum, & absolutum est, & uti iidem dicunt, omnes numeros habet, nec praeter sapientem cadere in quemquam potest; actio igitur animae cum virtute est ipsa felicitas, & officium perfectum est ipsa virtus, id est, ultimum bonorum*. Male igitur Cælius si alterutrum intelligit, exponit esse instrumentum, per quod ad felicitatem perducamur; at quanto rectius id officio medio tribuisset? inquit enim Arist. *Iustum fieri qui justa facit, & temperatum, qui officia temperantiae, quae propterea justa, & temperata dicuntur, quod sunt iis similia, quae vir justus, & temperatus ageret*. Cato vero apud Ciceronem in tertio de Fin. *A principiis naturae officia duci refert oportere, ut per ea sapientiam adipiscamur, quae*, ut alibi testatur, *comes, & adjutrix est naturae*. Verum & Arist. & Cicero sæpissime concludunt, finem optimum, & solum id esse bonum, ad quod omnes actiones nostræ referendæ sunt, & cujus causa sint omnia repetenda, ipsum vero nullius umquam rei, verum sua ipsius causa tamen repetatur. At satis multa de re minime dubia disseruimus: reliquum est ut illis quoque respondeamus, qui jure prætermissam officii definitionem a Panætio confirmant, quod inter Stoicos quid illud sit omnino constet, quare supervacanea illa definitio fuisset. Ego vero tantum dico, si in Stoicorum corona, aut in porticu Zenonis Panætius disputasset, cum his fortasse ipse quoque sentirem; cum autem omnibus ille scriberet, & ab omnibus vellet intelligi, quibus non satis constitutum esset, quænam vis esset officii, statuendum puto definitionem illam sine vitio præteriri non potuisse.

Tertia Cælii Calcagnini disquisitio.

VErba Ciceronis sunt: *Hac divisione, quum praeterire aliquid maximum vitium in dividendo sit, duo praetermissa sunt, nec enim solum, utrum honestum an turpe sit deliberari solet: sed etiam duobus propositis honestis, utrum honestius: itemque duobus propositis utilibus, utrum utilius*. At tu hæc Cicero, quod tua pace dictum sit, nimis cupide, ne dicam anxie, Panætio objicis. An tu vir tanti ingenii, tantusque dogmatis professor, non meministi, apud Stoicos ejuscemodi gradus esse sublatos? neque dato utili, aliud utilius: neque dato honesto, honestius aliud inveniri? Sed fac, ut aliquando in communi & vulgari vita hæc in dubium revocari videantur. Quid si non duo tantum, sed tria & quatuor, vel etiam plura dubitando accurrant? puta, pater graviter ex morbo laborat, tu ignarus ejus remedii es, quod patri salutem restituat. Eodem tempore amicus de fortunis, de capite, de dignitate periclitatur: tu causarum patronus auxilio esse potes, eidemque grati animi testimonium reddere, quum ille te aliquando fortunæ indignitate oppressum sublevaverit. Eodem tempore ignis vicinas ædes corripit, verendumque tibi, ne tuæ ædes tua cum familia protinus conflagrent. Eodem tempore hostis patriam aggreditur, & propemodum intra mœnia irrumpit. Vt uno tem-

tempore te dubitare oporteat, non jam quid utilius, quid honestius, sed quid utilissimum, quid honestissimum sit ex omnibus. Hinc patris salus te vocat, hinc amici; hinc vicinarum, tuarumque ædium periculum: hinc præsens patriæ, tuorumque civium direptio ac servitus. Sane si huic divisioni semel fenestram aperueris, non est ubi sistas. Nam & quid utile, & quid utilius, & quid utilissimum, & si ulterius promovere licet, ex plurimis utilissimis quid præponderet, erit inquirendum. In quo non aliunde, quam ab ipso Cicerone, testimonium mutuabor. Is enim in præfatione secundi libri de Officiis ait: *Non solum quid utile, quid inutile, sed ex utilibus quid utilius, aut quid maxime utile querendum esse*. Quare ne ad hanc infinitatem descendere oporteat, Panætianæ obsecro divisioni acquiescamus, præsertim quum Aristoteles lib. V. Ethicorum ita scribat: *Boni namque rationem subit minus malum, ad majus malum comparatum. Minus enim malum magis, quam majus est expetibile. At quod expetitur, bonum est: & quod magis, majus*. Ex quibus plane colligimus, *Divisionem hanc a Cicerone allatam contra Panætium, honesti scilicet, & magis honesti, utilis, & magis utilis, esse supervacaneam. Siquidem minus utile, utile esse definit, si magis utili conferatur. In affulgente sole, cetera lumina hebetantur*; sic sub Dictatore ceteræ jurisdictiones abolentur. Hujus rei argumentum inde quoque elici potest: quod si contingat eodem tempore opitulantem esse amico & parenti, qui parentem graviter laborantem destituerit, & amico fuerit opitulatus, improbe dicetur fecisse, quamvis certum sit, quod abdicata * comparantur. Amico opitulari bonum est, sed comparatio rei conditionem mutat: ceu qui in altera parte trutinæ pondusculum, in altera magnum pondus exposuerit. Pondusculum enim magno ponderi collatum, nullius prope ponderis, nulliusque gravitatis existimabitur.

M. Ant. Majoragii Decisio tertia.

QVanta porro verborum gravitate, quo supercilio, quo vultu Ciceronem aggrederis, quod is Panætium reprehendat in ea divisione de consilio capiendo? quam tripartitam tantum Panætius esse voluit, cum quinque partes habere oporteat: *Non enim* (inquit Cicero) *solum honestum an turpe sit deliberari solet: sed etiam duobus propositis honestis, utrum honestius: itemque duobus propositis utilibus, utrum utilius*. Ita quam ille triplicem putavit esse rationem, in quinque partes distribui debere reperitur. Hæc tu scilicet, censor maxime, Ciceronis verba laceras, mordes, vituperas, & tamquam imperitum, aut obliviosum eum irrides, cum ita inquis: *An tu tanti ingenii tantique dogmatis professor, non meministi, apud Stoicos ejusmodi gradus esse sublatos? neque dato utili, aliud utilius, neque dato honesto, honestius aliud inveniri?* Quis ista tua verba tam acria, tam ponderosa, tam gravia, Calcagnine, non perhorrescat? Sed, quæso te, mitius aliquanto loquere: ne tam agas nobiscum Stoice ac severe. Responde igitur, nisi molestum est, *Anne omnes qui de consilio capiendo deliberant, Stoici sunt?* Quid (ais) hoc ad rem? Iam fa-

 xo ut

xo ut intelligas. Cum Panætius triplicem ait consilii capiendi deliberationem esse, utrum apud omnes eam deliberationem esse vult, an apud Stoicos tantum? Si tantum apud Stoicos, cur mihi de officiis præcepta dat, qui non sum Stoicus? aut cur solis Stoicis data est deliberandi facultas, si apud omnes est ea deliberatio, ut re vera est? Iam non omnes Stoicorum dogmata sequuntur, aut adprobant: sed plerique & in honestate, & in utilitate, hos comparationum gradus esse existimant, ut aliud alio sit honestius, eademque ratione aliud alio utilius. Quare cum de Officiis præcepta traduntur, non quæritur, quæ sint Philosophorum decreta, aut quam Stoici positionem tueantur: sed ad communem opinionem accommodatur omnis oratio: quoniam non ad aliam rem, quam ad institutionem vitæ communis officia spectare videntur. Itaque culpam & crimen imprudentiæ non potest effugere Panætius, qui tantum tripartitam esse voluerit consilii capiendi deliberationem: cum sæpenumero accidat apud eos qui deliberant, ut honestæ res atque utiles inter se comparentur, & quæratur, utrum hæc, an illa sit honestior, aut utilior. Sed hoc tu facile concedis, quod negari nullo modo potest. Verum aliud longe firmius argumentum aggrederis, ut ostendas, etiam Ciceronis distributionem esse mancam, & mutilam. Quid si (inquis) non duo tantum, sed tria, & quatuor, vel etiam plura dubitando accurrant? Qua in re videris tu quidem aliquid dicere; non enim solum de duobus, sed etiam de pluribus eodem tempore posse videtur esse consultatio: quod idem etiam de utilibus intellectum volo. Sed antequam Ciceronem defendo, libet mihi tuam imprudentiam aliquantulum irridere, qui quo crimine Ciceronem accusas, idem ipse committis: & quod magis etiam ridiculum est, dum nimis cupide Ciceronem insectaris, & exemplo declarare vis ejus errorem, tale profers exemplum, quod Ciceronis sententiam corroboret, tuam infirmet. Quid ais, censor argutissime? dic aperte, quæso, Ciceronis erratum: fac ut omnes intelligant, esse te Cicerone longe ingeniosiorem, quem quo jure, quaque injuria damnare contendis. Non tantum (inquis) uno tempore, utrum honestius, aut utilius, sed etiam quid honestissimum, quid utilissimum deliberare contingit. Audio: sed hanc rem nobis exemplo declara. Puta (inquis) pater graviter ex morbo laborat, tu ignarus ejus remedii es, quod patri salutem restituat: eodem tempore amicus de fortunis, de capite, de dignitate periclitatur, tu causarum patronus auxilio esse potes, eidemque grati animi testimonium reddere, quum ille te aliquando fortunæ indignitate oppressum sublevaverit: eodem tempore ignis vicinas ædes corripuit, verendumque tibi, ne tuæ ædes tua cum familia protinus conflagrent: eodem tempore hostis patriam aggreditur, & propemodum intra mœnia irrumpit. Hoc tuum est exemplum, in quo primum duo proponis honesta simpliciter, deinde duo utilia cum honestate conjuncta: nam & patri, & amico succurrere, honestum est, sed honestius patri: præterea ignem extinguere, utile est, sed utilius hostes a patriis mœnibus propulsare. Itaque tuo exemplo Ciceronis sententia confirmatur, ut duobus propositis honestis, utrum honestius consideremus: & duobus propositis utilibus, utrum utilius.

Sed fac accidere tempus, ut plura simul honesta nobis occurrant, de quibus deliberandum esse videatur: numquam tamen eodem tempore quisquam plura, quam duo considerat quæ sequatur: dum enim hoc videtur honestum, illud tamquam honestius animum attrahit: rursus si tertium aliquid succurrat, quod gravius sit, relicto priore, de postremis duobus deliberatur, & (ut ait Comicus) dum in dubio est animus paulo momento huc vel illuc impellitur; nam quamvis plura videantur honesta proposita, tamen duo, quæ sint præcipua, solet animus eligere, ut vel hoc, vel illud aggrediatur: ut, si eodem tempore pater graviter ægrotet, amicus de capite & fortunis periclitetur, fratrem inimici persequantur, patriam hostes oppugnent: statim occurrit nobis pater & patria, de quibus deliberemus; atque ita non jam de amico, non de fratre, sed de patre aut patria conservanda cogitamus, quoniam hæc illis longe præstant. Eadem est etiam de utilibus ratio: est enim inter ea tantum deliberatio, quæ non multum inter se distant: quod siquid est ejusmodi, ut plurimum excellat, id ad se statim animum nostrum allicit, nec de aliis rebus sinit cogitare. Non est igitur quod in Ciceronem arguteris, qui omnino ingeniose vidit, etiam de solis honestis esse deliberationem, itemque de solis utilibus: atque ideo Panætium rectissime reprehendit, quod hæc duo divisionis membra prætermiserit. At tu, dum contra Ciceronem Panætium defendere studes, Aristotelis verba nihil ad hunc locum facientia, ex Ethicorum quinto recitas: *Boni videlicet rationem subire minus malum, si ad majus comparetur: minusque malum magis, quam majus esse expetendum*. Sed quid hæc ad rem? non enim video. Quoniam (inquis) minus utile, utile esse desinit, si magis utili conferatur. Nunc demum intelligo, quo torqueas Aristotelem. Sed dic mihi, notum ne est omnibus, quid magis utile sit, & quid minus? aut quid minus honestum, & quid magis? Certe si ita sit, nulla erit de magis aut minus utili, atque honesto deliberatio. Sed vide ne prudentes, ac rerum usu periti homines, tibi actionem injuriarum intendant, quod illa, quæ sunt eorum propria, imperitis etiam, ac rusticis impertias. Nam duobus propositis honestis aut utilibus, statuere quid sit honestius, aut utilius, vel maxime prudentis esse videtur. Quod si non omnes prudentes sunt, neque facile intelligunt, qui sint gradus honestatis, atque utilitatis, necesse est, ut aliquando, vel potius sæpe de magis utili, & de magis honesto sit deliberandum. At quam pulcre similibus ludis: quæ licet ad docendum sint accommodata, cum apte sumuntur, tamen ad probationem, teste Quinctiliano, minimum valent. In affulgente sole cetera lumina hebetantur, sic sub Dictatore ceteræ jurisdictiones abolentur. Perinde quasi sit unum aliquod honestum, aut utile summum, quod tamquam sol quidam inter cetera omnia honesta, aut utilia splendeat, & id solum in consultationem veniat. Imo vero ut inter homines sæpenumero duo reperientur in eodem genere tam præstantes, ut nescias uter utri sit preferendus, quod etiam in equis, & in ceteris ejusmodi rebus accidit: ita in rebus honestis, & utilibus, duæ possunt ejusmodi contingere, ut nescias, utram utri præferri oporteat. Neque exemplum illud de opitulando amico

amico & parenti, convenit huic loco, propterea quod (ut jam docuimus) inter ea tantum est deliberatio, quæ non multum inter se distant. Hoc autem dico, quoties de duobus honestis, aut utilibus, est consultatio: ut si in utraque parte trutinæ pondus fere æquale exposueris, non statim erit planum, in quam partem sit inclinatura; sed paulatim, in eam partem, in qua paulo gravius erit pondus, deprimetur.

Iacobus Griffolus ad tertiam Cælii Calcagnini disquisitionem.

SEquitur locus, in quo Cicero aut ignorantiæ, aut etiam malignitatis crimine convincitur, ut ne sua quidem eloquentia defendi possit; quo igitur me vertam nescio; nam quo tandem ore in illa divisione tripartita Pan. peccasse dicam? quis enim neget satis esse dubitare, honestum ne sit, quod in deliberationem cadit, an turpe; utile an inutile? postremo an cum honesto pugnet, quod utile videatur? Iam quis me feret accusare Stoicum hominem, qui non posuerit honesto aliquid honestius, ac utile aliquid utilius posse reperiri, cum omnes comparationis gradus in his rebus ea disciplina sustulerit? Rursus pati, M. Tul. omni destitutum patrocinio indicta causa damnari, impium mihi propemodum videtur; cum præsertim, ut jam quod sentio libere semel dicam, facillima sit hujus defensionis ratio. Equidem vix satis mirari queo viris quibusdam plane doctis, cum libros de Fin. Tusc. quæstiones, tot denique volumina Ciceronis legerint, tamen in mentem venisse suspicari Marcum ipsum Tullium ignorasse Stoicos quam bonum semel esse confirmassent, negare aut ipsum crescere, aut melius eo fieri quidque posse: atque id quidem facit, ut magis hac re mirer, quod hi Critici, qui Ciceronem tam vehementer insectantur, ne nomen quidem Stoicorum, ne dum disciplinam cognovissent, nisi de eis ille tam multa scripta reliquisset. At sciebat, o gravissimi censores, sciebat etiam M. Tullius, atque etiam a suis Academicis didicerat, virtutes absolutas neque crescere, neque decrescere; quare in tertio de Fin. *Recta*, inquit, *effectio, item convenientia, denique ipsum bonum, quod in eo positum est, ut naturæ consentiat, crescendi accessionem non habet*. Præterea in quarto de Fin. dicit: *Si externa, aut etiam corporis dicamus bona, aliud alio melius, aut pejus esset, & propterea Stoici negant præter honestum quidquam esse bonum; ex quo fit, ut qui eo honesto, quod solum, & absolute bonum est, potiatur, beatus sit, nec requirat quidquam, ut sit beatior*. Nam ut in quinta Tuscul. scribit: *Si est, quod desit, ne beatus quidem est*. Sciebat igitur (ne singula persequamur) hæc omnia M. Tullius atque ceteros perpulcre docuit. Cur etiam Panætium reprehendit? quia erravit: nam qui de communibus officiis scripturus erat, non de recto, & perfecto, considerare debuit ea non esse paria; sed alio aliud esse majus, & honestius, & magis necessarium. Namque Stoicorum schola non sustulit comparationis gradus, nisi in bonis, & malis, de quibus nihil erat Panætius dicturus. Quod autem communia officia paria non sint, in tertio de Fin. ibi perpulcre declaravit, ubi ait: *Incommoda autem, & commoda (ita enim ευχρηστηματα, και δυσχρη-*

δυσχρηστήματα appello) communia esse voluerunt, illa enim quæ prosunt aut nocent bona sunt, aut mala; quæ sint paria necesse est; commoda autem, aut incommoda in eo genere sunt, quæ præposita, & rejecta dicimus; ea possunt paria non esse; si possunt igitur paria non esse, habendus est in eis delectus, & aliud alii præponendum, ut melius, & honestius. Cum Panætius igitur non intellexerit honestum illud absolutum, sed officium, quod ab honesto ducitur, quodque medium & commune appellatur, cur sua partitione non errasse videatur? At illa vox honesti horum facile judicium delusit; non enim existimarunt eam pro communi officio sólitam esse usurpari; verum a Cicerone discant eamdem aliquando honestatem officium commune appellari, & ea officia secunda honesta dici; in primo enim Officior. inquit: *Intelligendum est autem, cum proposita sint genera quatuor ex quibus honestas, officiumque manaret, splendidissimum videri quod animo magno, elatóque, humanasque res despiciente factum sit*. Ac in eodem ait: *Cum omnis honestas manet a partibus quatuor, quarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis*, & quæ sequuntur. Si honestas igitur a quatuor illis generibus dicitur manare, cur etiam honestum non dicemus id officium, quod e quatuor virtutum manat ab aliqua? cum in primo Officior. idem scripserit: Sed omne quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua? & passim in his libris honestum sic intelligatur? At ne te diutius teneam, lege in tertio ejusdem operis, ubi hæc invenies: *Atque illud quidem honestum quod proprie vereque dicitur, in sapientibus est solis, neque a virtute divelli umquam potest; in iis autem, in quibus sapientia perfecta non est, illud quidem perfectum honestum nullo modo esse potest; similitudines honesti esse possunt*. Et paulo post: *Hæc igitur officia*, inquit, *de quibus his libris disserimus, quasi secunda quædam honesta dicunt esse, non sapientum modo propria, sed cum omni hominum genere communia; jam perspexisti cum singularum virtutum, sint propria quædam officia*, ut in secundo de Orat. & in quinto de Fin. docet M.Tullius: *Hæc alias similitudines perfecti honesti, alias secunda honesta, alias honestates, & officia media vocari; non igitur honestum illud rectum, quod a virtute non divellitur, in dubium venit, honestum ne, an turpe sit; nihil enim illustrius eo, neque clarius lucet, nec fallere quemquam potest; sed hoc medium, quod illius similitudinem quamdam habet minime difficilem ad distinguendum, quandoque naturam habet ambigendi*. Ac ne forte desideres exemplum hujus comparationis, in calce primi libri ita disputavit: *Placet igitur aptiora esse naturæ ea officia, quæ ex communitate, quam ea, quæ ex cognitione ducantur*. Deinceps sequuntur argumenta: ubi est animadvertendum, non justitiam Tullium dixisse aptiorem naturæ quam prudentiam, sed officia, quæ ducuntur ex justitia esse aptiora iis, quæ ducuntur ex cognitione; quæ quidem concessu Stoicorum inter se comparantur. Si male igitur Panætius, cur non recte M. Tullius? equidem scire velim quid sit, quod prius discere quidam nolint, quid in gravissimis suis scriptis summi viri præstantissimo ingenio præditi, & magna eruditione ornati sentiant, quam temere audeant illorum doctrinam, & summam prudentiam accusare. Sed illud quoque Cælio negotium facessit, quod possunt infinita simul nobis occurrere, de quibus non facile, quod optimum factu sit,

sit, deliberari queat; idque Ciceronis ipsius auctoritate confirmat evenire posse; quod si concedam in eam infinitatem posse nos incidere, nonne in infinitis probabitur etiam ille, qui curabit, quoad ejus fieri poterit, ut optimum sequatur? Atque hoc etiam simili divisionem Ciceronis impugnat, quod ut minus malum collatum cum majore desinit esse malum, ita minus utile cum utiliore comparatum desinit esse utile. At quid Stoicis cum Aristotele? Verum esto minus utile comparatione majoris desinat esse utile; tanto magis igitur cavendum est, ne quod utile non sit, eligamus, quod autem est utile omittamus; at ne longum faciamus, comparatio plus, & minus tantum ostendit, naturam vero rerum mutare non potest; quare qui amico potius, quam patri præsto est, non in eo peccat, quod amicum adjuvet, nam id est officium: sed in eo, quod patrem deserit, cujus salus filio potior esse debet, quam amici; item qui centum lucrari possit, tamen octoginta mavult accipere, quamvis centum majus lucrum sit, non statim sequitur octoginta non esse lucrum; ita quamvis minus officium [illegible]t amico, quam patri succurrere, est tamen officium. Sed in eo quoque male sentit Cælius, quod pondusculum cum magno pondere Ciceronem conferre voluisse putat; non enim hæc existimavit consultationem ullam, aut deliberationem desiderare. Sed cum duo sunt honesta, aut duo utilia, quæ non tam facile discrimen habent, ex quo consilium anceps esse possit: tamen consultatione opus esse, duxit; ut cum officia, quæ a communitate, & quæ a cognitione ducuntur, inter se conferre necesse est.

Quarta Cælii Calcagnini disquisitio.

PHilosophi discendi studio impediti, quos tueri debebant, deserunt; itaque eos ad remp ne quidem decessuros putat Plato, nisi coactos, æquius autem erat, id voluntate fieri. Nam hoc ipsum ita justum est, quod recte fit, si est voluntarium. Tu recte quidem Cicero. Nam bonarum malarumve actionum modus ac mensura est hominis voluntas. Sed enim ne in Platonis sententiam arguteris. Nec enim Plato debere philosophos, aut posse cogi dixit ad reip. gubernationem: sed eos sibi sua sponte hanc necessitatem imposituros, ut quum tempus postulaverit, id est, quum nullus idoneus publicæ administrationi præsidebit, vel magnum aliquod periculum imminebit civibus, tum ipsi se a rerum contemplatione ακοντες εκοντες, ut dicunt, avellent. Et sicut navis Salaminia, ut ajebat Themistocles, non nisi ad necessaria tempora, necessariasque functiones expetebatur: ita ipsi non nisi rerum & temporum ratione impulsi prodeant in medium, suorum civium commodis ac saluti consulturi. Certe Plato quinto libro της πολιτειας tradit, *non esse munus nautarum & gubernatorum, eos rogare qui navi vehuntur, ut se vehi sinant: sed eorum potius qui vehuntur, orare, ut gubernatores & nautæ eorum curam suscipiant, atque in portum pervehant.* Pari ratione neque Philosophorum interesse, ut rogent ipsi, se ad publicam administrationem admitti: sed ut rogentur potius, ut velint ipsi reipub. clavum capessere, & laborantem civi-

tatem

tatem sua prudentia sustinere. Alioqui multa accidere possunt, quæ philosophos deterreant, ne reip. curam suscipiant; quod & Cicero in quadam ad Lentulum epistola attigit: *Id jubet*, inquit ille, *Plato, quem ego auctorem vehementer sequor, tantum contendere in rep. quantum probare tuis civibus possis, vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere*. Atque hanc quidem ille causam sibi, ut non attingendæ reip. fuisse: quod cum offendisset populum Atheniensem prope jam desipientem senectute, quum eum nec persuadendo nec cogendo regi posse vidisset, quum persuaderi posse diffideret, cogi fas esse non arbitraretur.

M. Ant. Majoragii Decisio quarta.

Proponit Tullius Injustitiæ duo genera: *unum eorum qui inferunt, alterum eorum qui ab iis, quibus infertur, si possunt, non propulsant injuriam*: damnatque Philosophos in hac parte, *qui dum alterum justitiæ genus assequuntur, in ferenda ne cui noceant injuria, in alterum incidunt: discendi enim studio impediti, quos tueri debent, deserunt*. Quis hanc Ciceronis sententiam non videt esse sanctam, & religiosam? Nam quis injustitiæ nomen effugere potest, si tantopere studiis suis deditus fuerit, ut amicos, parentes, patriam deserat? Non damnantur a Cicerone Philosophi, quod discendi studio sint impediti, quippe qui Philosophiæ studium multis in locis divinis prope laudibus efferat, & cum Platone sentiens, Deorum immortalium munus esse affirmet. Sed ii majorem in modum vituperandi sunt, qui studium suum humanæ societati præponunt, & discere potius volunt, quam ab iis propulsare injuriam, cum possunt, a quibus debent. Licet enim veri cognitio maxime naturam attingat humanam, & quod in rebus honestis & cognitione dignis operæ curæque ponitur, id jure laudetur: tamen ejus studio a rebus gerendis abduci, contra officium est. Quid ergo? dabit quidem operam studiis suis vir sapiens: sed cum intelligat, nulla re propius homines ad Deos accedere, quam salute hominibus danda, numquam communem utilitatem contemnet, sed erit in perpetua quadam statione, ut simul atque viderit opera sua patriam, aut amicos indigere, statim ad ferendum auxilium, non coactus, sed sponte sua veniat. Hoc est, quod merito reprehendit Cicero, *si ad Rempub. ne quidem decessuri sint Philosophi*, (ut putat Plato) *nisi coacti*. *Æquius enim* (inquit) *erat, id voluntate fieri*. *Nam hoc ipsum ita justum est, quod recte fit, si est voluntarium*. Tu vero Ciceronem accusas, quod (ut ipse loqueris) in Platonis sententiam argutetur: aisque dictum esse a Platone, *Nec debere Philosophos, nec posse cogi ad Reipub. gubernationem: sed eos sibi sua sponte hanc necessitatem imposituros, ut quum tempus postulaverit, Rempub. capessant*. Sed dic mihi, ubi, aut quando dixit hoc Plato? equidem video pluribus in locis hanc fuisse Platonis sententiam, *Philosophum ad Rempub. non esse accessurum, nisi multis precibus rogatus, ac pene coactus fuerit*. Itaque de Repub. libro septimo dicit, *esse cogendos Philosophos, ut Reipub. administrationem suscipiant*, quod tu, videlicet Platonis studiosus, negas umquam ab eo dictum fuisse.

Sed

Sed quid illa comparatio, quam ex quinto de Repub. Platonis libro nobis adducis, nonne aperte contra sententiam tuam facit? Vt enim non est munus nautarum, & gubernatorum, eos rogare, qui navi vehantur, ut se vehi finant: sed eorum potius, qui vehuntur, orare, ut gubernatores, & nautæ eorum curam suscipiant, atque in portum pervehant: pari ratione, neque Philosophorum interest, ut rogent ipsi se ad publicam administrationem: sed ut rogentur potius, ut velint ipsi Reipub. clavum capessere, & laborantem civitatem sua prudentia sustinere. Itaque si expectant, ut rogentur, quo tempore laborat Respub. non sibi sua sponte hanc necessitatem imponunt, quam tu paulo ante Platonis sententiam esse falso dicebas. Sed dicat mihi Plato, vel tu potius Platonis defensor, utrum justum sit, an injustum, periclitantem Rempub. sublevare? Si injustum, numquam ad eam accedere Philosophus debet, etiam si cogatur: sed vitam potius profundere, quam aliquid injuste committere. Si justum, cur jubet expectare Plato, donec rogentur, ac pene cogantur? cur non ultro se offerunt? cur non id, quod justum & honestum est, libenti animo, ac voluntario suscipiunt? cum præsertim doceant omnes Philosophorum scholæ, justum maxime omnium esse expetendum. Expetant igitur, si boni sunt, hanc justitiam, & obviis (ut ajunt) ulnis amplectantur. Ergo si fuerit in periculo patria, vir justus in studiis suis erit quietus? nihil commovebitur? non accurret? non se sponte offeret? non manum extollet, & cum Nasica illo clamabit: *Qui Rempub. salvam esse vult, me sequatur*? sed expectabit in lectulo suo prostratus, ac libris undique septus, ut cives sui veniant supplicatum, ut sese ad ejus genua prosternant, ut misere vociferentur, ut calamitates ac miserias suas exponant, ut denique illum humeris suis sublatum in forum deducant, & omnes una voce cum lachrymis deprecentur, ut laboranti patriæ subveniat? Proh Dii immortales! hæccine vir justus expectabit, qui nihil aliud quam de communi salute cogitat, qui pro patria sanguinem ac vitam profundere paratus est, qui nihil intelligit esse laudabilius, nihil præstantius, quam de Repub. bene mereri? Crede mihi, quamvis multa praclare, multa divinitus Plato dixerit, tamen in hac parte parum omnino, quid sapientem deceat, perspexisse videtur: quod eum putet, non nisi coactum ad Rempub. accessurum: & a Cicerone merito reprehenditur: quod nulla res justa recte appellari potest, nisi voluntaria. Sed objicis, multa accidere posse, quæ Philosophos deterreant, ne Reipub. curam suscipiant. Præclaros vero ac nobiles Philosophos nobis inducis, qui terrore tamquam mulierculæ quatiantur. Sed detur hoc imperitiæ tuæ, qui non intelligas, terrorem in sapientem cadere non posse. Videamus exemplum, quod a Cicerone sumis ad sententiam tuam probandam ex epistola quadam ad Lentulum. *Id jubet* (inquit ille) *Plato, quem ego auctorem vehementer sequor, tantum contendere in Repub. quantum probare tuis civibus possis, vim neque parenti, neque patriæ afferro oportere.* Quasi vero dicamus nos, vim afferendam esse parenti, ac patriæ; nam quemadmodum expectare sapiens non debet, ut a civibus ei supplicetur, quoties periclitantem patriam viderit, sed sponte sua periculo caput objectare: ita cives invitos,

ritos, ac recusantes servare non debet. Illud enim Horatianum habet aliquam veri similitudinem:

Invitum qui servat, idem facit occidenti;

ut in hac re, sicut in reliquis omnibus, juxta Peripateticorum sententiam, neque defectus, neque excessus, sed ipsa mediocritas, quam merito Flaccus auream appellat, laudabilis esse videatur. Hanc tu si complecti didicisses, numquam profecto te cæca ac temeraria dominatrix animi Cupiditas ad tantam insaniam compulisset; ut ipsum omnis eloquentiæ, ac scientiæ fontem, tamquam aper quispiam immissus, perturbare auderes.

Iacobus Griffolus ad quartam Celii Galcagnini disquisitionem.

QVartus locus est in quo Cicero a Platone in eo dissentit, quod philosophos is non putat ad remp. nisi coactos accedere debere. Cicero vero id voluntate fieri æquius esse ducit. At Cæl. tamquam argutulum Cic. vexat, atque perinde insectatur, ac vim cogendi non intelligat; sic enim inquit: *Nec enim Plato, debere Phil. aut cogi posse dixit ad reip. gubernationem; sed eos sibi sua sponte hanc necessitatem imposituros, ut cum tempus postulaverit, id est, cum nullus idoneus reip. præsidebit, vel magnum aliquod periculum imminebit civibus, tum ipsi se a rerum contemplatione ακοντες εκοντες, ut dicunt, avellent.* Atque refert, *ut Salaminia non nisi ad functiones necessarias expetebatur, ita philosophos non nisi rerum, & temporum ratione impulsos prodire in medium suorum civium commodis, & saluti consulturos*; ac omnia hæc ipsius Platonis auctoritate confirmat ex quinto politicorum. Ego vero hanc quoque defensionem paucis expediam. M.Tullius, ut patet, in his libris Stoicos est secutus; quæ quidem disciplina statuit sapientes æquum esse capessere remp. quare in tertio de Fin. Cato sic inquit: *Cum autem ad tuendos, conservandosque homines hominem esse natum videamus, consentaneum est huic naturæ, ut sapiens velit gerere, & administrare remp. atque ut e natura vivat, uxorem adjungere, & velle ex ea liberos procreare.* Atque hoc idem Hor. demonstrat dicens in prima Epistola: *Nunc agilis fio, & mersor civilibus undis, Virtutis veræ custos, rigidusque satelles*: Cicero igitur ut Stoicus contra Plat. inquit, *æquum esse philosophos gerere remp. & procurare ne eo veniatur, ut nisi eam perire velit, capessere cogatur; namque est etiam quædam necessitas conditionalis, ut nisi patriæ succurras, ab hoste capiatur; ergo si nolis eam ab hoste capi, cogeris defendere; hac itaque necessitate coactos philosophos oportere gubernare remp.* Plato voluit; nec aliter interpretatus est Cicero; sed æquius esse contendit non expectare ullam talem necessitatem, sed eam ita gerere, ut in nullum discrimen venire possit; non igitur ita coactos intelligamus, ut non libentissimo quidem animo eam ex periculis eripiant; sed in eo hæc omnis quæstio versatur, quod Cicero vult *omni tempore philosophos Reip. præesse*, Plato vero, *studiorum causa eosdem quandoque deesse*. Quid nunc attinet Plat. auctoritate ostendere non pertinere ad Phil. rogare, ut admittantur ad administrationem Reip. sed rogari? ac etiam si non rogetur sapiens, cum illius studio, & arte respub. carere non possit, si bonus sit civis, ab administra-

tione

tione publica non sine vitio potest abstinere ; quin etiam rogare , & omni studio tentare debet, ut tunc sibi Resp. committatur ; alioqui non sapiens magis, quam impius habendus esset ; & hæc est mens Platonis , qui nihil aliud omnino voluit, nisi ambitionem cohibere . Sic etiam Plutarchus in sua politica decere negat optimum virum nimio studio, & ambitione petere magistratus, sin vero ut lex, & mos civitatis fert , ultro deferatur, non esse boni civis Reip. suæ munera defugere ; sed item Stoicus sapientem vult officia virtutis sine ambitione sequi, sed illis numquam doctrinæ studia præferre, neque cum sit in aliquo periculo constituta; neque cum in tuto esse videatur; nunc enim ut in optimo statu conservetur , tunc autem ne pereat ; quam quidem sententiam M. Tullius est secutus.

Quinta Cælii Calcagnini disquisitio.

SVnt autem privata natura nulla: sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt : aut victoria, ut qui bello potiti sunt : aut lege, aut pactione, conditione, sorte . Quod in divisione præterire aliquid , maximum vitium in dividendo sit, ut paulo superius hoc libro, & in Topicis ipse testatur: quid de iis dicemus, quæ edicto prætorio nobis addicta sunt? nam edictum prætoris a lege diversum est ; quid de iis , quæ contractu nobis & precio ita comparavimus , ut nostri mancipii facta sint? quid de iis , quæ prædio nostro alluvione fluminis accreverunt? quid de iis, quæ se nobis forte fortuna obtulerunt? ut thesauri inventio, ut avium captura , quæ libero aere vagantur . Quod si quis omnia hæc ad legem referat , quæ , quid quaque in re observari oporteat, constituerit : tum vero in alterum divisionis vitium non multo minus inciderit. Sicut enim in divisione desiderari aliquid turpe est, ita aliquam divisionis partem redundare turpissimum . Nam & qui in vacua venerunt , & qui victoria potiti sunt, qui pactione, conditione , sorte, usucapione aliquid tenent , ii omnes promiscue se lege defendunt . Apud M. Varronem , in emtionibus dominum legitimum sex fere res perficiunt : *Si hæreditatem justam adiit : si, ut debuit , mancipio ab eo accepit, a quo jure civili potuit : aut si in jure cessit, cui cedere potuit , & id ubi oportuit : aut si usu cepit : aut si e præda sub corona emit ; tum item , quum in bonis sectioneve cujusvis publice venit .*

M. Ant. Majoragii Decisio quinta .

QVid, quod Ciceronem suis telis jugulare contendis? Quantæ demum hoc excellentiæ putandum est, siquidem a te præstari potest? O præclarum, & omnium literis, ac sermone prædicandum facinus, unum exstitisse post hominum memoriam Calcagninum , qui Ciceronem Romanæ linguæ principem aggressus , gladium ei de manibus, tamquam Herculi clavam , eximere , atque illum transfodere conatus sit . Verum libet mihi cum Ænea Virgiliano, tamquam ex alto loco proclamare :

Qu

Quo moriture ruis, majoraque viribus audes?

Sed tamen argumentationis tuæ vim, ac robur videamus, ut omnes intelligant, te non aliter, atque apri seipsos in opposita venabula ruentes infigere solent, dum nimis cupide venatores invadunt, tua sponte Ciceronianis armis esse confossum. Duobus in locis (inquis) affirmat Cicero, *Præterire aliquid, maximum esse vitium in dividendo*: & in hoc primo de Officiis libro, & in Topicis. Sit ita: quid tum postea? At ipsemet Tullius in hoc, quod in Panætio summopere damnat, vitium incidit turpissime. Magnum Ciceronis dedecus, si ita est. Sed quibus tu id rationibus approbas? Vtitur (ais) hoc loco hujusmodi divisione: *Sunt autem Privata natura nulla, sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt: aut victoria, ut qui bello potiti sunt: aut lege, aut pactione, conditione, sorte*. Quid (inquis) de eis dicemus, quæ edicto prætorio nobis addicta sunt? nam edictum prætoris a lege diversum est: quid de iis, quæ contractu nobis & pretio ita comparavimus, ut nostri mancipii facta sint? quid de iis, quæ prædio nostro alluvione fluminis accreverunt? quid de iis, quæ se nobis forte fortuna obtulerunt, ut thesauri inventio, ut avium captura, quæ libero aere vagantur? Hæc tua est objectio, quam mihi diligenter examinare ac perpendere certum est, antequam defendo Ciceronem: nam aperte paulo post ostendam, hanc neque divisionem esse, quam adducit hoc loco Cicero, neque, si esset divisio, quidquam esse prætermissum. Nam si hæc omnia, quæ tu dicis a Cicerone esse prætermissa, sub illis ab eo prius positis generibus continentur, quis non arrogantiam tuam rideat, qui pedem (ut dici solet) in alienam messem ponas, & ea tractes, quæ nihil intelligis? qui Ciceronem ideo reprehendas, quod uti vitiosa divisione noluerit? nescis & a Dialecticis, & a Rhetoribus doceri, vitiosam esse divisionem, in qua posito prius genere, postea generis partes seu formæ subjiciuntur? Quid igitur primo dicis esse prætermissum? Bona quæ edicto prætorio nobis addicta sunt. Quid ita? Quoniam (inquis) edictum Prætoris a lege diversum est. Itane obsecro jus civile didicisti? Vis ergo, ut tibi potius, quam Imperatori Iustiniano credamus, quia scilicet in auctores egregios censoriam virgulam arripuisti. Sed fortasse ipsum etiam Iustinianum damnabis, propterea quod ausus sit te invito Prætorium edictum legis scriptæ formam, seu partem esse, dicere. Ego vero istud os tuum videre nimium vellem. Certe Iustinianus Institutionum suarum libro primo, Legum eamdem esse divisionem apud Latinos, quæ apud Græcos, statuit. *Constat* (inquit) *jus nostrum, quo utimur, aut scripto, aut sine scripto*: ut apud Græcos *τῶν νομων οἱ μεν εγγραφοι, οἱ δ' αγραφοι*. Scriptum autem jus est, Lex, Plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, Magistratuum edicta, Responsa prudentium. Atque hæ quidem sex juris scripti formæ legis nomine continentur, quamvis per antonomasiam Lex ea proprie dicatur, quam Populus Romanus Senatorio magistratu interrogante, veluti consule vel censore constituebat. Sicuti cum Poetam dicimus, apud Græcos Homerus, apud nos Virgilius intelligitur. Hoc etiam ex ipsius Iustiniani verbis facile potest intelligi, qui quamvis primam juris scripti formam Legem esse statuisset,

tamen non ita multo post ita scribit: *Quodcumque ergo Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto praecepit, legem esse constat*. Quod nisi Lex aliquando generale vocabulum esset, aliquando speciale, non posset excusari Iustinianus, quin vel formas juris confudisset, vel post genus speciem in divisione collocasset: quod maxime constat esse vitiosum/. Verum Lex interdum pro omni jure vel scripto, vel non scripto capitur, interdum pro scripto tantum jure, interdum vero solum pro constitutione populi, Senatorio (ut diximus) magistratu interrogante. Quod ita esse multis exemplis manifestum fieri potest: nam Legem omne jus continere, declarat his verbis Cicero: *Cum legem dico, nihil aliud intelligi volo, quam Imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest*. Quin etiam in Verrem Cicero *Prætorium edictum, legem annuam* dicit esse. Non est igitur, ut tu vis, Prætorium edictum a lege diversum: cum præsertim (ut præclare docet Cicero) vere dici possit, *Magistratum legem esse loquentem, Legem autem mutum esse magistratum*. Quin potius (ut ait Iustinianus) *Prætorum quoque edicta non modicam obtinent juris auctoritatem. Hoc etiam* (inquit) *Ius honorarium solemus appellare, quod qui honores gerunt*, id est, *magistratus, auctoritatem huic juri dederunt*. Itaque quæcumque edicto Prætorio nobis addicta sunt, ea per legem privata fiunt: quæ vero contractu, & pretio ita comparavimus, ut nostri mancipii sint, ea per pactionem nobis acquiruntur: quod vel puero perspicuum est. Præterea quæ prædio nostro fluminis alluvione sint adjuncta, nostra non essent, nisi legibus ita statutum esset: quamobrem hæc etiam ad legem referuntur. Quæ se nobis forte fortuna obtulerunt, ut thesauri inventio, ut avium captura, quæ libero aere vagantur, quis non videt hæc forte nobis evenire, vel conditione aliqua, ut si studio, & industria venati fuerimus? Vides igitur sub generibus illis a Cicerone positis in hac, quam tu divisionem appellas, omnia contineri, quæ tu objicis esse prǽterita. Quæ cum ita sint, omnino necesse est, ut te vel imperitissimum, vel gloriosissimum existimemus. Imperitissimum, si hæc tam aperta & manifesta non vides, quæ vel cæcis (ut dici solet) apparent; gloriosissimum, si intelligis, & tamen contradicendi studio vis impugnare: ut innotescere possit omnibus, Calcagninum cum Cicerone, tamquam scarabæum cum aquila certamen suscepisse. Nunc aggrediar id ostendere, quod initio pollicitus sum, hanc videlicet non esse Divisionem, quam inducit hoc loco Cicero; sed quamdam potius cum enumeratione Partitionem, sed Distributionem: atque ideo non esse vitiosam, etiam si quid in ea præteritum esset. *Nam Divisio* (ut Boethius docet) *quæ vere ac proprie dicitur, ea est, qua vel genus propositum in formas diducitur, vel totum in membra discerpitur, vel verbum ambiguum per suas significationes exprimitur*. Hoc autem loco neque genus ullum est propositum, quod dividatur, neque totum, neque verbum ambiguum: nulla est igitur divisio: Cum enim ita proponit Cicero: *sunt autem Privata natura nulla*, declarat, *omnia naturaliter esse communia*. Itaque nullum statuit privatorum genus quod dividat: sed aliquos enumerat modos, quibus ea, quæ prius communia fuerant, postea pri-

vata facta sunt: quo in genere nullum est vitium, aliqua præterire: quod ipse Cicero sic in Topicis docet; *Partitione autem sic utendum, nullam ut partem relinquas: ut si partiri velis Tutelas, inscienter facias, si ullam prætermittas: at si Stipulationum aut Iudiciorum formulas partiare, non est vitiosum in re infinita prætermittere aliquid: quod idem in Divisione vitiosum est. Formarum enim certus est numerus, quæ cuique generi subjiciantur: Partium distributio sæpe est infinitior, tamquam rivorum a fonte deductio*. Itaque in Oratoriis artibus quæstionis genere proposito, quot ejus formæ sint, subjungitur absolute. At cum de ornamentis verborum sententiarumque præcipitur, quæ vocantur σχήματα, non fit idem; res enim est infinitior: ut ex hoc quoque intelligatur, quid velimus inter Partitionem, & Divisionem interesse. Hæc Cicero: *Quibus intelligi facile potest, plerumque contingere, ut in partiendo nulla præterire non sit vitiosum: quod idem non fit in Divisione, in qua nihil umquam sine vitio præteriri potest*. Sed fac istam, quam reprehendis, esse divisionem; quid tandem in ea prætermissum est? nam quæ tu vis esse præterita, declaravimus omnia sub illis generibus a Cicerone numeratis contineri: neque præterea quid dici, aut excogitari possit, video: nihil est igitur prætermissum. Quare sive Divisio sit ut tu existimas, sive non, ut ego affirmo, nihil est in hac parte vitiosum,

Iacobus Griffolus ad quintam Cælii Calcagnini disquisitionem.

ILlud quidem parum prudentis hominis, atque constantis esse vitium videtur, si quis aut contra suum præceptum faciat, aut quod in eo esse cernat, id in aliis accuset; quare Cælius justæ reprehensionis ansam censuit sibi datam esse. M. enim Cicero cum paulo ante Panætii divisionem improbasset, tamen ipse quoque in Officiorum primo, contra quam monet in Topicis pessime divisit; ubi sic ait; *Sunt autem privata natura nulla; sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria, ut qui bello potiti sunt: aut lege, aut pactione, conditione, sorte*; quod in divisione, inquit Cælius, præterire aliquid maximum vitium sit, & paulo superius hoc libro, & in Topicis ipse Cicero testatur. quid de iis dicemus, quæ edicto prætorio nobis adjecta sunt? nam edictum prætoris a lege diversum est; quid de iis dicemus, quæ contractu nobis, & pretio ita comparavimus, ut nostri mancipii facta sint? quid de iis, quæ prædio nostro alluvione fluminis accreverunt? quid de iis, quæ se nobis fortuna obtulerunt, ut thesauri inventio, ut avium captura, quæ libero aere vagantur? Quod si quis hæc ad legem referat, redundans erit hæc divisio, quod non levius est peccatum; hactenus Cælius. Hæc autem cum plebano sancti Apollinaris Baptistæ Electo nostro optimo ut scis ingenio, summaque doctrina prædito legissem, quid, inquit, Cælius hic ait? Equidem non arbitror hîc M. Tullium omnes rationes, & modos numerare voluisse, quibus quisque rei alicujus dominus fieri possit; sed quibus causis, tantum quæ communia erant, facta sint privata; neque si recte quis consideret, alias fortasse præter has facile reperiet. Nam edicto prætoris, & contractu ea nostra fiunt, quæ erant alterius, non communia; item eluvio-

vione ea terra, quæ in alterius fundo erat, in alienum aquarum vi translata est, ex privato loco scilicet in privatum. Thesaurus autem, qui offeratur, & avis libera, & id genus alia in communibus rebus numerantur, & fiunt occupantis; itaque communia aut occupatione facta sunt privati juris, aut bello, aut lege inter populos, pactione, conditione, sorte. Illud autem est hîc animadvertendum, quod Marcus Tullius non de privatorum hominum verum de publicis possessionibus populorum. & civitatum loquitur; quod ipse statim exponit dicens: *ex quo fit ut ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tusculanus Tusculanorum*; ut hac similitudine ostendat certæ cujusque personæ res esse Proprias; quare inquit, similisque est privata & possessionum descriptio; ex quo suum cujusque fit eorum, quæ natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat: hîc ita est intelligendum, ea, quæ natura fuerant communia, illis tantum rationibus potuisse fieri publica, vel privata, hæc autem & iisdem & aliis compluribus postea excogitatis modis, distribui, & ad alios quotidie novos dominos pervenire. Itaque si ex verbis Ciceronis verum eliciamus sensum, fortasse in ea divisione nihil amplius desiderabimus; quod si communem interpretationem sequi libeat, non video, cur edictum Prætoris Cælius neget esse legem, cum in tertia Verr. Cicero confirmet, edictum esse legem annuam. Sed ut de nomine concedamus, vim tamen legis obtineat necesse est, ut senatusconsultum, responsa prudentum, principum placita, plebis scita, jussa populi, mos, & consuetudo, & si qua sunt alia hujus generis, quæ tamquam species legi, ut generi subjici debent. Quod autem permutatur, aut pecunia, aut alia re, non pactione continetur; nam thesaurus fortuna oblatus, & pisces in publicis aut in communibus fluminibus, & aeriæ aves, omnia sunt communia, & occupatione fiunt propria; itaque videmus hæc omnia illius divisionis partibus esse comprehensa; neque fieri potest ea, quam Cælius dicit, in ea divisione redundatio; nam eas partes ad legem nemo referret. Aliud est enim vim legis habere, & pro lege usurpari, aliud esse legem, vel verius fortasse dicamus, esse modum, quo per legem ex communi conditione res transeunt in privatam: atque hæc Electus. At quid, si Tullium ea quoque ratione defendamus, ut dicamus eum voluisse omnes illius divisionis partes persequi, ac illas rationes exempli causa posuisse? quod Horatium, cum scriberet ad Florum, videmus fecisse, cum ait: *Tamquam sit proprium cuiquam, puncto quod mobilis horæ, Nunc prece, nunc precio, nunc vi, nunc sorte suprema Permutet dominos, & cedat in altera jura*. Nam & aliis rationibus ab Horatio omissis hæc permutatio fieri solet; sed iis fuit exemplis contentus, ut M. Tullius, qui tamen etiam eo argumento defendi posset, quod illis tantum modis ante cœpta sint a privatis obtineri communia, quam essent edicta, & reliqua vel a Cælio, vel a me superius posita; Ciceronem enim temporum habuisse rationem credendum est. Verum si rem recte perpendamus, facile perspiciemus, ut Electus noster ait, M. Tull. exposuisse omnes causas & modos, quibus privata fierent, quæ natura essent communia, & non quibus ea, quæ sunt privati juris, in jus alterius privati transeunt: nam hoc est dominum mutare, non conditionem.

Sexta

Sexta Cælii Calcagnini disquisitio.

QVi autem non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ: tam est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. At hoc nimis Stoice dictum est, & quod inter Paradoxa referri oporteat. Quid si sontem defendam? si eum, qui alium prius injuria provocarit? si eum denique, cujus causa & mihi & meis diuturnas offensas concitem? Sane hæc ad obrussam & rigorem illum Zenonis metiri, durum & plenum inclementiæ existimaverim; præsertim quum in medio hominum, neque inter perfectos vivamus. Adde quod, ut ipse paulo post monet, multa circumspicienda sunt in omni officio: & consuetudo exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus; & addendo, deducendoque videre, quæ reliqui summa fiat, ex quo quantum cuique debeatur intelligas. Quid præterea, si peregrinus & ignotus in periculo sit? sit itidem is, qui de te optime meritus sit? Quid si plures eodem tempore defendendi sunt? Quid si constituto in periculo opitulari non possis, nisi alium, puta amicum vel necessarium læseris? Profecto hæ omnes circumspectiones sententiam Ciceronis infirmant. Quæ vero (malum) hæc comparatio? quam absona, quam veritati refractaria? Ergo ignotum ac peregrinum, & forte nihili hominem destituisse, juxta par scelus existimabis, ac si parentes, quibus vitam, educationemque debeo: ac si amicos, quos eadem mihi voluntas idemque studium conjunxit: ac si denique sanctissimam patriam, in qua omnia jura reposita sunt, prodidero. Vide obsecro, ne si positionem tueri volueris, & pietatem erga parentes, & necessitudinem inter amicos, & caritatem in patriam vili nimis loco habuisse videare: quam publico, ac late nimis profuso humanæ societatis vinculo adæquaveris.

M. Ant. Majoragii Decisio sexta.

EСce autem cum Injustitiæ duo genera Cicero statuisset: unum eorum, qui injuste impetum in quempiam faciunt, aut ira, aut aliqua perturbatione incitati: alterum eorum, qui nec defendunt, nec obsistunt injuriæ, si possunt: velitque hos, qui propulsare volunt injuriam, tam esse in vitio, quam si parentes, aut patriam deserant; insurgis ab altera parte tu vehemens accusator, damnasque Ciceronem nimiæ severitatis, ac pene immanitatis, quod hoc nimis stoice dictum esse videatur, & quod inter paradoxa referri oporteat. Equidem nequeo satis mirari, quid hoc loco nimis stoice dictum existimes, aut quid tibi videatur esse Paradoxon. An fortasse, quia Stoici paria volebant esse peccata, Ciceronem putas eorum opinionem secutum hoc dixisse? Credo te ita cogitasse. Sed diligentius, quæso, Ciceronis verba considera; videbis enim te longe tua opinione falli. Non enim ait Cicero, *tanto esse in vitio, qui non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, quanto si parentes, aut amicos, aut patriam deserat*; sed ait, *tam esse in vi-*

in vitio : hoc est , *tam contra officium facere* , *& in vitium injustitiæ cadere* . Nam cum de Injustitia verba faciat. *non tantum eos qui inferunt*, *sed eos etiam qui non propulsant injuriam*, injustos esse ostendit : *& quemadmodum qui parentes* , *aut amicos* , *aut patriam deserunt* , *injusti sunt appellandi* : *ita etiam qui non propulsant* , *si possunt* , *injuriam* . Vtri vero sint injustiores , nihil ad hoc tempus : satis est enim hoc loco demonstrasse , genus esse quoddam injustitiæ , non propulsare , cum possumus, injuriam. Itaque in eo membro, *tam est in vitio* : verbum illud , *tam* , non quantitatem , sed qualitatem potius , ac similitudinem significat. Vt si quis ita dixerit : *Qui servum interficit* , *tam est in crimine cædis* , *quam si parentem interfecisset* . Vel sic : *Qui clam denarium surripit* , *tam est in furto* , *quam si decies sestertium surripuisset* . Hæc quis non videt esse verissima , quamvis inter se plurimum peccata differant ? Tam est furtum denarium clam surripere , quam decies sestertium. Sed hoc longe majus . Eodem modo dicit Cicero : *Tam est Injustitia* , *non propulsare* , *siquis potest* , *injuriam* : *quam parentes*, *aut patriam deserere* : sed nemo dubitat hanc esse majorem . Itaque non est , quod hæc inter paradoxa referas , quæ planissima sunt . Quam vero copiose , quam pene tragice contra Ciceronis verba fulminas ? Quid si sontem (inquis) defendam? si eum, qui alium prius injuria provocarit ? si eum denique , cujus causa, & mihi & meis diuturnas offensas concitem ? durum & plenum inclementiæ . Ah Calcagnine, ne quæso tam acriter insurgas, cum præsertim nemo tibi has necessitates imponat. Quis te sontem jubet defendere ? an non injustitia sit , si hoc facias ? Quis jubet , ut eum defendas , qui prius alium injuria provocarit ? Obsecro te , perpende prius Ciceronis verba diligenter , & mande , & concoque , deinde siquid tibi nauseam concitarit , tunc illud evomito . Iubet Cicero , *ut resistamus injuriæ* , *non ut sontes defendamus* , *aut eos qui priores injuriam intulerint* . *Non est injuria* , *sontem punire* : *non est injuria* , *vim vi repellere* . Quare cessa bonis avibus in hac parte : neminem neque sontem , neque injuriosum defende , non te accusabit Cicero . At dicis : *nolim mihi* , *& meis inimicitias comparare* . Esto igitur prudens , ut bonus ratiocinator officiorum esse possis : nam si ejusmodi sunt inimicitiæ, ut eas non admodum pertimescas, tibi repellenda est injuria , & subeundæ propter justitiam inimicitiæ . Si vero tales futuræ sint , ut & tibi , & tuis detrimentum sint allaturæ , cessa : non enim potes injuriæ resistere . Vult autem Cicero , *te tantum solummodo contendere* , *quantum sustinere commode possis* . Quid si plures eodem tempore defendendi sint ? Accurre ad eum , qui tibi carior est , cui magis debes , si non potes omnibus eodem tempore subsidium ferre . Quid si constituto in periculo opitulari non possim , nisi amicum , vel necessarium læsero ? amicus ille tuus vel justus , vel injustus est : Si justus , neminem per injuriam offendet : sin injustus , nihil ejus amicitiam curare debes : sed innocentem, si potes , omni ratione sublevare . Crede mihi , nihil invenies , quod Ciceronis sententiam infirmare possit , quam a natura ipsa, vel potius a recta ratione deduxit . Ecce autem iterum eloquio tonas . Quæ, malum , (inquis) hæc comparatio ? quam absona ? quam veritati refractaria ? deinde monstra quæ-

quædam verborum, & portenta fingis: Destituere ignotum, ac peregrinum, ac nihili hominem, & prodere parentes, amicos, patriam, a Cicerone par scelus existimari. Vnde hoc (quæso) datum sumis? ubi est hæc Ciceronis sententia? ubi comparatio? ubi loquitur Cicero de proditione patriæ, parentum, aut amicorum? Quæ, malum, est ista perversitas tua, ut fingas a Cicerone dici, quæ non dicuntur, quo facilius eum impugnes? Adeo ne mortales omnes negligentes esse putas, ut eorum oculos tuis nugis præstringere, atque eis tenebras offundere possis? Dic, ubi pietatem in parentes, necessitudinem inter amicos, caritatem in patriam, publico, ac late nimis profuso humanæ societatis vinculo Tullius adæquarit? Ex hoc certe loco non potes hæc elicere: quoniam (ut initio docuimus) nulla est hic quantitatis comparatio, sed similitudo quædam: neque de magnitudine criminis, sed de genere vitii disputatur: ut ostendat Cicero, *non propulsare injuriam, tam esse sub injustitia, quam patriam deserere*. Sicuti meretricia consuetudo, tam est sub luxuria vel libidine, quam adulterium, quam incestum: quamvis nemo sit, quin intelligat, longe majus esse peccatum Adulterium, aut Incestum committere, quam coire cum meretricula. Qui quidem gradus etiam in virtute reperiuntur: ut amicum adjuvare, tam est sub justitia, quam patriam defendere: sed hæc tamen posterior virtus longe præclarior. Iaces igitur cum tuis argumentis, qui vinculum humanæ societatis a Cicerone, parentibus, & amicis, & patriæ putes adæquari.

Iacobus Griffolus
Ad sextam Cælii Calcagnini disquisitionem.

ILlud quoque Cælio non probatur tamquam dure, & nimis Stoice dictum, ac etiam inconstanter, quod tam sit in vitio, qui non defendit, nec obsistit injuriæ, si possit, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. Quid si sontem, inquit, defendam? si eum, qui alium prius injuria provocat? si eum denique, cujus causa & mihi, & meis diuturnas infensas concitem? Vt pro Cicer. respondeam, impie id facies, & stulte, & contra Zenonis, & M. Tullii præceptum, qui humani sunt, & justi: at primum quod cum Stoicis agat Cicero, reprehendi non debet, quando se id facturum a principio professus est; deinde quod aut nimis, aut inconstanter, falsum; præsertim hoc in loco, ubi noluit, ut Cælius putavit, paria esse peccata, non obsistere injuriæ, & patriam deserere; sed illud non esse vitium magis, quam hoc, ita in suo genere non longius abest a vitio, qui non propulsat injuriam, si possit, quam qui parentes, amicos, & patriam deserunt: ut si furatus sit quisquam decem, alius vero centum, non magis hic est in vitio, quam ille. Nam si concedamus utrumque furtum esse, illud quoque concedamus necesse est, utrumque eorum esse pariter in vitio. Quare M. Tullius demonstrare voluit non apertius peccare, qui patriam deserit, quam qui non defendit injuriam, cum possit. Hoc ita constituto absurda sunt omnia, quæcumque Cælius in Ciceronem jacit; *nam sontem, aut*

qui provocavit injuria si quis defendat, contra officium facit; *neque enim verisimile est Stoicos defendi eos voluisse, qui noceant aliis, quippe qui monent, ut injuriæ resistamus*, id est, *ut contra sontes, & injurios homines pugnemus, alias cum his injuriam conjungere, & consociare videremur*. Nec etiam illud præcipit M. Tullius, *ut ceteris ita quietem patiamur, ut perturbemus nostram*; dixit enim si possis; posse autem is dicitur, qui & socium, & se tueri queat. *Quid?* inquit Cælius, *si peregrinus, & ignotus in periculo sit, sit itidem is, qui de te optime meritus sit? utrumque si possit, defendi jubet: sin minus, cui plus debeatur*: nonne passim Stoici monent, ut delectus rerum habeatur? nonne mire sibi constat Cicero, qui societatis gradus inter homines docuit esse plures, ut facile sciremus, quæ cuique officia deberentur? nonne officium dixit esse *majus damnum anteponi minori*? Notus est locus ille, ubi hoc exemplo Cælius convincitur, si constitueris te cuipiam advocatum in rem præsentem esse venturum, atque interim graviter ægrotare filius cœperit, non sit contra officium non facere, quod dixerit, magisque ille, cui promissum sit, ab officio discedat, si se destitutum queratur. Sed passim tibi occurrent hujusmodi loci, ne quis credat Zenonem, sive M. Tullium Aristonem aliquem fuisse, qui nihil in mediis officiis relinquant, quod sit aut secundum naturam, aut contra; verum si Cælius ex constantia, & perpetuitate, & non ex singulis vocibus philosophos spectasset, non fuisset ita propensus ad hujusmodi calumnias; mitto nunc alias ejus circumspectiones; nam quis dubitet, si plures oporteat eodem tempore defendi, omnes defendere, si possit? sin minus, quos possit? quod si nullum servare queat, nemo umquam existimabit ab eo desertum esse quemquam. Iam si constituto in periculo sine alicujus injuria opitulari non possim, non opitulabor: officium enim numquam debet cum injuria conjungi; nam ut dixit M. Tullius, *qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt injustitia, ut si in suam rem alienam convertant*; ubi vides, eum, cum par esse crimen, vellet ostendere, in eadem esse injustitia dixisse; tam enim esse in vitio, & in eodem, plurimum differt: quæ si diligentiore trutina Cælius examinasset, non tam durus illi Cicero visus esset.

Septima Cælii Calcagnini disquisitio.

CIcero liberalitatem cum justitia confundit. Habent omnino aliquam inter se vicinitatem, præsertim ea parte, quæ in erogando constat; dat enim utraque pro dignitate, & merito, sed justitia multo latius evagatur. Sane Aristoteles duplicem justitiæ proportionem tribuit, *geometricam alteram, alteram arithmeticam. Arithmeticam versari in contractibus* scribit, *in quibus omnes homines pares esse decet. Geometricam vero, unicuique suum dispensare, quantus est cujusque captus & existimatio*. Hæc imperia ac magistratus præclare natis ingeniis præbet, ceteris pro suo modulo munera & ministeria partitur. Proprium est liberalitatis, pecuniam aspernari, eamque ad publica hominum commoda impartiri, multos habere suo beneficio obstrictos, nemini

mini quidquam imputare, a nemine vicem reposcere. Hanc Philosophi animi magnitudini ac despicientiæ rerum humanarum proximiorem, quam justitiæ, existimaverunt. Posset aliquis fortasse ea ratione tueri Ciceronem, quod istæ virtutes conjunctæ sint, ac ita proximæ, ut mutuo vinculo teneantur, quod qui dixerit, incidet in Menedemi Eretriensis sententiam, *qui omnes virtutes unam esse virtutem arbitrabatur, eamque pro suis functionibus diversis nominibus appellabat*: auctor Plutarchus in libello de Virtute Morali.

M. Ant. Majoragii decisio septima.

SEd quæ hactenus a te sunt impugnata, fuerunt ejusmodi, ut in eis aliquid dicere videreris: quod vero nunc addis, omnino falsum est: itaque tolerari nullo modo potest. Equidem non miror, si multa quotidie finguntur ab iis, qui nullum sibi contradicturum sperant, aut qui tabellis obsignatis, secum agi non posse intelligunt: cum tu, quem verisimile est credidisse, multos fore, qui contradicerent, ac Ciceronem defenderent: & qui præclare intelligis, opera Ciceronis a studiosis litterarum in manibus continenter haberi: tamen audeas id fingere, quod nusquam Cicero dixit, ac ne somniavit quidem. Sic enim septimam disquisitionem tuam aggrederis: *Cicero Liberalitatem cum Iustitia confundit*. Vbi, quæso, hoc, aut quibus verbis efficit Cicero? Porrige obsecro manum, & digito locum demonstra: non enim in Officiis Ciceronis, ubi hoc faciat, invenio: nisi forte tu novum aliquod exemplar habes, ubi confusio illa liberalitatis ac justitiæ lateat. In eis certe, quæ mihi videre contigit, nusquam hanc confusionem inveni. Tuum igitur fuit, locum aperte declarare, non postulare, ut tibi tamquam Xenocrati cuipiam injurato credamus. At ego contra video, diligenter a Cicerone virtutes istas inter se distingui, separatimque alteram ab altera tractari: ut non possim non mediocriter admirari, te tam impudenter & aperte mentitum. Sed præstat ipsius Ciceronis verba recitare, ne me quisquam fortasse putet, amore ductum, quo semper ab ineunte pueritia Ciceronem complexus sum, aliquid fingere, quæ sic habent: *De tribus autem reliquis latissime patet ea ratio, qua societas hominum inter ipsos, & vitæ quasi communitas continetur, cujus partes duæ sunt; Iustitia, in qua virtutis splendor est maximus, ex qua viri boni nominantur, & huic conjuncta Beneficientia, quam eamdem vel Benignitatem, vel Liberalitatem appellare licet*. Hic vides apertissime distinctam a Liberalitate Iustitiam; atque ita de Iustitia verba facere incipit, separatim a Liberalitate. Sed justitiæ primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuria: deinde, ut communibus utatur pro communibus, privatis ut suis. Itaque progreditur, & Iustitiæ munera pluribus verbis explicat. Postea vero, cum jam satis multa verba de Iustitia sibi fecisse videretur, μετάβασιν, id est, transitionem addidit, ut a Iustitia Liberalitatem segregaret, quæ est ejusmodi: *De Iustitia satis dictum est: deinceps, ut erat propositum, de Beneficientia ac Liberalitate dicatur, qua quidem nihil est naturæ hominis accommodatius*. Hæc certe Ciceronis verba sunt, quibus intelli-

telligi satis potest, voluisse eum *a Iustitia disjunctam esse Liberalitatem*. Quæ cum ita sint, omnino te mentitum esse fateare necesse est. Quid ergo Ciceronem impugnas? an fortasse quia *justitiæ conjunctam esse liberalitatem* dixit? At hoc ipse tua sponte fateris, cum dicis, has duas virtutes habere aliquam inter se vicinitatem, præsertim in ea parte, quæ in erogando constat: dat enim utraque pro dignitate bene meriti. Sed quemadmodum hæ virtutes differant, optime declarat Aristoteles in libello de Virtutibus: *Iustitia* (inquit) *est virtus animi διανεμητικη του κατ' αξιαν*, id est, *quæ distribuit quod pro dignitate cuique convenit. Liberalitas vero est virtus animi ευδαπανης εις τα καλα*, hoc est, *quæ in rebus honestis facile sumtum facit*. Propterea Iustitiæ munus esse vult, patrios mores servare, legibus obtemperare, promissa & conventa efficere; Liberalitatis vero, facilem esse in erogando, quoties opus fuerit, & quoties honestas ipsa postulat: libenterque auxilium egenti ferre, neque unde non licet aliquid accipere. Quæ siquis diligenter advertat, intelliget profecto, magnopere cum iis, quæ de Iustitia & Liberalitate tradit Cicero, convenire. Quæ vero tu citas ex Aristotele de duplici proportione, Geometrica, & Arithmetica, non video quid ad hunc locum faciant. Vtrum autem id verum sit, quod tu asseris, Liberalitatem esse Fortitudini propinquiorem, quam Iustitiæ, viderint alii: ego certe, nisi firmiores attuleris rationes, a Cicerone nostro non discedam: *qui non fortitudini, sed justitiæ conjunctam esse liberalitatem* statuit: neque injuria, cum utraque ad hominum societatem, & vitæ quasi communitatem pertineat.

Iacobus Griffolus
Ad septimam Cælii Calcagnini disquisitionem.

SEptimo loco inquit Cælius, *liberalitatem Cicero cum justitia confundit, quam Philosophi animi magnitudini, & rerum humanarum despicientiæ conjunctiorem, quam justitiæ existimarunt*. Ego vero quis nam fuerit de liberalitate sensus Ciceronis breviter ostendam, si prius monuero, ne vitio illi vertatur, si cum Aristotele sentire voluit. Credebam ego jam omnibus hoc esse manifestum, quod ille ipse professus est, Ciceronem in his libris secutum esse Stoicos; quamobrem non recte Cælius, si quid ab eo dictum sit, quod ab Aristotelica regula aberrare videatur, id esse corrigendum statuit; nam Cicero, ut testatum multis voluminibus reliquit, Aristotelis Moralia diligenter legit, nec ab eo propterea dissentit, quod nesciat, quid ille senserit, sed quia tunc eum non probat: neque vero illius ætas erat huic nostræ similis, quæ unum novit Arist., præterea neminem; at vigebant quatuor illæ Philosophorum scholæ, quarum singulæ multos habuerunt amatores, a quibus eruditissimis disputationibus defensæ sunt; ac si veterum Philosophorum scripta videremus, aut eorum, quos reliquos habemus, testimonio crederemus, necesse esset fateri longe plures, & eos graviores Platonicos, quam Aristotelicos fuisse. Erat ergo fas bonis illis temporibus, ut etiam ante fuerat, Aristoteli non modo non assentiri, verum etiam repugnare;

nunc

nunc autem eo jam ventum est, ut dicere non satis sit, ut olim de Pythagora solebat, αυτος εφη, verum singula hujus verba singula esse oracula putemus; at si hoc inertiæ nostræ largiamur, ut ex tam multis vix unum cognoscamus, laudare debemus eos, qui ut omnes cognoscerent, summo studio, & labore perfecerunt. Itaque omnium collatis opinionibus, quæ maxime placerent, eas cum causa, ut illis videbatur, secuti sunt, ut Marcum Tullium fecisse constat, quem quidem cum ex aliis, tum ex illis quinque de Fin. bonorum, & malorum libris par est existimare, nihil ignorasse quod illæ scholæ, quæ tunc erant in honore, sentiebant. Hîc ego, quod sæpius se fecerit Academicum, & Stoicum, quam Peripateticum, nolo statuere, utrum recte fecerit nec ne: verum quoniam ea tempestate nulla religio videbatur, si quis improbasset Aristotelem, demus hanc veniam Ciceroni, ut ab iis, quos sibi duces elegerit, ad Aristot. non deficiat, nec libeat semper hoc enthymemate, ut Cælius consuevit, uti: Non sic Aristoteles; ergo male Cicero; nam apud eum, ut toties jam dixi, non semper Arist. probatur, quemadmodum in ratione liberalitatis; quam quidem ille in pecuniæ tantum usu, & earum rerum, quæ pecunia æstimantur, Cicero vero non in his solum, verum etiam in omni genere liberalitatis versari putat, quare sic ait: *De tribus autem reliquis latissime patet ea ratio, qua societas hominum inter ipsos, & vitæ quasi communitas continetur, cujus partes duæ sunt, justitia, in qua virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur, & huic est conjuncta beneficientia, quam eamdem vel benignitatem, vel liberalitatem appellare licet*: tum de justitia, & injustitia primum, posita de liberalitate separatim sua utrique munera, & officia tribuens tractavit. Vbi videmus Ciceronem justitiam eam partem intelligere, quæ noceat nemini, nec tamen prosit cuique, nisi dando, & accipiendo, ut artifices, & mercatores solent, quippe qui sic aliis prosunt, ut etiam sui commodi honestam rationem habeant. Quare Alexander Aphr. eam της πλεονεξιας, και της μειονεξιας medium esse tradit in Top. sed hæc virtus manca videbitur; non enim satis est abstinere tantum ab injuria, nisi benignum te, & liberalem præstes: quare adjungunt ei liberalitatem, cui tribuunt non solum usum pecuniæ, & earum rerum, quæ pecunia æstimantur, verum etiam omnem cujusvis generis benignitatem. Itaque in secundo Officior. inquit Cicero: *Liberalitatis est ratio duplex; nam aut opera benigne fit indigentibus, aut pecunia; atque his duabus partibus justitiæ universum genus humanum sustentatur; nam societatem tuetur is, qui jus suum cuique tribuit*. Itaque in Tertio de Fin. *Iustitia*, inquit Cic. *in suo cuique tribuendo cernitur*. Ac in III. de Nat. Deor. *Iustitia, quæ suum cuique tribuit, quid pertinet ad deos? hominum enim societas & communitas, ut vos dicitis, justitia procreavit*. De Inventione vero, ut intelligas hujus virtutis vim jam inde a puero Ciceronem didicisse: *Iustitia*, inquit, *est habitus animi communi utilitate conservata suam cuique tribuens dignitatem*. Rursus ille quoque societatem conservat, qui nec ulli nocet, & communes utilitates in medium affert, mutatione officiorum dando, & accipiendo, tum arte, tum opera, tum facultatibus inter se, & alios societate devincit; cujus quidem justitiæ fundamentum est fides,

fides, ut liberalitatis pro dignitate cuique tribuere, ut suo loco melius apparebit. Atque hæc est, quam Geometricam, & illa, quam Arithmeticam vocat Aristoteles: nam quod magnanimo conjunctiorem liberalitatem censet Arist. quam justitiæ, id non ignoravit M. Tullius, quippe *qui in partitionibus magnitudinis animi liberalitatem in usu pecuniæ dixit esse*, sed hîc aliter agendum fuit; sequitur enim Stoicos, apud quos certe latius patet liberalitas, quæ justitiæ subjicitur, quam quæ tantum ad magnanimum refertur; hæc enim in solo usu pecuniæ, illa vero in omni beneficio versatur, & propterea Stoici eam justitiæ adjungebant; unde Cato in tertio de Fin. *Iustitiæ*, inquit, *adjunctæ sunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quæque sunt generis ejusdem*. Iam mihi videor Ciceronem sine illo mutuo vinculo, quo simul omnes virtutes continentur, defendisse, ut nequaquam in Menedemi sententiam delabi sit necesse.

Octava Cælii Calcagnini disquisitio.

ET quamquam omnis virtus nos ad se allicit, facitque ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur: tamen justitia & liberalitas id maxime efficit. Cur hoc fiat, Cicero prætermittit ostendere. Ostendit id Aristoteles: quod ceteræ scilicet virtutes habenti decori sint, & emolumento: sola justitia & liberalitas non habenti; sed ceteris potius mortalibus prosint, aliorumque gratia & commodo exerceantur; ob idem etiam eas ἀλλοτρίας ἀρετὰς id est, alienas virtutes, veteres appellavere: quod publicæ utilitatis gratia potius, quam privatæ, inventæ sint; omnis autem virtus, quo se pluribus adjutricem præbet, hoc est apud omnes carior, majoreque in admiratione habetur. Si igitur Cicero, quum Officiorum librum scriberet, Aristotelem habuisset in manibus, potius quam Panætium, non dubito, quin fecundiora uberioraque suis civibus præcepta tradidisset; eaque locupletioribus argumentis & rationibus comprobasset.

M. Ant. Majoragii Decisio octava.

ATque hæc quidem, quæ de Iustitia, ac Liberalitate dicta sunt a Cicerone, declarant id apertissime, quod ab eo tu dicis esse prætermissum: nempe quam ob causam fiat, ut quamquam omnis virtus nos ad se alliciat, faciatque, ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur: tamen Iustitia & Liberalitas id maxime efficiat. Superius enim copiose declaratum est a Cicerone, duas has virtutes latissime patere: in iisque societatem hominum inter ipsos, & vitæ communitatem contineri: atque in justitia virtutis splendorem esse maximum, ex qua viri boni nominantur: quia nemini nocent, quia naturam ducem sequuntur, & communes utilitates in medium afferunt; & opera atque facultatibus devinciunt hominum inter homines societatem: quia facile condonant injurias, nullis dolis, nullis fraudibus utuntur: & cum nemini noceant, omnibus prodesse student. Præterea quia liberales homines pluri-

plurimum eis tribuunt, a quibus plurimum diliguntur. Hæ ne tibi parvæ videntur esse causæ, quibus approbet Cicero Iustitiam & Liberalitatem nos ad se allicere, facereque ut eos diligamus, in quibus ipsæ inesse videantur? Equidem non video, quid ab Aristotele copiosius, aut melius dicatur. Quin potius idem dicere videtur Cicero, quod Aristoteles, & longe clarius atque ornatius. Non enim Cicero, quod tu fortasse somnias, ad ipsum, qui habet has virtutes, sed ad vitæ communitatem pertinere docet: quod idem etiam Aristoteles facit, cum Iustitiam & Liberalitatem scribit aliorum gratia & commodo exerceri: atque ideo αλλοτριας αρετας, id est, alienas virtutes a veteribus appellatas, quod publicæ utilitatis gratia potius, quam privatæ sint inventæ. Quid aliud, quæso, tradit Cicero? nonne hæc eadem longe politius, & elegantius? Sit enim gravissimus auctor (ut est) Aristoteles, tamen in eo quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornate dicere, longissimo Ciceroni est intervallo proximus. Neque video quid fecundius, atque uberius hoc opere Ciceronis inveniri possit, quod scilicet ex Aristotelis lectione putas tu locupletius ac perfectius fieri potuisse. Quid si noluit Aristotelem imitari Cicero? Quid si longe melius de Officiis præcepta tradidit, quam Aristoteles? tamen ne tam obstinate dabis operam, ut eum sine ulla causa, aut ratione vituperes? dicam enim, pace tanti Philosophi, *pluris hoc ego unum de Officiis opus facio, quam universa Aristotelis Moralia*. Non quod Aristotelis ingenium non majorem in modum admirer, cujus assidua lectione soleo mirifice delectari, sed quod hoc Ciceronis opus ad vitæ communis institutionem longe aptius esse judico, quam ea quæ de moribus tradit Aristoteles. *Sit enim Aristoteles Philosophorum longe præstantissimus, sit naturæ diligentissimus indagator, fundat aureum flumen orationis*, ut ait Cicero: *sit in adprobandis rationibus acutissimus: tamen cum eum a rerum naturalium contemplatione revocaris, multis in rebus a ceteris auctoribus superatur*. Quare si primum omnium Philosophorum in naturalibus rebus investigandis, & memoriæ prodendis Aristotelem affirmes, facile id quidem tibi concessero. Quod si eamdem in moribus, ac in reliquis disciplinis illi præstantiam attribuas, neminem (ut opinor) paulo doctiorem invenies, qui tibi velit assentiri. Non est igitur quod Ciceronem accuses, si cum de officiis præcepta traderet, Aristotelem in manibus habere noluerit: cum vel fortasse Panætium pluris in hac parte fecerit, vel aliter quam Aristoteles, hæc quæ spectant ad mores, tractare voluerit: cum præsertim initio Stoicos se velle sequi proposuerit, & judicio arbitrioque suo, quantum quoquo modo videretur, e fontibus illorum haurire.

Iacobus Griffolus ad octavam Cælii Calcagnini disquisitionem.

QVod M. Tullius scribens officia Panætium maluit in manibus habere, quam Aristotelem, nec in præceptis satis copiosus, nec in argumentis satis firmus Cælio videtur. Quid? ignorasse etiam rationem eum putat, cur justitia, & liberalitas maxime omnium virtutum ad amandum nos alliciat; mihi vero ignorare Cælius potius videtur & quid sciret Cicero, & quid agen-

fides, ut liberalitatis pro dignitate eprebit. Atque hæc est, quam G... vocat Aristoteles: nam quod magn... Arist. quam justitiæ, id non ignora... *bus magnitudinis animi liberalitatem in* dum fuit; sequitur enim Stoicos, quæ justitiæ subjicitur, quam quæ anim in solo usu pecuniæ, illa vero Stoici eam justitiæ adjungebant; u... quit, *adjunctæ sunt pietas, bonitas*, ... *generis ejusdem*. Iam mihi videor ... simul omnes virutes continentur, sententiam delabi sit necesse.

Octava Celii

ET quamquam omnis virtus no... in quibus ipsa inesse videatu... efficit. Cur hoc fiat, Cicero præ... quod ceteræ scilicet virtutes hab... tia & liberalitas non habenti; ... rumque gratia & commodo exer... id est, alienas virtutes, veter... potius, quam privatæ, inventæ adjutricem præbet, hoc est ap... habetur. Si igitur Cicero, qu... habuisset in manibus, potius q... uberioraque suis civibus præce... tis & rationibus comprobasset

M. Ant

ATque hæc quidem, quæ ... declarant id apertissime pe quam ob causam fiat, u... ciatque, ut eos diligamus. Liberalitas id maxime effi... cerone, duas has virtutes inter ipsos, & vitæ comn... dorem esse maximum, e... quia naturam ducem seq... & opera atque facultatib... quia facile condonant in... nemini noceant, omni...

ret, existimavit rationem illam ex longa disputatio-
erspicuam esse factam; ita superfluens potius fuisset,
xisset, quam, ut Cælius vult, fecundus. Vt autem ad
aliud illi propositum erat, aliud Ciceroni; hic enim
ionem tam docere voluit, quam quæ officia, & quo
lis ducerentur. Aristot. vero contra, ut in quo sita
, naturam cujusque virtutis, ac omnes differentias
rsecutus; nam hic quærit, quid sit virtus. Cicero ve-
bri angulum rectum, quantum ad ipsorum artem per-
metra vero quid, & qualis sit, diligenter perscruta-
modo res easdem considerat uterque, ut nec liberali-
Arist. ubi quid ea esset definisset, in sua quoque of-
differentias exposuit; cum enim in dandis & acci-
as versetur, qui donat ut decet, & oportet, multis
ostendit illi, qui per injuriam nihil sumit; inter
t, quod liberalitas prodest, quia donat; cujus rei ar-
d omnium virtutum maxime amatur; id quod acci-
non accidit. Num hac necessitate Cicero coactus est
sertim ex ejus justitia, oratione quivis intelligat, ut
justitiam, ad alienam utilitatem attinere? nihil mi-
æclarissimam omnium virtutum propterea tradit Arist.
ito, verum etiam aliis prodest; qua quidem ratione
fuerat, conficere non potuisset. Ciceronis autem ra-
enim ea caritate, quæ inter sanguine conjunctos esse
societatem præstantiorem esse, neque firmiorem, quam
udine bonorum est; ac ne quis hac in re virtuti plus
ibus studiis, paribusque voluntatibus, negavit, ne justi-
ad amandum allici, neque liberalitate, quarum vis est
quoniam similes nos eas non habemus; ne intelligat Cæ-
virtute id fieri, sed eum etiam ad amandam impelli ho-
us in aliis quam in se illam cernat, quæ benevolentia,
tam firma, neque tam copulata, quam quæ similitudine
onciliatur, id est, quam cum virtute præditus alterum si-
ur; atque quod probandum sibi sumsit, rationibus confirma-
bus enim eadem studia sunt, eædemque voluntates, in his fit,
altero delectetur ac se ipso, efficiturque id, quod Pythagoras
, ut unus fiat ex pluribus. Neque vero in pronunciationibus
probatione, ut si dicas magis ad amandum nos alliciat mo-
bonorum, quam justitia, quæ præter omnes alias virtutes
quid hic necesse est adprobare justitiam maxime virtutum o-
cum pro certo, atque concesso habeatur? quid est igitur cur
iceronem vocemus?

Nona

gendum illi esset, & quid egerit tandem Aristoteles; nam si unum saltem de tribus cognovisset, non tam injustus judex in Ciceronem exstitisset; fateretur enim eum, qui tam multis disputavit sola justitia societatem hominum inter homines constitui, & conservari, non ignorasse hanc ipsam virtutem alienorum commodorum habere rationem, cum praecipiat non modo, ne cui quis noceat, sed quoad ejus fieri possit, ut quisque omnibus prosit. At cur quisquam tandem ignorare aliquid dicatur, a quo vim ejus explicatam videamus? non dixit M. Tullius *justitiam esse bonum alienum*: at eam ita descripsit, ea praecepta traditit justitiae, ut quivis facile cognoscat utilitatem ejus ad alios potius, quam ad eum ipsum, in quo sit habitus ille, pertinere; siquidem duo posuit in primo Off. justitiae fundamenta, *primum rerum contractarum fidem*, *alterum tribuere suum cuique*, quae quidem funditus evertit is, quicumque omnia ex suo tantum commodo metiatur. Quo enim modo societatem tueatur is, qui vel sibi vindicet aliena, vel de nullo bene mereatur, vel denique datam fidem praestare nolit? Rursus qui suo contentus est, & prout quisque meretur, in omnes est liberalis, nec quemquam fallit, cur non is aliis potius, quam sibi consulit? Quid aliud explicat M. Tullius, *cum justitiae hominem* inquit *studere, ut paret ea, quae suppeditent ad cultum, & ad victum, nec sibi soli, sed conjugi, liberis, ceterisque, quos caros habeat, tuerique debeat*? quare praeclare scriptum a Platone dixit, *non nobis solum nos esse natos, ortumque nostrum partim patriam, partimque parentes sibi vindicare, partim amicos*. Cur Stoicis placere omnia, quae in terris gignuntur, ad usum hominum creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis prodesse possent? ac in eo debere nos ducem naturam sequi? Quid illud etiam, quod tam esse in vitio eos putat, qui ab iis, quibus infertur, non propulsant injuriam, si possint, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserant? hunc ignorasse quisquam audet suspicari ad communem utilitatem justitiam referri? Sed ea quoque legenda sunt, quae in calce primi libri saepius repetit in comparatione honestatis, quae a communitate, & ejus, quae a cognitione ducitur. Iam planum fiet etiam, qui secutus est Panaetium, potuisse de justitia copiose, & subtiliter disputare; mitto quam multa in tam multis voluminibus dixerit, ex quibus cognosci potest utilitatem plerumque alienam justitiam tueri. Quod si quis negat, illud saltem doceat rogamus, cur is dixerit per hanc, & per liberalitatem in primis effici, ut ad amandum alliciamur; unde hoc novit? fortasse Cal. responderet furore aliquo afflatum divinasse Ciceronem; nam delirasse hic, ut alibi confirmat, illi non videtur, quippe quem sensisse recte non audet negare, sed quod Arist. rationem non attulit, eam ignorasse suspicatur; quasi vero necessarium sit, quidquid omittatur a scriptoribus, id ab eis ignorari. At rationis hujus non erat ignarus, immo vero eam suis verbis sic expressit; sic enim in Officior. secundo scribit: *Itaque illa tria, quae proposita sunt ad gloriam, omnia justitia conficit, & benevolentiam, quod prodesse vult plurimis, & admirationem, quod eas res spernit, & negligit, ad quas plerique inflammati rapiuntur*. Vbi res igitur id postulavit, non praeteriit rationem; nam in primo cum de justitia,

& li-

& liberalitate tunc ageret, existimavit rationem illam ex longa disputatione doctis saltem viris perspicuam esse factam; ita superfluens potius fuisset, si quid aliud ea de re dixisset, quam, ut Cælius vult, secundus. Vt autem ad Arist. tandem veniamus, aliud illi propositum erat, aliud Ciceroni; hic enim non virtutum vim & rationem tam docere voluit, quam quæ officia, & quo modo ex virtutibus singulis ducerentur. Aristot. vero contra, ut in quo sita esset felicitas exponeret, naturam cujusque virtutis, ac omnes differentias, est summa diligentia persecutus; nam hic quærit, quid sit virtus. Cicero vero quis ejus usus; ut fabri angulum rectum, quantum ad ipsorum artem pertinet, considerant: geometra vero quid, & qualis sit, diligenter perscrutatur. Non igitur eodem modo res easdem considerat uterque, ut nec liberalitatem, de qua scribens Arist. ubi quid ea esset definisset, in sua quoque officia distribuit, & eorum differentias exposuit; cum enim in dandis & accipiendis pecuniis liberalitas versetur, qui donat ut decet, & oportet. multis rationibus eum præstare ostendit illi, qui per injuriam nihil sumit; inter quas eam quoque posuit, quod liberalitas prodest, quia donat; cujus rei argumento nobis est, quod omnium virtutum maxime amatur; id quod accipienti, quod suum est, non accidit. Num hac necessitate Cicero coactus est ita disputare? cum præsertim ex ejus justitia, oratione quivis intelligat, ut dixi, liberalitatem, & justitiam, ad alienam utilitatem attinere? nihil minus. Iustitiam vero præclarissimam omnium virtutum propterea tradit Arist. quia non solum ipsi justo, verum etiam aliis prodest; qua quidem ratione omissa quod sibi proposuerat, conficere non potuisset. Ciceronis autem ratio alia fuit; exposita enim ea caritate, quæ inter sanguine conjunctos esse debet, statuit nullam societatem præstantiorem esse, neque firmiorem, quam quæ in morum similitudine bonorum est; ac ne quis hac in re virtuti plus tribueret, quam similibus studiis, paribusque voluntatibus, negavit, ne justitia quidem æque nos ad amandum allici, neque liberalitate, quarum vis est in ea re maxima; quoniam similes nos eas non habemus; ne intelligat Cælius pari aut simili virtute id fieri, sed eum etiam ad amandam impelli honestatem, qui potius in aliis quam in se illam cernat, quæ benevolentia, & amicitia non est tam firma, neque tam copulata, quam quæ similitudine bonorum morum conciliatur, id est, quam cum virtute præditus alterum sibi similem intuetur; atque quod probandum sibi sumsit, rationibus confirmavit dicens; in quibus enim eadem studia sunt, eædemque voluntates, in his fit, ut æque quisque altero delectetur ac se ipso, efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. Neque vero in pronunciationibus singula egent adprobatione, ut si dicas magis ad amandum nos alliciat morum similitudo bonorum, quam justitia, quæ præter omnes alias virtutes amari solet; quid hic necesse est adprobare justitiam maxime virtutum omnium amari, cum pro certo, atque concesso habeatur? quid est igitur cur ad ineptias Ciceronem vocemus?

Nona Cælii Calcagnini disquisitio.

ET Themistocles quidem nihil dixit, in quo ipse Areopagum adjuverit. An parum dixit Themistocles, parumque adjuvit Areopagum, quum oraculum interpretatus est? quum ostendit suis civibus, quæ forent lignea mœnia? quum persuasit, ut se navibus tuerentur? quum Regi vafro consilio utile ostendit, in angustiis pugnare? sed quid opus dicto fuit, quum naviter atque industrie agendo patriam servaverit? Quod nisi fortiter pugnando, seque maximis periculis exponendo, præpotentis Regis vires fregisset: certe Areopago locus non superfuisset, sed una cum Areopagitis salus & gloria Atheniensium concidisset. Possem hic togæ bellique consilia comparare, possem civiles castrensesque labores conferre: eaque expassis eloquentiæ velis exaggerare, quæ in Oratione pro L. Murena incredibili facundia Cicero prosecutus est. Sed in re plana, atque omnibus exposita, non adeo opportet esse eloquentem.

M. Ant. Majoragii Decisio nona.

COmparat Cicero res urbanas cum bellicis, multasque res urbanas exstitisse majores clarioresque, quam bellicas affirmat: atque hoc adprobare volens, Solonis ac Themistoclis exemplum in medium profert. *Solon enim Athenis Areopagitarum sapientissimum concilium constituit: Themistocles vero clarissimam in Salamine pro patria pugnans contra Persas victoriam reportavit. Non minus preclarum* (inquit Cicero) *Solonis factum, quam Themistoclis judicandum est: hoc enim semel profuit, illud semper proderit civitati, illo consilio leges Atheniensium & majorum instituta servantur.* Et Themistocles quidem nihil dixit, in quo ipse Areopagum adjuverit: at ille vere a se adjutum Themistoclem: est enim bellum gestum consilio Senatus ejus, qui a Solone erat constitutus. Hîc tu Ciceronem impugnas, atque objicis interpretatum a Themistocle oraculum, cum ostendit suis civibus, quæ forent lignea mœnia: quum persuasit, ut se navibus tuerentur; perinde quasi forent hæc civitati profutura, nisi Areopagus ea suo judicio comprobasset. Quod vero Themistoclis consilium ac prudentiam in bello gerendo, fortitudinem, & industriam in agendo verbis amplificas, nihil aliud agere videris, nisi ut credamus, magnum imperatorem & egregium bellatorem fuisse Themistoclem: quam ei gloriam & laudem, etiam sine tuis verbis, facile concedimus. Sed hoc tempore non id agitur, quam magnus imperator Themistocles fuerit; sed uter magis Reipub. profuerit, ipse ne, an Solon. *Quod si Leges* (ut est Pindari sententia) *Deorum hominumque reginæ sunt*: vel (ut docet Cicero) si *Lex est vinculum civitatis, libertatis fundamentum, fons æquitatis: & quemadmodum corpora nostra sine mente, ita civitas, sine legibus nihil commode, nihil sapienter, nihil utiliter efficere potest: profecto qui leges optimas constituit, quibus administretur recte respub. is omnium maxime civitati prodest.* Quid enim sine legibus, & consilio fortitudo pro-

prodest, aut bellica prudentia? Gessit bellum cum Xerxe Themistocles, & quidem nobilissimum, quo patriam a Persarum regio dominatu liberavit: sed numquam id gessisset, nisi Areopagi consilio decretum esset, quem Senatum antea Solon constituerat. Tam igitur Reipub. profuit, qui auctor rei gerendæ fuit, quam qui gessit: nisi enim ille statuisset, hic numquam gessisset. Sed extollis eloquentiæ tuæ vires, & ais te posse togæ, bellique consilia comparare, civiles castrensesque labores conferre, eaque passis eloquentiæ velis exaggerare. Sit ita sane: esto disertus, & eloquens: id quod ego de te numquam audivi: sed quid hoc loco tibi prodest eloquentia? num ut declamantium more res bellicas extollas, urbanas deprimas? Hæc quidem esset puerilis exercitatio, quo genere solent apud me nobilissimi pueri Mediolanenses fere quotidie uti: posset hoc idem Marcus Faunianus discipulus meus, qui non ita pridem maxima cum hominum admiratione publice de loco superiore in maximo conventu Græcarum litterarum cognitionem improbavit; nec minori faeundia paucis post diebus eamdem eruditionem divinis prope laudibus exornavit, cum nondum duodecimum annum attigisset. Posset hoc idem T. Tonsus, Franciscus Bossius, Baptista Cusanus, nonnullique alii eximia spe, summæque virtutis adolescentes, quos ego summa cum voluptate declamitare doceo. Sed hæc non ejus sunt, qui Ciceronis impugnandi personam susceperit. Verum quia negare nemo potest, quin tantum Atheniensibus Solon, aut etiam fortasse magis, quam Themistocles profuerit, non hic diutius immorabor: ipsius Ciceronis verba perpendenda sunt. Nam cum ait Cicero, *nihil Themistoclem dixisse, in quo ipse Areopagum adjuverit*, non hoc dicit, nullam umquam utilem in Senatu dictam a Themistocle sententiam: hoc enim non esset verisimile, cum virum prudentem fuisse Themistoclem accepimus: quippe qui oraculum interpretatus sit, quod jubebat, ut se ligneis mœnibus Athenienses tutarentur: sed nullam legem, nullum institutum, nullum Senatusconsultum, nullum ordinem a Themistocle fuisse constitutum: nihil quod ad Reipub. administrationem, & ad res urbanas pertineret: nihil quo leges Atheniensium, quo majorum instituta servarentur: nihil denique quo Senatus melior, aut Areopagus excellentior fieret, ab eo dictum. Hæc sunt, quæ Cicero non minus egregia, quam bellicas virtutes esse censet: additque præclaram eam sententiam, quæ certe est verissima: *Parva esse foris arma, nisi sit consilium domi*. Proinde si vera fateri voluerimus, dicemus, utramque virtutem, & bellicam, & urbanam æque Reipub. conducere. Non enim video, quid rei militaris scientia prosit, quum nullis institutis, aut legibus, nulloque sapientum hominum consilio civitas gubernatur. Nec rursus, urgentibus ex omni parte bellis & hostibus, gravissima Senatus auctoritas quidquam proderit, nisi rei militaris periti duces & strenuissimi imperatores adfuerint:

——————— *alterius sic*

Altera poscit opem res, & conjurat amice.

Iacobus Griffolus ad nonam Cælii Calcagnini disquisitionem.

PErdifficilis est illa quæstio, utrum Themistocles insigni illa ad Salaminam victoria ejus adjuverit remp. an Solon eo consilio, quo constituit Areopagitas; hunc Cicero, illum Cælius defendit; magnus uterque vir magnum est nactus patrocinium; nam Cicero ad hanc ætatem primas inter Latinos sine controversia semper tulit, & feret etiam posthac, nisi Cælio cogatur cedere; cui non satis est omnium fere animos ad se convertisse, nisi Ciceronis diuturnam gloriam, & eamdem maximam imminuat. Ego vero tametsi nostra tempora cariora mihi esse debent, studiosus tamen veritatis, & quia pium mihi videtur tantum virum, & de nomine latino tam bene meritum defendere, & gloriosum cum Cælio, ut sæpius jam feci, congredi, contendam quantum potero etiam nunc existimationem ejus illustrissimam tueri; spero etiam Solonis manes huic meo studio gratiam habituros. Volens igitur M. Tull. res bellicas minores esse, quam urbanas, suadere: vere, inquit, si volumus judicare, multæ res exstiterunt urbanæ majores, clarioresque, quam bellicæ; atque orationem a communi quæstione universi generis ad propriam definitamque disputationem visus est traducere, cum dixit; quamvis enim Them. jure laudetur, & sit ejus nomen quam Solonis illustrius, citeturque Salamina clarissimæ testis victoriæ, quæ anteponatur consilio Solonis ei, quo primum constituit Areopagitas; non minus præclarum hoc, quam illud judicandum est; illud enim semel profuit, hoc semper proderit civitati; hoc consilio leges Atheniensium, hoc majorum instituta servantur; & Themist. quidem nihil dixit, in quo ipse Areopagum adjuverit; at ille adjuvit Them. est enim bellum gestum consilio Senatus ejus, qui a Solone erat constitutus. Duo sunt hic argumenta, quibus consilium Solonis victoriæ Them. præfertur; & quod semel tantum ea profuit civitati, consilium vero Sol. & ante, & tunc, & deinceps erat semper profuturum; & quod in eo bello Them. adjuvit consilium Solonis, minime vero Them. victoria Solonem. Cælius autem contemsit primum argumentum, aut existimavit secundo confutato causam Solonis stare non posse; ita quasi subiratus; an parum dixit Them. inquit, parumque adjuvit Areopagum cum oraculum interpretatus est? cum ostendit suis civibus quæ forent lignea mœnia? cum persuasit ut se navibus tuerentur? Parum me hercule, parum, atque adeo nihil Areopagum juvit, o Cæli, quid irasceris? nihil inquam adjuvit, nisi quoties senator de re aliqua sapienter censet, ipsius Senatus statum, & rationem meliorem facit; nam Them. hæc omnia dixit, non ut imperator, sed ut Areopagita, ac omnia illa consilia Themistoclis Areopagitæ, non imperatoris fuere; nec alia causa Solon Areopagum constituit, nisi ut in eo de rebus ad remp. pertinentibus deliberaretur; delibe ratum est autem Themistocle referente, aut etiam ita censente, ut classe id bellum gereretur. Non enim unius Them. nutu, atque arbitrio classe dimicatum est, sed cum Sen. Cons. in ejus sententiam factum esset, qua tamen sententia non adjuvit consilium Solonis ille quidem, sed secutus est

est potius. Is postea suis consiliis bellum administravit. Imperator enim est administrator belli, non auctor; ad quem quidem exercitus, castrorum, agminum, signorum conferendorum, oppidorum oppugnandorum, commeatuum, insidiarum faciendarum, ac vitandarum, & aliarum rerum, quæ propriæ sunt belli gerendi, cura pertinet; in quibus certe Themistocles excelluit: sed hæc non fecerunt Areopagum sapientiorem. Areopagus contra multis modis Them. adjuvit: etenim Athenienses nec vires, nec opes tantas habuissent, nisi Solonis consilio leges & majorum instituta servassent: tum neque milites, neque duces, neque ipse Themistocles tantæ virtutis splendorem consecutus esset, nisi bonis legibus, & institutis civitatis paruisset, quæ auctoritate Areopagi custodiebantur: adde etiam illud, quod ad ea tempora illa resp. perduci non potuisset, nisi eodem consilio recta, & aucta fuisset. Quocirca Themist. aut non fuisset, aut remp. quam servaret, non habuisset, quod ille ea victoria semel fecit, Areopagus vero sæpissime, & cum nondum esset Them. & postquam desiit esse. Vicit igitur Them. Persarum regem arte sua ille quidem, sed consilio adjutus Solonis: quare præclarius est hoc, quam illud. Nam ut Aristot. ait in posterioribus resolutionibus: *αει δι' ὁ ὑπαρχει ἑκαςον, εκεινο μαλλον ὑπαρχει*, id est, *id semper magis est propter quod unumquodque est*. Quid est igitur, cur Cælius Ciceronem reprehendat? quid eum moveat nomen Themistoclis? & scire debet Athenis longe plures fuisse Them. quam Solones, & ducem illum Græciæ numquam optasse, ut Ajacis similes decem haberet, at Nestoris; quod si accidisset, non dubitabat quin brevi Troja esset peritura, lege de Sen. At cur primum argumentum non refutavit? Nam si concedit Areopagitas semper civitati profuisse, tantum vero semel Them. duram provinciam suscepit: si negat, cur non diluit? sin vero contemnit, ignorat disputandi rationem, nec satis intelligit, quæ sit argumenti cujusque vis, stratagemmata vero, quæ narrat, tum fortitudinem, solertiam, strenuitatem viri, confitentur omnes fuisse maxima; neque est quisquam, qui laudem illius victoriæ præstantissimo viro detrahat, quam illi communi consensu tota Græcia concessit, neque Mar. Tullius laudem illius cum laude Solonis contulisset, nisi maximam eam judicasset. Quid arma Cæl. comparat cum toga? nonne Cicero C. Cæsari declaravit *in armis militum virtutem, locorum opportunitatem, auxilia sociorum, commeatus, multum juvare? nonne maximam partem quasi suo jure fortunam sibi vindicare; & quidquid prospere gestum est, id pene omne suum ducere?* At vero illius gloriæ, quam sua sapientia viri graves consequuntur, socium habent neminem; non enim temeritas fortunæ cum sapientia commiscetur; quare nemo umquam dixit fortunatum Solonem, Lycurgum, Socratem, Lælium, Catonem, contra fortunatum Alexandrum, Annibalem, Cæsarem, Syllam, Them. & denique maximos quosque duces. Labores castrenses civilibus esse graviores concedimus; ergo nobiliores? negamus. Nam etiam nautæ, & in ergastulis durioribus laboribus torquentur homines, quam qui togati gravissimas sententias in Senatu dicunt, & sapientia sua remp. optime gubernant. Quare non quantum corpore quisque possit, ne boves etiam cum sapiente conferantur, sed

quan-

quantum ingenio, & prudentia prosit ponderandum est: nam ut corporis servitio, & animi imperio utimur, sic militum laboribus, & Ducum, Senatus autem consilio utimur. Nec vero Ciceronem Ciceronis auctoritate confutare nitatur Cælius; nam certior esse cuique debet ejus mens, ubi de Philosophia scribit, quam ubi reum, de cujus dignitate, atque adeo salute agitur, defendit: nam, ut de Officiis auctoritate Panætii confirmat, judicis est in causis semper verum sequi; patroni vero nonnumquam verisimile, etiam si minus sit verum, defendere. Quis porro negare audeat, eamdem fere causam ab iisdem oratoribus alias aliter agi oportere? Laudet igitur Cælius quantum libet eloquentia Ciceronis labores militares, de illis ejusdem judicio, nemo dubitet senatoriam sapientiam præferre.

Decima Cælii Calcagnini disquisitio.

PRudentia apud Aristotelem, inter virtutes architectonicæ locum obtinet: utpote quæ ceteris imperet, & reliquas moderetur. Ob id Socrates omnes virtutes prudentiæ nomine appellabat: quam sententiam Aristoteles in Moralibus arguit. Non enim omnis virtus prudentia est: sed nulla virtutum est sine prudentia. Plato in Legibus *prudentiam oculum, justitiam pulcritudinem, temperantiam sanitatem, fortitudinem manum animi virtute instituti* eleganter nuncupabat.

M. Ant. Majoragii Decisio decima.

AGe vero quid decimo loco vocas in disquisitionem? Ego quidem certe non video, quid sit illud, de quo dubites, cum nulla Ciceronis verba proferas, nullum notes locum. Prudentia (inquis) apud Aristotelem inter virtutes architectonicæ locum obtinet, utpote quæ ceteris imperet, & reliquas moderetur. Memini, locum esse apud Aristotelem Magnorum Moralium libro primo circa finem, ubi docet, *Virtutes omnes sub actionem cadere, quarum Prudentia tamquam architectus quidam sit:* quoniam ut ipsa præscripserit, ita virtutes, & quæ sunt ex virtutibus, agunt. Sed quid hæc ad propositum? an quia non idem Cicero dicit, idcirco putas esse condemnandum? Ergo tu (si Diis placet) objicies Ciceroni, quod Aristotelis interpres esse noluerit? Quod si in hac parte dissentirent inter se hi auctores, fortasse posses aliquid contra dicere, ut Aristotelis sententiam confirmares: sed cum ita conveniant, ut pene eadem dicere videantur, quid est cur contra Ciceronem hiscere audeas? *Dividit* Aristoteles Ethicorum primo *virtutes in duas formas, & alias διανοητικὰς esse dicit, alias ἠθικὰς*: vel si Latine loqui malumus, *alias in agitatione mentis esse constitutas, alias in moribus. In agitatione mentis Prudentiam statuit, in moribus Liberalitatem, Temperantiam, reliquasque ejusmodi.* Quid aliud efficit Cicero, cum ita proponit: *Ordo autem & constantia, & moderatio, & ea quæ sunt his similia, versantur in eo genere, ad quod adhibenda est actio quædam, non solum mentis agitatio?* Hic sensus idem est, qui apud Aristotelem: quam-

quamvis verba sint diversa. Præterea vult Aristoteles Ethicorum sexto, *Prudentiam hominis esse, posse recte consilium capere de rebus honestis & utilibus ad bene vivendum: Prudentiamque habitum esse, quo cum recta ratione Verum investigantes, in rebus humanis aliquid agimus*. Quid Cicero eum de Prudentia loquitur? *Omnis* (inquit) *cogitatio, motusque animi, aut in consiliis capiendis de rebus honestis, & pertinentibus ad bene beateque vivendum, aut in studiis scientiæ cognitionisque versabitur*. Quid poterat similius dicere Cicero, si Aristotelis interpres esse voluisset? Sed Socratem (inquis) Aristoteles reprehendit, quod Prudentiæ nomine virtutes omnes comprehenderit. Quid hoc autem ad Ciceronem? An fortasse tu ideo reprehendendum esse putas Ciceronem, quod ipse Socratem, quemadmodum Aristoteles, non reprehenderit? Crede mihi, verissimum illud esse, quod ait Cicero: *Male institutam rationem exitum reperire non posse*. Quid enim ais bone vir? cujus rei Ciceronem accusas hoc loco? dic aperte. At nihil est. Quid ergo vocas in disquisitionem? Nihil. Quid igitur? quid tibi vis? Nescio hercle, (inquis) nisi ut multos locos contra Ciceronem adnotasse videar. Plato in legibus *Prudentiam oculum, Iustitiam pulcritudinem, Temperantiam sanitatem, Fortitudinem manum animi virtute instituti eleganter nuncupabat*. Euge vir doctissime, sapienter, docte, lepide, laute, nihil supra. Cur enim tibi hoc non gratificer, cum præsertim tamquam thraso quidam, nihil aliud quam gloriam ambire videaris? Quorsum enim hoc loco citas & laudas eam Platonis sententiam, nisi ut te Platonis fuisse studiosum ostentes? Quid est quod te transversum ab instituto trahit? Dic tandem Posthume de tribus capellis. Hoc age amabo. Non meministi te provinciam impugnandi Ciceronis suscepisse? Quid ergo attinet Platonem laudare? Profer prius Ciceronis erratum, deinde vagare, quantum libet. Quid nobis ad respondendum in ista disquisitione dedisti, bone accusator? Nihil, (ais) cum nihil impugnem. Atqui mirabar quidem, cum nihil viderem. Detur igitur hoc imprudentiæ tuæ, quod sine causa, & imprudenter, ad prudentiæ reprehensionem veneris; reliqua videamus.

Iacobus Griffolus ad decimam Cælii Calcagnini disquisitionem.

DE prudentia nobis usu sæpe venit, ut disputemus: nunc autem quia Cælius apud Arist. inquit eam inter virtutes architectonicæ locum obtinere, atque id nonnullis fortasse videbitur contra M. Tullium discrevisse, demonstrabimus spero, & quænam sit philosophi sententia, & eam Ciceroni contrariam non esse. Architectos igitur, quem nos dictione quidem Græca, forma vero Latina dicimus Architectum, princeps fabrorum est, qui præest aliis, & dat ædificandi leges; quare per translationem Arist. illas artes, quæ præsunt aliis, Architectonicas appellat, ut in primo Ethicorum patet, & in sexto, cum prudentiam rerum universalium secundum Eustratium Architectonicam appellat. At iterum idem paulo post ait partes ejus persequens, civilem, & prudentiam idem esse genere, differre vero specie; quarum prudentia, quia in primis propria commoda procurat, & quia vulgo is solus videtur

detur esse prudens, qui optime suis rebus consulit, sola nomen generis retinuit; altera vero, cum totius civitatis curam suscipiat, civilis nuncupatur. Hæc autem est duplex; namque, ut princeps leges condit, & præcipit aliis, legifera vocatur; altera vero pars communi nomine civilis dicitur; illi enim singulæ res civitatis curæ sunt, & suis pene manibus omnes administrat; inter quas Architectonicam eam esse partem dixit, quam legiferam nominavit; vel dicamus, quia prudentia politica, œconomica, &, ut ita dicam, personalis est, & tertia secundæ, utraque vero primæ, ut principi, subjicitur, hæc Architectonica jure debet appellari. Sic utraque nimirum ratione obtinere mihi videor, non prudentiam genus, sed aut universalem, aut legiferam speciem principem esse non virtutem, sed aliarum prudentiæ formarum. Hic equidem non video quid contra M. Tullium esse videatur, nisi quidquid ille tacuit, quod ab Arist. dictum sit, id omne contra eum esse statuamus. At Cicero, ut alibi diximus, non professus est in libris illis se virtutum vim demonstraturum, sed potius quænam ex singulis officia duci oporteret; id quod semper, & copiose fecit; illud vero pro ut necessitas rei postulabat. Nam quod *virtutem esse nullam sine prudentia* scribit Arist. mire cum Cicerone convenit; est enim apud eum hoc velut axioma, *virtutes omnes cum prudentia conjunctas esse*; ut in quinta Tusculana, per eam quæ inducta est, personam expressit his verbis: *Si enim nulla virtus prudentia vacat, prudentia ipsa hoc videt*, &c. Hic Aristotelis ore quasi locutum Ciceronem videmus, nec ab ejusdem oratione hæc in libris de Fin. videntur aberrare: *Omnibus artibus eam attributam esse volumus, quæ communis appellatur prudentia, quam omnes, qui cuique artificio præsunt, debent habere*. Ergo prudentiam sordidis artificibus ponet esse necessariam, in munere vero justitiæ, aut moderationis, aut fortitudinis censebit sine prudentia nos versari? At hîc fortasse dicet aliquis, prudentia communis pro diligentia posita est; fateor, sed diligentia aut prudentia est, aut soror prudentiæ; quare confundit eas usu M. Cicero cum alibi, tum in secundo libro de Orat. ubi de inventione agit Antonius: qui percurret eum locum, hoc etiam de diligentia scriptum reperiet: *Reliqua sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore; complectar hoc uno verbo, quo sæpe jam usi sumus, diligentia, qua una virtute omnes virtutes reliquæ continentur*. Videsne, quæ propria sunt prudentiæ, tributa hic esse diligentiæ? quid, quod ea reliquæ virtutes omnes continentur? hoc est alienum a prudentia? sentit idem ergo Cicero de prudentia, quod Aristoteles, sed haud scio an etiam plus ei tribuerit. In Partitionibus vero divisione prudentiæ fere simili usus est Aristotelice dicens *eam in suis rebus domesticam, in publicis vero civilem appellari solere*; ubi tertiam omisit, quæ ad unicam personam videtur attinere; nam ea cura, quæ unius imprimis commoda tuetur moralis potius videtur, quam civilis appellanda; nam quod *oculum esse animi prudentiam* Plato dixit, non est contrarium Ciceroni, quippe qui *memoriam, intelligentiam, & providentiam partes esse prudentiæ* testatur; hæc enim præterita recordatur, præsentia perspicit, & prospicit futura; ut non magis Plato, quam Cicero *prudentiam oculum appellare* videatur: sed etiam Arist. videt hunc oculum

lium, qui in sexto Ethicorum *virtutem illam prudentiæ, quam δεινότητα ipse vocat, quæ nihil est aliud, quam naturalis quædam habilitas, hanc,* inquam, *naturalem vim perspiciendi oculum appellat; qui morali virtute impressione prudentiæ perficitur.* Ex quibus facile perspici potest laudem Ciceronis cum Arist. & Platonis laude conjungi oportere.

Vndecima Cælii Calcagnini disquisitio.

DVplex omnino jocandi genus; unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum; quo genere non modo Plautus noster, & Atticorum antiqua Comœdia, sed etiam philosophorum Socratici libri referti sunt. De jocis Plautinis stat Horatius adversus Ciceronem:

At nostri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere sales: nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati; si modo ego, & vos,
Scimus inurbanum lepido seponere dicto.

Si detur tamen mihi liber judicandi locus, in Ciceronis malim, quam Horatii sententiam descendere. Nam multorum mihi & salis & fellis, & facetiarum & scommatum habere videtur Plautus, jocisque & personis pulcherrime inservire; ut mirari subeat Horatium, gravissimi alioqui judicii scriptorem, tam inique super jocis Plautinis decidisse: quod satis constet, eum imitatum esse Siculum Epicharmum, quem Cicero in quadam ad Atticum epistola *vafrum* appellat. Et sane constat, Siculos homines ad joca & dicta multum acuminis habuisse. Nec profecto videtur Horatius hoc ignorasse, quum dixit:

Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi
Dicitur.

Movet me quoque Varronis auctoritas, qui in censura comœdiarum Plautinarum non alio fere argumento usus est, quum eas a supposititiis secerneret, nisi quod quæ jocis & lusibus redundarent, eas incunctanter omnique abdicata dubitatione Plautinas pronunciabat. Adde quod in hoc genere longe plus fidei Ciceroni, quam Horatio haberi par est: utpote quum Ciceronis jocos collegerit, & in aliquot volumina digesserit Tiro libertus, si credimus Quinctiliano.

M. Ant. Majoragii Decisio undecima.

DVplex jocandi genus ait esse Cicero: unum *illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum*: alterum *elegans, urbanum, ingeniosum, facetum*, quo genere non modo Plautus noster, & Atticorum antiqua Comœdia, sed etiam Philosophorum Socratici libri referti sunt. Tu vero contra Ciceronem Horatii carmina de Plautinis jocis ac salibus objicis: placet tibi tamen magis Ciceronis sententia. Hoc certe mihi videtur monstri simile, ut in eo quod ad-

probes, Ciceronem vituperes. Nam si tibi placet Ciceronis sententia, cur in disquisitionem hunc locum vocas? cur inter Ciceronianos errores hunc connumeras? Omnino verum est quod paulo ante diximus, te nihil aliud spectasse, nisi ut multos locos in Ciceronem adnotasse videaris. Mihi vero satis est, ut quantum facultas mea fert, divinum Oratorem ab insulsis tuis criminationibus liberem. Itaque cum nihil hoc loco reprehendas, otioso & quieto animo tecum agam, ut vehementius insurgere postea possim, cum opus esse videbitur. Age ergo bone vir, narra mihi obsecro causam, qua inductus hunc locum adnotaris. Vt ostenderem (inquis) Horatium a Cicerone dissentire. Esto: sed utram tandem sententiam probas? Horatii ne, an Ciceronis? Ego vero (inquis) longe meliorem Ciceronis sententiam esse judico. Cur ergo hunc locum contra Ciceronem adnotandum esse censes? Cur non potius aliud opus in Horatium conscribis? Accusandus est Horatius in hac parte, non Cicero: cum præsertim illustrium auctorum testimonio summam in jocis ac facetiis laudem Plautus sit consecutus: quam ipsemet Poeta suis carminibus apud posteros testatam esse voluit: nam (ut scribit A. Gellius) hoc epigramma Plauti a M. Varrone positum est in libro de Poetis primo:

Postquam est morte captus Plautus,
Comœdia luget, scena est deserta:
Deinde risus, ludus, jocusque, & numeri
Innumeri simul omnes collachrymant.

Sed illud Varronis judicium, viri acutissimi, & omnium Latinorum doctissimi, plurimi faciendum est, qui in censura Comœdiarum, quascumque jocis & facetiis refertas esse videbat, etiam si alterius essent inscriptæ nomine, tamen eas Plauto adjudicabat. Nec prætermittendum illud Epii Stolonis elogium, quod a Quinctiliano refertur: *Musas ipsas, si Latine loqui voluissent, Plautino sermone fuisse locuturas.* Vt non dubium sit, quin Horatius aliqua malevolentia vel invidia ductus, de jocis Plautinis parum candide judicarit.

Iacobus Griffolus ad undecimam Cælii Calcagnini disquisitionem.

De jocis Plautinis stat Horatius, inquit, Cælius, adversus Ciceronem; verum Cælius in communi multorum errore meo quidem judicio versatur; putat enim Horatius absolute numeros, & sales Plautinos vituperare; sed, ut dixi, fallitur cum multis; nam si recte judicium Horatii consideretur, numeros, & sales Plauti cum Poetis Græcis comparatos reprehendit, præfert autem comicis & tragicis latinis; namque illius judicium Latinos semper negligentiæ criminis damnavit; quare *nec virtute foret*, inquit, *clarisve potentius armis, quam lingua Latium, si non offenderet unumquemque poetarum limæ labor, & mora; vos o Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non multa dies, & multa litura coercuit, atque perfectum decies non castigavit ad unguem.* Et in secundo

Ep.

Ep. inquit: *Serus enim græcis admovit acumina chartis*, *& post Punica bella quietus quærere cæpit, quid Sophocles*, *& Thespis*, *& Æschilus utile ferret; tentavit quoque rem si digne vertere posset*, *& placuit sibi natura sublimis*, *& acer*, *nam spirat tragicum satis*, *& feliciter audet; sed turpem putat in scriptis*, *metuitque lituram*. Contra vero *Grajis*, inquit, *ingenium*, *Grajis dedit ore rotundo musa loqui præter laudem nullius avaris*. Volens igitur hoc vitium negligentiæ corrigere noster Flaccus, & Pisones monere ut id penitus caverent, ait: *In scenam missos magno cum pondere versus*, *aut operæ celeris nimium*, *curaque carentis*, *aut ignoratæ premit artis crimine turpi*. Hîc subjecta persona non expectans dum Horatius judex proferret, nam id est suppositum verbi *premit*, statim objicit: *Non quivis videt immodulata poemata judex*, *& data Romanis venia est indigna poetis*; cui poeta respondet, idcirco ne vagere; *quia non quivis judex immodulata poemata videt*? scribamve licenter? *quamvis data Romanis venia sit indigna poetis*, an omnes visuros peccata putem mea., tutus & intra spem veniæ cautus? quod si nec incuria animadvertitur, nec licentia reprimitur, quid tandem consequar? vitavi denique culpam, num laudem merui? at culpa simul vitanda est, & laus quærenda, quam vos ut consequamini, *exemplaria græca nocturna versate manu*, *versate diurna*; quo præcepto aperte declaravit latinorum imitatione ad frugem veræ laudis perveniri non posse, cum nullus eorum perfectus esse videatur. Fuit hoc loco aliquis ex Latinis, qui videretur optimus, objiciendus, quo confutato jure omnes reliqui, ut minores confutati viderentur. Visus est ergo Plautus is esse, qui si a Græcis vinceretur, nullus deinde ex Latinis cum illis conferendus esset; at quod in Plauto esse præcipuum videtur, tamen cum Græcis comparatum nimium patienter admirati sunt antiqui; quid de ceteris Plautinis virtutibus statuendum? quid de nostris reliquis poetis? ex his videmus Plautum præ Græcis improbari, præ Latinis vero maxime probari; quem alibi quoque ita laudavit; *creditur e medio quia res arcessit habere sudoris minimum*, *sed habet comœdia tanto plus oneris*, *quanto veniæ minus*; *aspice*, *Plautus quo pacto partes tutetur amantis ephebi*, *ut patris attenti*, *lenonis ut insidiosi*. Quænam igitur dissensio de Plautinis salibus esse potest inter M. Tullium, & Horatium, quando uterque ut latinum in eis maxime commendat? nam si Cicero cum græcis illum contulisset, certe cum Horatio sensisset, ut de ea laude, quæ latino tribuenda est, sensisse judicamus.

Duodecima Cælii Calcagnini disquisitio.

PVlcre Aristoteles in Ethicis, & Plutarchus in commentario de Virtute morali ostendunt, *inter continentem & incontinentem*, *temperantem intemperantemque* quid differat. Continens cum affectibus colluctatur, & vincit: incontinens reluctatur quidem, sed victus dolet. Contra temperans nullam habet luctam, sed pacatis affectibus utitur,

Vt mare tranquillum, *quod nulla impellitur unda*.

Intemperans vero, sine lucta manus dat affectibus, seque obsequentem ad nutum omnium voluptatum sponte profitetur.

M. Ant.

M. Ant. Majoragii Decisio duodecima.

Simile huic est etiam quod sequitur, vel multo etiam ineptius: nihil est enim in quo Ciceronem reprehendas; & tamen locorum numerum auges. Pulcre (inquis) Aristoteles in Ethicis, & Plutarchus in commentario de Virtute morali ostendunt, *inter Continentem & Incontinentem, Temperantem, Intemperantemque* quid differat. Deinde Aristotelis & Plutarchi sententiam exponis: *Continens cum affectibus colluctatur, & vincit: Incontinens reluctatur quidem, sed victus dolet. Contra Temperans nullam habet luctam; sed pacatis affectibus utitur: Intemperans vero sine lucta manus dat affectibus.* Hæc sane præclare dicuntur ab Aristotele, & Plutarcho: sed quid ad hunc Ciceronis locum? aut quid ad officiorum præcepta, quæ tradit Cicero? Me certe jamdudum suppudet, his tam levibus objectionibus tuis diutius immorari: nec video quid respondeam tam ineptis accusationibus: hæc est enim (ut opinor) tua conclusio: Cicero non declaravit eo modo, quo Aristoteles & Plutarchus, quid inter continentem & incontinentem interesset: & quid inter temperantem & intemperantem: ergo peccavit. Papæ, quam acute conclusum, quam argute, quam ingeniose: omnino Chrysippeum hoc tuum est argumentum, aut si quid validius dici potest: hoc vero Zenonis Achillem superat: digna res, propter quam damnetur oratorum deus, quod noluerit idem dicere, quod Aristoteles: aut quod non providerit, quid multis annis postea dicturus esset Plutarchus. Sed dic mihi, quid prodest ad officia conservanda, scire istam differentiam? Vel si prosit etiam, cur censes damnandum Ciceronem, quod noluerit eadem dicere, quæ antea dixerat Aristoteles? Quid si longe utiliora Cicero dicit in hac parte, quam Aristoteles? Eadem ego ratione possem Aristotelem & Plutarchum damnare, quod multa non dixerint, quæ divinitus a Cicerone tractantur: ut si dicam, non esse usum Aristotelem ea pulcherrima distributione, qua Tullius utitur, cum de quarta honestatis parte verba facit: *In omni* (inquit) *actione suscipienda, tria sunt tenenda*: Primum, *ut appetitus rationi pareat; quo nihil est ad officia conservanda accommodatius*. Deinde, *ut animadvertatur, quanta illa res sit, quam efficere velimus: ut neve major, neve minor cura & opera suscipiatur, quam causa postulet*. Tertium est, *ut caveamus, ut ea quæ pertinent ad liberalem speciem & dignitatem moderanda sint*. Et paulo post: *Horum tamen trium præstantissimum est, Appetitum obtemperare rationi.* Hæc sunt pulcherrima temperantiæ, seu moderationis præcepta, quæ nusquam apud Aristotelem invenies hoc modo distributa: quæ longe præstantiora sunt, atque utiliora, quam statuere, quid temperans atque intemperans inter se differant. Quis est enim tam rudis, aut rerum ignarus, quin intelligat, Temperantiam, & Continentiam virtutes esse: Intemperantiam vero, & Incontinentiam vitiositates? Doce igitur me, qua ratione has fugiam, illas amplectar, & nihil ad officium conservandum in hac parte mihi deerit. Quod cum efficiat Cicero, vides te aerem hoc loco verberasse.

Ter-

Tertia decima Cælii Calcagnini disquisitio.

CIcero trahit officium ab honesto, ab utili: tum quomodo pugnet honestum cum utili, quid honesto honestius, quid utili utilius explorandum proponit. At ego a jucundo quoque officium exquirendum puto. Tria enim sunt, ob quæ quispiam expetit: honestum, utile, jucundum. Tria rursus, ob quæ refugit: turpe, inutile, atque molestum. Et *virtutem facultatem esse*, scribit in secundo Ethicorum Aristoteles, *agendi res optimas circa voluptatem*; & Speusippus, *voluptatem congenitam nobis* attestatur; ob id nobis etiam maxime elaborandum est, ut eam moderemur. Nam medicamenta ex contrariis constant; ceterum sicut ex populari opinione utile ab honesto separamus: ita & jucundum ab honesto atque utili jure separari potest. Quatenus ergo sequendum sit quod jucundum est, disquiri ex officio debet. Tum illud quoque dubitari poterit, *utrum jucundius, an agriculturam exercere, an uxorem ducere, an cælibem vitam vivere*; & ex tribus quid præstet: *cultum ne agri, an villaticam pastionem, an mercaturam persequi*. Incurrit in hanc jucundi mentionem Cicero, nolens, aut certe aliud agens, in fine tertii libri de Officiis: qua admonitum miror non attulisse in medium, multifariam hanc atque operosam divisionem, *honestum & turpe, utile & inutile, jucundum & non jucundum, honestum cum utili contendens, jucundum cum honesto decertans, jucundum cum utili depugnans*; quæ sextuplex erit divisio. Quod si *honestum & honestius, & utile & utilius, jucundum & jucundius* addamus, jam ad novenarium usque numerum procedet divisio.

M. Ant. Majoragii Decisio tertia decima.

QVod vero subjungis, videtur aliquam potius habere verisimilitudinem, apud eos præsertim, qui rem non acute perpenderint: quod a jucundo quoque officium exquiri debere contendis. Sed tamen hoc etiam tuum argumentum molli (quod ajunt) brachio refellemus: neque enim recte reprehenditur a te Cicero, quod ab honesto atque utili jucundum non separarit: propterea quod numquam accidit, ut de jucundo solo sit deliberatio: quod tibi homini plus satis audaci non videtur: putas enim jucundum ab honesto atque utili jure separari posse. Ita dum nimis cupide Ciceronem accusas, ipsum etiam Aristotelem, quem unum ad impugnandum Ciceronem videris elegisse, damnas. Docet enim Aristoteles, *Iucundum cum utili atque honesto ita conjunctum, ut separari non possit*. Cujus verba si diligenter advertisses, numquam tam temere Ciceronis distributionem improbasses. Cum enim Ethicorum secundo docuisset, *Tria esse, quæ in electionem cadant, Honestum, Utile, Iucundum*: rursus *e contrario tria, quæ fugienda sint, Turpe, Inutile, Molestum*: *atque in his omnibus virum probum recte se gerere, improbum vero perperam*; subjunxit, *Voluptatem iis omnibus, quæ in electionem cadant, adjunctam esse: ut quidquid honestum sit, atque utile, id etiam jucundum esse videatur. Quare cum ab honesto,*

nesto, atque utili trahitur officium, tunc etiam a jucundo trahi videtur; eo quod rebus omnibus expetendis (ut vult Aristoteles) *jucunditas adjungatur*. Sed ne quis me putet fingere, ipsius Aristotelis verba recitabo:

Τριων γαρ οντων των εις τας αἱρεσεις και τριων οντων των εις τας φυγας, καλυ, συμφεροντος, ηδεος, και τριων των εναντιων αισχρυ, ασυμφορυ, λυπηρυ, περι παντα μεν ταυτα ὁ αγαθος κατορθωτικος εςιν, ὁ δε κακος αμαρτητικος. Μαλιςα δε περι την ηδονην. κοινητε γαρ αυτη τοις ζωοις, και πασι τοις ὑπο την αἱρεσιν παρακολυθει. και γαρ το καλον, και το συμφερον ἡδυ φαινεται.

Hoc etiam tu per imprudentiam fateris: ut non mirum sit, te in reprehendendo Cicerone cæcutire, cum ea quæ tibi ante oculos proposita sunt, non videas. Ais enim Aristotelem dicere, *virtutem esse facultatem agendi res optimas circa voluptatem*; quod quidem est verissimum, nisi quod tu vocabulo Voluptatis abuteris, quod apud Latinos in deteriorem partem fere capi solet, ut inferius ostendemus. Sed quæso te, declara mihi, nisi molestum est, quæ sint res optimæ. Nonne vel honestæ, vel utiles? Nihil enim aliud expetendum esse video, nisi quod vel honestum, vel utile sit. Ergo virtus agit res honestas & utiles cum voluptate; quomodo igitur in exquirendo officio separatur ab honestate atque utilitate Iucunditas? Sed Speusippus ait, *voluptatem congenitam esse nobis*, atque ob id maxime esse laborandum, ut eam moderemur. Sit ita sane. Sed quid opus erat Speusippum in medium adducere? cum hoc idem dicat longe gravior auctor Aristoteles, cujus hæc verba sunt Ethicorum secundo, ubi de voluptate loquitur:

Ετιδ' εκ νηπιυ πασιν ἡμιν συντεθραπται, διο και χαλεπον αποτριψασθαι τυτο το παθος, εγκεχρωσμενον τῳ βιῳ. Propterea vero a teneris unguiculis, una nobis cum educata est, (voluptas) atque idcirco hunc affectum animi, quo vita nostra tincta, & penitus imbuta est, eluere, atque abstergere difficile est.

Neque parva difficultas est in rebus agendis, bene ne, an male quis vel doleat, vel lætetur: & quemadmodum dicere solebat Heraclitus, *Longe difficilius est voluptati, quam iracundiæ resistere*. Sed quatenus sit expetenda vel fugienda voluptas, honestate atque utilitate terminari debet: non enim quid fiat, sed quid fieri debeat, & quid officio conveniat, exquirimus. Numquam igitur de Iucundo solo consultatio est, nisi forte quis in Aristippi, vel Epicuri castra se conjecerit, qui summum bonum in voluptate constituebant. Quamvis clamet Epicurus, *Non posse jucunde vivi, nisi cum virtute vivatur*. Hujus opinionem de summo bono, in fine tertii libri de Officiis Cicero damnat, ubi tu ais, in hanc Iucundi mentionem eum nolentem, aut aliud agentem incidisse. Perinde quasi non in principio statim operis de Iucunditate meminerit, & eam utilitati conjunxerit. Sed tu, quod pace tua dictum velim, nimis negligenter atque oscitanter Ciceronis opera legis: atque ideo turpiter in mendacio deprehenderis, & putas ab eo prætermissum esse, quidquid tu non adverteris. Quare cape libros de Officiis, atque divisionem illam de capiendo consilio, diligentissime relege: videbis apertissime de Iucunditate mentionem a Cicerone fieri, sic enim ait: *Triplex igitur est* (ut Panætio videtur) *consilii capiendi deliberatio; nam honestum ne factu sit,*

sit, an turpe dubitant, id quod in deliberationem cadit: in quo considerando sæpe animi in contrarias sententias distrahuntur. Tum autem aut anquirunt, aut consultant ad vitæ commoditatem jucunditatemque, ad facultates rerum, atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus & se possint juvare, & suos: conducat id, necne, de quo deliberant: quæ deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus est, quum pugnare videtur cum honesto, id quod videtur utile. Hîc (ut opinor) jam aperte vides de commoditate vitæ atque jucunditate Ciceronem meminisse, ac voluisse ab eo officium exquiri. Itaque exempla ea, quæ tu in medium protulisti: *Vtrum jucundius, an agriculturam exercere, an uxorem ducere, an cælibem vitam vivere:* sic enim tu loqueris, (ut obiter de tuis elegantiis aliquid dicam) cum Latini scriptores de duobus tantum, numquam de pluribus *Vtrum* dicant; sed utcumque tu loquaris, nihil curo: deducuntur (inquam) hæc exempla ad vitæ commoditatem, jucunditatemque, quæ deliberatio (ut ait Cicero) in rationem utilitatis cadit. Insulse igitur admiraris divisionis membra Ciceronem non ampliasse, cum nihil penitus iis membris opus esse videatur. Nullam enim omnino vir probus, aut officii sui memor, jucunditatem quærit, nisi quæ vel ad honestatem, vel ad utilitatem pertineat.

Iacobus Griffolus
Ad tertiam decimam Cælii Calcagnini disquisitionem.

CIcero trahit officium ab honesto, ab utili, tum quo modo pugnet honestum cum utili, quid honesto honestius, quid utili utilius explorandum proponit; at ego a jucundo quoque officio exquirendum puto. Si Cælius quid hîc honestum sit apud Marcum Tullium dicere voluisset, rectius certe locutus esset, nec officium a jucunditate ducere voluisset; nam falsum est primum, ut hic ait, Ciceronem officium trahere ab honesto, & ab utili, cum hoc honestum, ut jam satis multis declaratum est, officium sit; officium enim & id, unde duceretur, idem esset, quo nihil absurdius; sed hoc est secundum illud honestum, quod habet similitudinem quamdam veri, & perfecti honesti: falsum est præterea quod in nostris actionibus honestis jucundum sequi debeamus, verum de hoc mox dicemus, nunc redeo ad honestum. Quod igitur in deliberationem cadit, & honestum ne an turpe factu sit, quæritur, id est, quod nobis cum ratione faciendum proponimus; id autem nobis satis erit, si honestum esse intelligatur; nam idem utile, atque justum esse necesse erit, ut in secundo de Off. auctoritate multorum Philosophorum Cicero confirmat, neque est ulla ratio, qua secundum Stoicos utile distrahatur ab honesto, de qua re in eodem copiose disputatur, in tertio vero hæc inter se pugnare nullo modo posse; cur igitur ea Panætius, & post eum Cicero partitione sua diviserunt? quia more vulgi loquendum fuit, ut imperitorum error inde tolleretur: deinde quamvis alterum ab altero non separetur, cogitatione tamen separari potest & diversam rationem habet. Sed quærat quisque quantum libet, numquam reperiet, ubi sit ea utilitas, quam

quam Cicero & Panætius intelligunt, ibidem simul esse posse turpitudinem; neque vero deliberanda sunt ea, in quibus non honesta sit deliberatio, ubi autem sit honestas, ibi justitia sit necesse est; at honestæ actiones nostræ alias mihi videntur emolumenti aliorum habere rationem, alias & nostri simul, & aliorum, alias sine cujusquam injuria nostri tantum. Quoniam vero quæ prospera nobis, & commoda sunt, ea magis sentimus, factum est consuetudine quadam, ut hæc utilia præcipue nominentur: cumque propria utilitas plerumque perturbet rationem, docuerunt doctissimi viri quemadmodum servata honestate utilitatem quisque suam quærere videatur, id quod in secundo de Offic. libro Cicero perficit. Vt autem omnis ambiguitas tolleretur, in tertio discernit *utile cum honesto pugnare non posse*; jam videmus, nisi fallor, cur gravissimi viri sejungere partiendo videantur, quæ semper conjuncta sunt. Sed *voluptatis, & jucundi* Cicero *nullam umquam rationem habuit*; nam in tertio de Officiis nihil umquam dixit, quod ad Cælii calumnias possit accommodari: quid ita? quia alia ejus ratio, alia fuit Aristotelis; hujus enim studium id erat in ea parte, ubi tertia esse dixit, quorum causa quisquam aliquid expeteret, ut ostenderet illos esse compotes virtutis, qui cum gaudio & voluptates aspernarentur, & pericula subirent: cumque multis de re illa disputasset, addidit etiam illud quod virtutis experientia in eo maxime versatur, quod omnibus humanis bonis est commune; cum vero, quæ ut bona humana expetuntur, sint omnino tria, *honestum*, *utile*, & *jucundum*, atque iis omnibus communis sit voluptas, conficitur virtutem in moderanda voluptate assidue versari. Nam aut confusam voluptatem cum honesto, & utili cogimur expetere, aut sine his ferinam. Ne igitur nos aut illa nimium trahamur, aut hac funditus perdamur, virtute semper repugnandum est, atque hoc erat Arist. propositum. Cicero vero non signa confirmatæ jam virtutis, atque constantis quærit, nec quæ sint nobis expetenda docet, sed quæ sint officia, quæ neque turpitudinem, neque incommodum ullum habeant; nam quidquid alterum horum habeat, contra officium est. Quo igitur pacto cum eo jucundo miscebitur officium, quod sine honesto atque utili sciamus esse? relinquitur ut honor & gloria, quæ ex honestis actionibus consequitur, jucunda sit. Verum illius causa nihil agendum Stoici confirmant: sed ob ipsum tantum honestum laborandum: quod quidem multis in locis Cicero testatur. Quare in officio colendo nemo ullius jucunditatis rationem habet, si præceptis pareat Stoicorum. Sed & ipse Arist. ubique monuit, *eam voluptatem fugiendam esse, quæ sejuncta esset ab honestate, nec eam, quæ insita est in re honesta, sequendam potius, quam ipsam honestatem* statuit. Quare novenarius ille divisionis numerus Cælio relinquatur.

Decima quarta Cælii Calcagnini disquisitio.

VT enim venustas & pulcritudo corporis secerni non potest a valetudine, sic hoc, de quo loquimur, decorum: illud totum quidem cum virtute confusum, sed mente & cogitatione distinguitur. Generale quoddam decorum in

in omni honestate : aliud huic subjectum, quod ad singulas honestatis pertinet partes. Non negaverim esse quoddam decorum in universum per virtutes perfusum: quoddam rursus particulare ad singulos actus privatos pertinens. Sed prius illud in natura absconditum est, & ratione magis quam sensu dignosci potest: sicut omnia universalia, quae sensu percipi non possunt. Privatum autem hoc alterum, mihi videtur locis, temporibus, personis, aliisque delectibus circumscribendum esse: non quidem more poetarum, apud quos turpes sententiae laudantur, quum sunt turpibus personis attributae, sed civilis cujusdam modestiae respectu. Nam hortari ad virtutem intempestive, fortitudine uti quum parum oporteat, vel levis causa urgeat; si in convivio aliquis severitatem adhibeat; si puer de justitia inter senes disputet; haec omnia, & his similia dedecent. Contra, si loca, tempora, personae, ceterique respectus & delectus serventur, mirum sane quam omnia deceant. Egregius mimus animadvertere debet, quid suae personae consentaneum sit; nam si parvus Hectorem agat, tum illud Antiochenorum in eum quadrabit: *Astyanactem videmus, ubi reliquisti Hectorem?* si quis amicum ad venationem exiturum, ad fortitudinem & animi magnitudinem hortetur: vel is seipsum paret ita, ac si contra hostes conflicturus; tum omnes clament, parvo pedi magnum calceum induisti, vel Colossi ornamenta pumilo imposuisti. Atque hoc est fortasse, quod inquit Cicero; *Iustitia non violat homines, verecun dia non offendit*.

M. Ant. Majoragii Decisio decima quarta.

DVplicem, ait Cicero, *descriptionem esse Decori*. Nam *& generale quoddam* (inquit) *decorum intelligimus, quod in omni honestate versatur*: & aliud huic subjectum, *quod pertinet ad singulas partes honestatis*. Hoc neque tu negare potes, neque negas, esse quoddam Decorum, quod intelligitur in omni virtute: rursus alterum, quod ad singulos actus privatos pertineat. Sed prius illud ais in natura absconditum esse, & ratione magis, quam sensu dignosci. Atque haec eo vultu dicis, quasi sint a sententia Ciceronis aliena. Quorsum, obsecro, trahit te maledicendi cupiditas? An non hoc idem Cicero fatetur? aut quid aliud agit, cum ita proponit: *Qualis autem differentia sit Honesti, & Decori, facilius intelligi, quam explanari potest?* Et paulo post: *Est enim quiddam id quod intelligitur in omni virtute, quod deceat, quod cogitatione magis a virtute potest, quam re separari*. Quid igitur hoc loco reprehendis? an fortasse quia Cicero Decorum illud universalibus non comparaverit, quae sensu percipi non possunt? quid opus est in hac parte collatione, cum ipsum Decorum universale sit? Sed hoc tu vides esse levissimum. Privatum vero decorum tibi videtur locis, temporibus, personis, aliisque delectibus circumscribendum esse: non quidem (inquis) more Poetarum, apud quos turpes sententiae laudantur, quum sunt turpibus personis attributae, sed civilis cujusdam modestiae respectu. Atque equidem etiam in hac parte nihil a Cicerone te video discrepare; nisi quod non more Poetarum (ut videtur velle Ci-

le Cicero) Decorum vis intelligi . Nam quod ais, *Locis, temporibus, personis, aliisque delectibus hoc decorum esse circumscribendum*, idem est, quod his verbis ait Cicero : *Hoc Decorum, quod elucet in vita, movet adprobationem eorum, quibuscum vivitur, ordine, & constantia, & moderatione dictorum omnium, atque factorum. Nam qui dictorum omnium atque factorum ordinem & constantiam, & moderationem servat, is neque ad virtutem hortabitur intempestive, neque fortitudine utetur, quum parum oportebit, vel levis causa urgebit, neque in convivio severitatem adhibebit, neque puer de justitia inter senes disputabit*: quæ tu forte putasti Ciceronis verbis non esse comprehensa. Quæ res omnino declarat, te vel non satis intelligere Ciceronem, vel ejus opera negligentissime legere. Quod autem dicis, *non more Poetarum Decorum esse considerandum*, quemadmodum Cicero existimat, id velim aliquibus argumentis a te probari. Neque enim tu is es, cui tantam auctoritatem præbeat omnium eruditorum consessus, ut quemadmodum Pythagoræ discipuli solebant, illud sufficiat, *αυτος εφα*. Quis enim tu es? aut quod nobis tuæ maximæ sapientiæ specimen præbuisti, ut magis tibi, quam Ciceroni credamus? quamvis tu Ciceronis sententiam non intelligis, ut sæpius ingenii tui tarditatem rideam, quam ob audaciam, & pravitatem indigner. Non enim ait Cicero: *More Poetarum nos decorum sequi debere : sed ex eo decoro, quod Poetæ sequuntur, nos decorum illud intelligere posse, quod ita naturæ consentaneum sit, ut in eo moderatio & temperantia appareat cum specie quadam liberali*. Sed est differentia : quoniam Poetæ, quid quemque deceat, ex persona judicant : nobis autem personam imposuit ipsa natura, magna cum excellentia, præstantiaque animantium reliquorum. Quocirca Poetæ in magna varietate personarum etiam vitiosis quid conveniat, & quid deceat vident : nobis autem cum a natura constantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ sint : cumque eadem natura doceat, non negligere quemadmodum nos adversus homines geramus : efficitur, ut utrumque decori genus intelligamus. Neque enim Poetæ facile scire possunt, quid quemque deceat, nisi fuerint officiorum boni ratiocinatores, quod elegantissime docet Horatius his verbis:

Qui didicit, patriæ quid debeat, & quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus, & hospes :
Quod sit conscripti, quod judicis officium : quæ
Partes in bellum missi ducis, ille profecto
Reddere personæ scit convenientia cuique.

Sed exemplum illud de Mimo, quod in medium tu protulisti, quid aliud explicat, nisi ut unusquisque diligenter videat, quid personæ suæ consentaneum sit? ut hoc loco mihi tuam imprudentiam non mediocriter admirari veniat in mentem, qui Ciceronem ideo reprehendas, quoniam ex eo decoro, quod Poetæ servant, nos intelligere posse dixerit, quid nos deceat : & ipse paullo post Mimos nobis imitandos proponis. Neque tamen exemplum tuum reprehendo, quoniam declarandæ rei propositæ satis congruit, sed importunitatem tuam rideo, qui nullis inductus rationibus ea damnas, a quibus in exemplo proferendo non potes ipse recedere. Quid enim est aliud hoc, quod

quod tu dicis: Egregius Mimus animadvertere debet, quid suæ personæ consentaneum sit: nam si parvus Hectorem agat, tum illud Antiochenorum in eum quadrabit: *Astyanacten videmus, ubi reliquisti Hectorem*: nisi illud quod ait Cicero? Sed tum servare illud Poetas quod deceat dicimus, quum id, quod quaque persona dignum est, & fit, & dicitur: ut quemadmodum ait Horatius, si Achillis persona fingatur, sit

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi data, nihil non arroget armis,
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.

Neque tantum in factis, sed etiam in dictis hoc decorum servare Poetæ debent, ut unusquisque pro conditione sua verba faciat: nam, ut ait idem,

Intererit multum, Davus ne loquatur, an Heros;
Maturus ne senex, an adhuc florente juventa
Fervidus, an matrona potens, an sedula nutrix,
Mercator ne vagus, cultor ne virentis agelli,
Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis.

Hoc est decorum illud, quod tu locis, temporibus, personis, aliisque delectibus dicis esse circumscribendum: ad cujus similitudinem nobis Cicero præcepit, ut videamus, quid nos deceat, atque illud diligentissime servemus, ut ordinem, & moderationem sequamur: ut justitiæ, ac verecundiæ partes amplectamur, in quo maxime perspicitur vis decori. Sed jam satis (ut opinor) planum ac manifestum est, nihil esse, quod hoc loco vituperes: ad alia transeamus.

Iacobus Griffolus ad quartam decimam Cælii Calcagnini disquisitionem.

DEcorum esse quoddam M. Tullius ait, quod in omni honestate versatur; atque id esse generale tradit. Aliud est præterea, quod huic, ut generi pars, subjicitur, quodque pertinet ad singulas partes honestatis, utrumque cum virtute ita confusum, ut cogitatione magis ab ea, quam re separari possit. Cum vero utriusque definitionem subjecisset, hæc ita, inquit, intelligi a philosophis possumus existimare, ex eo decoro, quod poetæ sequuntur; sed quoniam vix de ulla re Cicero potest adeo diligenter statuere, quin Cælii, nimium rotundas aures, aut nimium emunctas nares offendat, hoc quoque in loco peccasse Cælio videtur; quare non negaverim, inquit, esse quoddam decorum in universum per virtutes perfusum, quoddam rursus particulare ad singulos actus privatos pertinens. Quid si negaret? num melius hoc, quam id, quod negat? ait enim: Sed prius illud in natura absconditum est, & ratione magis, quam sensu dignosci potest; sint omnia universalia, quæ sensu percipi non possunt; privatum autem hoc alterum mihi videtur locis, temporibus, personis, aliisque delectibus circumscribendum esse, non quidem more poetarum, apud quos turpes sententiæ laudantur,

eum sunt turpibus personis attributæ, sed civilis cujusdam modestiæ respectu. Multa hic sunt insignia peccata Cælii; primum, quod non tam contra rationem logices, quam contra naturam ipsam negat omnia, quæ re accidunt generi, ejusdem partibus accidere; igitur ostendat mihi velim, quæ spiritus animalis inveniri queat, quæ, ut animal ejus genus, non sit substantia animata cum sensu; quod si nec arte, nec natura id potest fieri, cur sic decorum ipsum universale fatetur cum virtute confusum esse, ut re separari non possit? quæ vero pars est decori, eam a virtute re ipsa disjungere conatur? an id decorum, quod est cum justitia conjunctum, separabitur a justitia? minime quidem; nam simul oritur utrumque, & simul occidit, quamvis ratione sint diversa; quid est igitur cur definitiones Stoicorum improbet? qui genus decori esse finiunt, quod consentaneum sit hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differt; differt autem ratione; hominis ergo excellentia est ipsa ratio. At quid potest cum ratione fieri, quod abhorreat a natura? rursus *secundum naturam esse nihil potest*, ut idem ait in Tusc. *quod sit repugnante ratione*; quare pars decori quod ita esse naturæ consentaneum definit, ut in eo moderatio, & temperantia cum specie quadam liberali appareat, nimirum est hominis excellentiæ, id est, rationi consentanea; nisi a ratione dissentire temperantiam dicamus; perspicuum est igitur in specie decori definitionem generis convenire. Sed illud forte Cælium commovit, quod in parte decori apparere dixit moderationem, & temperantiam oportere; ubi advertendum est, hic de hac ipsa virtute disputari, quam pro differentia in ea definitione positam videmus; vel melius, quando Stoicorum est ea definitio, sciendum est decorum præcipue ad modestum, & temperatum virum pertinere; quare non ita multo post inquit: Nobis autem cum a natura constantiæ, moderationis, temperantiæ, partes datæ sint, cumque eadem natura doceat non negligere, quemadmodum nos adversus homines geramus, efficitur ut & illud, quod ad omnem honestatem pertinet, decorum quam late fusum sit, appareat & hoc, quod spectatur in unoquoque genere virtutis. Rursus: Sequemurque, inquit, & id, quod ad hominum societatem accommodatum, & id quod vehemens, & forte; sed maxima vis decori in hac inest parte, de qua disputamus; ex his decorum vides esse quoddam ut genus pertinens, simul ad omnes virtutes, & ejus partes, quarum singulæ ad singulas virtutes spectant; tum illius vim maximam inesse in temperantia, & moderatione; & ideo eas in primis in illa definitione complexus est. Sed ut veniamus aliquando ad circumscriptionem Cælii, quæ ex locis, temporibus, personis, & aliis delectibus constat, scire velim cur hic locum, & tempus tamquam duo sint, & ea diversa, ponat; cum in hoc ipso libro ex Stoicorum definitione Cicero locum esse dicat actionibus, opportunitatem temporis, tempus autem actionis opportunum εὐκαιρίαν Græce, latine occasionem appellari? Est ergo locus pars quædam temporis, pars autem in suo genere semper inest, quam ille nescio qua ductus ratione separat. Sed videamus nunc usum, quam sit ejus definitioni consentaneus. Cicero in Orat. suo inquit: *Alteri cum domesticum tempus in cogno-*

scen-

scendis componendisque caussis, forense in agendis, reliquum in se ipsis reficiendis omne consumerent, quem habebant aut instituendi, aut docendi locum? & epistolam loco reddere dixit in Epistolis. Sic invenies quam sæpissime usu & definitione locum pro tempore opportuno poni; neque vero hic, ut apud rhetores conjecturis agitur; ut ex natura, & opportunitate loci aliqua res geri potuisse, aut non potuisse videatur; quare illi considerent an opportunitas loci fuerit ad negotium transigendum; considerent præterea tempus ut spatium, & occasionem, ut temporis opportunitatem, quibus conjiciant idoneam fuisse occasionem rei alicujus agendæ vel non agendæ facultatem. Namque apte, vel inepte, res gesta sit apud eos nihil refert, tantum enim factumne sit quærunt; philosophi vero an apte, & cum decoro, in quo servando satis est temporis congruitatem, & idoneam opportunitatem observare; non enim aliter decore aut dici, aut fieri quidquam potest; decorum igitur non spatio temporis, aut ex natura, & qualitate loci consideratur; namque utcumque aliquid inepte fecerit, neque loci, neque temporis excusatio accipietur, quandocumque, & ubicumque decenter egeris, ut oportuerit egisse diceris; hæc autem opportunitas modo locus, modo tempus, ut ostendi, nuncupatur; quocirca M. Tullius longe melius, quam Cæl. officia reperiri dixit, cum quæritur quid deceat, & quid aptum sit personis, temporibus, & ætatibus. Sed hoc est tertium, quod a Cæl. requiro, cur hos delectus esse velit, atque decorum his delectibus contineri; non enim personarum, aut temporum, aut ætatum, vel ut ille vult, locorum delectus haberi debent, sed earum rerum, quæ his aptæ sint, ut eorum convenientia servetur; nam moderationis, justitiæ, fortitudinis finibus decorum circumscribi decet, extra quorum terminos sine macula turpitudinis vagari non possumus. Ergo quid deceat, & aptum sit personis, temporibus, & ætatibus, recte dixit M. Tullius, cui Cælium decuisset assentiri, ne simul tam multa, & tam fœde peccasset, dum locis, & personis, & temporibus, reliquisque delectibus speciem decori circumscribit. Sed quinam sunt reliqui delectus? nam hoc est quartum, quod ab eo velim perdiscere. Equidem nec plures esse reor, quam Cicero posuerit, nec eos, quos Cæl. posuit, ut ostendi, delectus appellari. Sed his ait ille partem decori circumscribendam, more vero poetarum negat; quasi Cicero in eo lapsus sit, sed hoc est falsum; non enim hic M. Tull. circumscribit decorum more poetarum; sed existimat ex illorum decoro quale philosophorum esse debeat in ratione vitæ perspicere; nec vero poetas ita probat in hac parte, ut in ulla persona turpitudinem sententiarum laudet; inquit enim, sed poetæ quid quemque deceat ex persona judicabunt; nobis autem pro natura imposuit ipsa natura magna cum excellentia, præstantiaque animantium reliquorum, & quæ sequuntur: ubi Cicero ostendit poetas non sequi decorum naturæ ut philosophi solent, sed quid moribus & institutæ vitæ rationi cujusque conveniat; qui quidem locus vehementer miror cur Cælium non admonuerit, ne tam leviter Ciceronem reprehenderet. At quam ipse constanter improbet poetas, cum exemplo poetarum sua mox confirmet, judicent alii; sic enim inquit: Egregius mimus

animadvertere debet, quid suæ personæ consentaneum sit. Quid Cælio cum mimis? qui more poetarum minime decorum circumscribit? non quia delectus est habendus in poetis? quid? hoc ille melius quam Cicero? at nec alius quisquam, nec ipse Cælius hoc auderet dicere, si paulo diligentius eum locum regustaret. Illud autem me fateor non intelligere, cur differentiam illam justitiæ, atque verecundiæ aut ad minus idoneam personam, aut ad ineptam exhortationem Cælius retulerit; in quibus quidem qui peccant, inepti potius dicuntur, quam impudentes, quales sunt immodesti, & inconstantes, & dissoluti. Cum igitur de modestia, continentia illic agatur, Negligere, inquit Cicero, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam dissoluti; est autem quod differat in omni ratione habenda inter justitiam, & verecundiam; nam justitiæ partes sunt non violare homines, ut faciunt arrogantes, verecundiæ non offendere, ut dissoluti; violatur quidem homo, cum ejus fortunæ, aut corpori, aut existimationi aliqua vis affertur; offenditur autem morum alicujus obscœnitate, & turpitudine, a qua boni viri animus abhorret; verecundia vero custos est virtutum omnium dedecus fugiens, laudemque maxime consequens; quare Sophocles recte inquit: *Verecundia in eadem sede cum Iove conjuncta est*. Revereri autem homines est quod αἰδεῖσθαι suo nomine Græci dicunt, hoc est pudore, & timore turpis alicujus notæ conspectu, aut etiam conscientiam hominum proborum quadam cum verecundia timere; ex quo fit ut nec injuria, nec turpitudine quemquam offendamus; quare Cicero *adhibendam esse* inquit *reverentiam quamdam adversus homines, & optimi cujusque & aliquorum, ut existimatio nostra apud omnes integra servetur; quæ vel per injustitiam, vel per incontinentiam perdi solet*. At si Cæl. Ciceronis sententiam ex ipsius verbis potius, quam ex suis conjecturis elicere voluisset, non tam longe a veritate aberrasset.

Decima quinta Cælii Calcagnini disquisitio.

Cicero & hic & alibi multis locis dicit, *nihil esse tam consentaneum naturæ, quam virtutem*, credo ex ea ratione, quia natura semper bonum appetit: & quanto quodque bonum majus est, eo magis appetitur. Nihil autem virtute melius: nihil ergo a natura magis appetitur, quam virtus: & hæc ratio quidem apud me plurimum pollet. Sed contra Aristoteles virtutem in parte irrationali versari scribit, & naturalibus affectibus, voluptati præsertim obluctari. Ejus rei argumentum est, quod nemo natura virtute præditus invenitur, sed longa omnes exercitatione; in his enim, quæ a natura proficiscuntur, non opus est exercitatione, sed protinus natura duce ea amplexamur; sic ridemus, sic ambulamus natura sponte, nec ut his in rebus meditemur, opus est. At in his quæ ad virtutem spectant, longa assuetudine & crebris actibus opus est. Hinc scilicet emanavit vetus illa & digna memoratu sententia: Ἕλου βίον τὸν ἄριστον, ἡ συνήθεια δὲ ἥδιστον ποιήσει. *Elige optimum genus vivendi; suavissimum id reddet assuetudo*. Denique communis est philosophorum assertio, virtutem non naturalem, sed nec præter naturam esse,

se, Testimonium reddit huic opinioni Plato in Gorgia: Ω'ς τα πολλα γαρ ταυτα φασιν εναντια αλληλοις εςιν, ἥτε φυσις και ο' νομος. *Vt plurimum enim hæc ut ajunt contraria sunt invicem, lex scilicet & natura*. Ob id & beatus Paulus testatus est se habere *aliam legem dominantem membris suis, & menti suæ repugnantem*.

M. Ant. Majoragii Decisio decima quinta.

Cicero multis in locis *nihil esse tam consentaneum naturæ, quam Virtutem* affirmat. Aristoteles vero *in eà animi parte, quæ ratione caret virtutem versari* scribit. Præterea communis est (ais) Philosophorum assertio, *Virtutem non naturalem, sed nec præter naturam esse*. Quid ergo? videtur erraſſe Cicero, quod *nihil tam consentaneum esse naturæ, quam virtutem* dixerit. Hic certe locus subtiliter, & copiose tractari potest. Sed nos, ut omnes intelligere possint, αμαθεςερον και σαφεςερον (ut dici solet) agemus. Satis enim habemus hoc tempore, si Ciceronem a criminationibus tuis liberemus: quamvis hoc loco te modestissime geras: credo, quod videas nihil esse non præclare dictum. Nam quos tumultus soles concitare, cum quid verisimile contra Ciceronem nactus fueris? Itaque nullo modo tam modestus esse potuisses, si quid esset, quod a te vituperari probabiliter posset. Qua enim in re dissentit ab Aristotele Cicero? Affirmat (inquis) Aristoteles, *Virtutem non esse naturalem*, propterea quod ad eam acquirendam longa opus est exercitatione: neque quisquam ita formatus fuit umquam a natura, ut sine studio & industria virtute præditus esset. Quin ea, quæ naturalia sunt, immutari nullo modo possunt: ut ignis numquam deorsum tendit, neque terra sursum. Sed homo ex improbo fit bonus: & contra, malus ex probo: quare virtus non erit naturalis: Cicero autem *quidquid est simplex sincerumque, id esse naturæ hominis aptissimum* scribit. Quamobrem videtur ab Aristotele discrepare. Mihi autem inter eos nulla videtur omnino discrepantia. Neque enim ait Cicero *naturalem esse virtutem*, quippe qui didicerat a Platone suo, quem libenter auctorem sequebatur, in Protagora, *Virtutem neque natura, neque sponte sua mortalibus innasci: sed doctrina, atque exercitatione percipi*. Verum ait esse *naturæ consentaneam*, quod affirmat etiam Aristoteles, cum ostendit, *Virtutem contra naturam non esse: sed nos ita formatos a natura fuisse, ut eam consequi possimus*. Ejus hæc verba sunt Ethicorum secundo:

Ουτ' αρα φυσει, ουτε παρα φυσιν εγγινονται αἱ αρεται, αλλα πεφυκοσι μεν ἡμιν δεξασθαι αυτας, τελειυμενοις δε δια τυ εθυς.

Sed quoniam omnibus naturalis quædam cupiditas innata est, ut ad perfectionem tendant, & quæ bona sunt appetant, ut initio statim Ethicorum docet Aristoteles: *nihil* autem *ex omnibus rebus neque perfectius, neque melius Virtute reperiatur*: consectarium est, ut nihil tam consentaneum naturæ sit, quam virtus. Præterea nemini dubium est, quin homo rationem a natura sortitus sit, qua sola differt a reliquis animantibus, & similis Deo censetur. *Virtus* autem (ut eam in Rhetoricis definit Cicero) *est animi habitus naturæ modo ratio-*

rationi consentaneus. Quin etiam in Tusculanis *nihil aliquid virtutem esse vult, quam rectam rationem*. Vt id verissimum esse videatur, quod Seneca Philosophus e Stoicorum Schola præstantissimus scriptum reliquit: *Omnibus hominibus naturam dedisse fundamenta, semenque virtutum*. Quod multis argumentis in principio hujus operis de Officiis Cicero demonstrat. Nam si nullum ad virtutem homines haberent a natura præsidium, qua ratione possent eam adipisci? neque enim si naturæ contraria virtus esset ex aliqua parte, ut tu videris velle, ulla ratione possent eam homines consequi. Refugit enim natura, quæ contraria sunt, neque ea potest umquam admittere. Nam eodem in loco duo contraria nullo modo possunt eodem tempore consistere. Quod autem ad sententiam tuam confirmandam hæc verba tamquam Platonis testimonium ex ipsius Gorgia citas: *Ω'ς τα πολλα γαρ ταυτα, φασιν, εναντια αλληλοις εςιν, ἥτε φυσις και ὁ νομος*, mihi videris parum omnino, vel nihil potius ea, quæ legis, considerare. An illud te præterit, in Dialogis Platonis varias esse personas, quæ colloquantur? atque interdum nonnullos introduci, qui res absurdas & inanes, aut vulgares affirment, ut eas postea Socrates, aut aliquis alius refellat? Hac ratione posses affirmare justitiam a Platone reprobari, quoniam apud eum secundo de Repub. libro Glauco atque ejus frater Adimantus contra justitiam multa disputant. Videndum igitur cujus sint ea verba, quæ tu pro testimonio citas ex Platone: sic enim facile apparebit, an ea sit Platonis sententia. Nam cum apud eum in Gorgia (sic enim Dialogus quidam ejus inscribitur) multa præclare Socrates cum Gorgia Rhetore, atque ejus discipulo Polo disputasset, ambosque tandem dare manus, & se victos fateri coegisset, aderat juvenis quidam, eloquentiæ studiis deditus, Callides nomine, cui nullo modo quæ divinitus a Socrate dicebantur, placere poterant: itaque cœpit multis verbis Socratem reprehendere, & Philosophiæ studium improbare: qua in oratione, cum multa absurda atque inania dixit, tum id etiam quod tu (si Diis placet) pro Platonis testimonio nobis adducis, quod scilicet *Lex & natura sint inter se contraria*. Quæ cum ita sint, quis non te merito rideat, & tamquam insani hominis commentationes tuas aspernetur, ac negligat, qui virtutem naturæ contrariam esse censeas, idque putes etiam a Platone censeri? Nam si præter naturam non est, ut tu paulo ante confessus es, quomodo naturæ potest esse contraria? Deinde quis nescit, a Philosophis doceri *contrariorum eam esse naturam, ut aliud alterum expellat*? Quod si virtus est naturæ contraria, sequitur ut cum homo virtutem amplectitur, naturam amittat; qua re quid dici potest ineptius, aut absurdius? *Præterea necesse est* (ut docet Aristoteles) *contraria sub eodem esse genere, & plurimum inter se differre: Virtus autem & Natura neque sub eodem genere sunt, neque plurimum differunt; nam Virtus est qualitas, Natura vero substantia*. Deinde ratio, quæ naturam hominis informat, virtutem semper appetit, & cum ea quasi connexa est, & quasi conglutinata. Non sunt igitur virtus & natura contraria. Sed quid in hac parte diutius immoror, quæ clarissima est, & pluribus aliis argumentis intelligi potest? Nemo est enim tam tardi ingenii, tam mala mente, quin audito Virtutis nomine, non moveatur, & eos, in quibus maxi-

maximam esse virtutem intelligit, non admiretur. Petas ab improbissimo quovis, & profligatissimo homine, an Virtutem diligat, an eam habere velit, an velit omnium optimus, & sapientissimus esse? Non est dubium, quin ejus rei se cupidissimum fateatur. Quin si quis improbum eum appellarit, maxime se læsum arbitrabitur, voletque digladiari, atque armis probare, se virum bonum esse. Tantus est innatus nobis, & a natura donatus Virtutis amor. Quod autem scribit Aristoteles, *in ea parte animi, quæ rationis expers est, Virtutem versari*, id non est contra Ciceronis sententiam: quin potius ita convenit, ut nihil similius esse possit. Cum enim duplex sit animorum vis, atque naturæ una pars in appetitu posita est, quæ est ὁρμη Græce, quæ hominem huc atque illuc rapit: altera in ratione, quæ docet & explanat, quid faciendum, fugiendumque: ita fit, ut ratio præsit, appetitus obtemperet: virtutis autem laus in eo maxime perspicitur, cum ita efficimus, ut appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant propter temeritatem, nec propter pigritiam, aut ignaviam deserant, sintque tranquilli, atque omni animi perturbatione careant. Quo fit, ut recte dicat Aristoteles, *Virtutem in ea parte animi versari, quæ caret ratione: quoniam ea rationi quodammodo semper repugnare videatur*. Et hoc est quod Divus Paulus testatur, *se habere aliam legem dominantem membris suis, & menti suæ repugnantem: quam nos legem intelligimus Appetitum esse: qui cum vagatur longius, relinquit & abjicit obedientiam, nec rationi paret, cui subjectus est lege naturæ*. Quare contrahendi sunt omnes appetitus, sedandique, ne quid temere ac fortuito, inconsiderate, negligenterque agamus; ex quo sine dubio virtus omnis elucebit. Cum autem ex animantibus omnibus unus homo rationem habet a natura datam, qua contrahere possit appetitus, neque præstantius quidquam efficere possit: sequitur, ut *naturæ hominis* (ut ait hoc loco Cicero) *nihil sit tam consentaneum, quam virtus. Natus est* enim (ut ait Aristoteles) *homo ad intelligendum, & agendum: nihil* autem *sine prudentia recte potest intelligi, nec agi sine justitia, fortitudine, & temperantia*. Quare ita generatus est homo a natura, ut ad omnem virtutem factus esse videatur.

Iacobus Griffolus ad decimam quintam Cælii Calcagnini. disquisitionem.

QVod sæpe M. Tullius affirmet *nihil est tam consentaneum naturæ, quam virtutem*, Cælius hanc esse causam suspicatur, quod natura semper bonum appetit, & quanto quodque bonum est majus, eo magis appetitur, nihil autem virtute melius, nihil ergo a natura magis appetitur, quam virtus: Et hæc, inquit, ratio apud me plurimum pollet. Sed contra Ar. &c. Ex hac autem appetitione inferre Cælius videtur ex Cic. sententia *nihil esse tam consentaneum naturæ, quam virtutem*, quod meo quidem judicio falsum est; neque enim Cicero ob eam causam virtutem dicit naturæ consentire, neque naturæ consentaneum quidquam est, quia ut bonum appetitur ab illa; sed contra bonum appetitur a natura, quia est sibi consentaneum; non enim

quod bonum est per se cujusvis naturæ movet appetitum; nam sic etiam pecudes appeterent virtutem, sed unaquæque res id bonum appetit, quod sibi aptum, & accommodatum est: quod si tollas hanc aptitudinem, & consentaneam rationem, jam id non erit ulli rei bonum, quare ipsum esse consentaneum non efficit illud quidem, ut res ulla bona sit, nam ea potest esse per se bona, sed tamen efficit ut certæ rei bona sit; ex quo fit, ut virtus, quoniam est consentanea hominis naturæ, sit illius bonum, & propterea appetatur; unde M. Tullius in quarto de Fin. Peripateticos dicere testatur, *appetitionem animi moveri, cum aliquid ei secundum naturam esse videatur; quocirca non satis est bonum esse aliquid, ut appetatur, nisi rei, quæ appetat, sit etiam consentaneum: alioqui non appeteretur*. Ratio igitur, quia Cicero *virtutem esse consentaneam naturæ* dicit, alia est & quidem in promtu fortasse; is enim in Academicis 9. veterum Academici *suam bene vivendi rationem peti* dixit *a natura*; atque idem in quarto Tusc. *virtutem* ait *rectam esse rationem* his verbis: *Ex virtute proficiscuntur honestæ voluntates, sententiæ, omnisque recta ratio, quamquam ipsa virtus brevissime recta ratio dici potest*. Ac in eodem inquit: *Si nihil in homine perficiendum est præter motum ingenii quemdam*, id est, *rationem, huic est necesse ultimum esse ex virtute vitam fingere, rationis enim perfectio est ipsa virtus*. Si virtus igitur est bene vivendi ratio, & hæc a natura petitur, nonne ob eam causam dicemus esse congruam naturæ? nam ita virtus a natura ducitur, ut ad illam omnes actiones nostras accommodemus, & quæ secundum eam sunt, frequenter faciamus, donec habitus virtutis, id est, ipsa virtus perficiatur; nam dicunt ab iisdem principiis virtutis officia, & ipsam sapientiam proficisci; quam eamdem Cicero rectam rationem, & virtutem appellat. Et hoc est illud, cur Stoici tam sæpe dicant omne munus virtutis occupatum esse in habendo earum rerum delectu, quæ secundum naturam sunt. Nam quid esse potest secundum naturam, quod illi consentaneum non sit? virtutem ex iis formari, & confici videmus, quæ secundum naturam sunt; & dubitabimus cur sit illi consentanea? at cui bonis a natura datis perfrui licebit non adhibita virtute? recte igitur in secundo de invent. ita definita est a Cicerone, *virtus est habitus naturæ, modo, & rationi consentaneus*. Ac, ut omnia perspicue tradamus, animadvertendum est naturam res plures significare. Verum nos ceteris omissis duas tantum ad hunc locum magis pertinentes attingemus; primum igitur cum dicimus naturæ consentaneam virtutem esse, naturam intelligimus humanam, quæ quidem ut ceterarum natura rerum est conservatrix sui; unde in quarto de Finibus ex sententia veterum Academicorum, & Peripateticorum *omnis natura* inquit Cicero *vult esse conservatrix sui, ut & salva sit, & in genere conservetur suo; ad hanc autem artes quoque exquisitas, quæ naturam adjuvarent, in quibus ea numeretur in primis, quæ est vivendi ars, ut tueatur quod a natura datum sit, & quod desit, adquirat*. Hæc Cicero, quibus omnibus Stoici assentiuntur: in hac autem sententia tunc accipitur, cum virtus definitur esse consentanea naturæ. Deinde natura meo judicio virtutis habitum significat, qui est ipsa virtus, quippe quæ perfecta esse dicitur & ad summum perducta natura; quæ quidem res tum confirmatur,

tur, cum idem esse ajunt, convenienter naturæ, & ex virtute vivere. Quando igitur dicunt virtutem esse consentaneam naturæ, naturam intelligimus humanam, ad cujus conservationem virtus exquisita est; nam virtus, ut diximus, est ars, & ratio vivendi: cum vero perfecta, & ad summum perducta natura dicitur, tunc virtutis habitus intelligendus est, qui constans est in suis actionibus ut natura; quocirca dici solet in naturam consuetudinem converti. Hoc ita constituto esse nihil amplius videtur, de quo dubitetur; perspicuum est enim cur virtus naturæ, & cui naturæ sit consentanea. Nunc ad Arist. revertor, quem cur Cælius opponat Ciceroni miror; ait enim virtutem secundum Aristot. in parte irrationali versari, & naturalibus affectibus, voluptati præsertim obluctari; cujus argumentum esse dicit, quod nemo natura virtute præditus invenitur, sed longa omnes exercitatione; hæc Arist. statim in principio secundi libri Ethicorum tradit, ostendens pluribus argumentis, *virtutes morales longo usu, & exercitatione comparari, nec ullo modo naturales esse*. In quo autem a Cicerone dissentiat, equidem non intelligo; nec enim hoc in loco Cicero, nec alibi eas docet aut naturales esse, aut alia ratione comparari: nisi forte quod est consentaneum naturæ, intelligatur esse naturale: at quis hoc audeat affirmare? ergo actiones honestæ, quæ consentaneæ sunt naturæ, nec studio, nec prudentiæ nostræ forent adscribendæ; at natura id appetit, quod sibi est consentaneum, quod autem est dissentaneum aspernatur, appetit autem honesta, & aspernatur contraria; ergo hæc contra, illa vero secundum naturam sunt, non tamen naturalia. Sed jam res postulat, ut quanta sit in hac ratione virtutum consensio inter Arist. & Marcum Tullium videamus. In sexto igitur Ethi. Arist. confirmat *virtutes esse naturales, & proprias*, naturales quidem intelligit & nominat habilitates quasdam, & aptitudines, & habitus denique naturales: proprias vero, quas nobis usu & consuetudine comparamus. Cicero vero hac eadem, sed non iisdem nominibus usus est, divisione: in quarto enim & quinto de Fin. quas naturales vocat Ar. ex sententia Platonis auditorum, inter quos nominat Aristotelem, Semina virtutum appellat. de Leg. vero, & in Tuscul. quæstion. Igniculos, ac multo ante de Inv. libro primo nominavit Opportunitatem, & materiam; est aliquid in verbis quidem, in re vero nihil esse differentiæ videmus; quod idem in propriis accidit; nam eas Cicero voluntarias appellat; quoniam non sunt a natura nobis tributæ, sed voluntate potius acquisitæ, & propterea justi, constantes, fortes, prudentesque esse volumus, quia decere cogitamus. Cur autem proprias eas vocet Arist. ea causa est, quod earum neque natura, neque fortuna partem sibi vindicat, sed omnino labori nostro, & exercitationi referuntur acceptæ. Nec tamen negaverim, ob id etiam proprias appellari, quia propria sunt hominis possessio, in qua fortuna nullam habere potest auctoritatem; varia sunt certe utriusque verba, sed tamen easdem voluntarias, & proprias virtutes, itemque naturales, & semina, igniculos, opportunitates esse constat; nec non ex iis, quæ dicta sunt, perspicuum factum est, cur omnium philosophorum consensu virtutes neque naturales, neque præter naturam sint. Sed libenter nunc audirem Cæ-

Cælium, in quonam alterum ab altero discrepare videat, mihi certe in quo magis consentire possint nihil occurrit; nam quod morales virtutes ad eam partem animæ frænandam, atque regendam adhibeantur, quæ est rationis, id ipsum Cicero passim confirmavit; nam si cupiditates & affectus ex anima tollantur, jam virtutis nullus erit usus, nec in quo exerceatur præterea quidquam erit.

Decima sexta Cælii Calcagnini disquisitio.

ALteram officii divisionem adscribit Cicero in perfectum seu commune, quod κατορθωμα Græci appellant, & medium, cujus cur factum sit, ratio probabilis reddi potest. Ego perfectum illud quod vocat, si ad æquilibrium redigatur, longe imperfectissimum puto. Hoc enim illud est, quod flecti nescit: quod neque locorum, neque temporum, neque personarum rationem habere potest: quod conniventibus oculis, & obstinatis animis, medium illum rigorem tenet, a quo nulla ratione deduci potest. Hoc Diogenes tuebatur, hoc Timon ille μισανθρωπος, hoc Stoici, qui alapam incutere, & parentem jugulare, par crimen putant. Hoc si quando in judiciis versatur, summum jus a nostris, a Græcis ακριβοδικαιον vocatur: quod nonnulli summam crucem, alii summam injustitiam definivere. Hujus temperamentum æquitatem arbitramur, quæ locorum, temporum, personarumque delectum habet; hæc misereri solet, ac tum demum parcere: nisi ad maleficium perversa voluntas & dolus malus accesserit; sic perfectissimi hujus officii acerbitatem ac duritiem medium alterum officium, quod solum officii nomine dignum est, moderatur. Quod ni faciat, transit ille animi rigor in mores, efficitque homines inclementes, inexorabiles, & quales a Græcis απαθεις appellantur.

M. Ant. Majoragii Decisio decima sexta.

TAmen a malitia non discedis, reverterisque ad officii divisionem, qua secundo loco Tullius utitur, atque eam reprehendere audes, nulla inductus ratione, nullo exemplo, nulla auctoritate. Cum enim duplicem de officio quæstionem esse dixisset, unam quæ pertinet ad finem bonorum, alteram quæ posita est in præceptis, quibus in omnes partes vitæ usus confirmari possit, aliam etiam officii divisionem esse dixit: nam & medium quoddam officium (inquit) esse & perfectum. Perfectum officium, Rectum, opinor, vocemus, quod Græci κατορθωμα: hoc autem Commune officium vocant, atque sic definiunt, ut Rectum quod sit, id perfectum esse definiant. Medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit. Hæc Cicero. Sed tu, nescio quo supercilio, aut qua fronte, officium hoc, quod a Cicerone *Perfectum* dicitur, ais tibi longe imperfectissimum videri: quippe qui longe aliter hunc locum interpreteris, quam Cicero sentiat: quæ sola fere tuæ temeritatis causa est. Nam quæcumque tu non intelli-

telligis, in eis errorem esse putas. Quid enim, per Deum, in hac divisione reprehendis? aut cur hoc officium, quod *Perfectum* appellat Cicero, tibi longe videtur imperfectissimum? quoniam hoc illud est (inquis) quod flecti nequit, quod neque locorum, neque temporum, neque personarum rationem habere potest. Sed quis hoc tibi concesserit? aut quis perfectum officium ita definit? Hoc a Cicerone certe non habes, sicuti neque ea quæ sequuntur. Sed hoc prius videamus. Quid ais vir acutissime? quod officii genus nobis adducis, quod neque locorum, neque temporum, neque personarum rationem habeat? quis umquam tale officium constituit? hocne apud Philosophos reperisti? an, quod verisimilius est, somniasti? Vnde, quæso, dictum est Officium? nonne ab eo, quod effici debeat? sicuti καθῆκον apud Græcos, ab eo quod conveniat? Quis est autem tam hebes, aut rudis, qui existimet decere, aut convenire in rebus agendis, neque loca, neque tempora, neque personas considerare? Atqui omne officium in actu aliquo semper esse necesse est: nullus autem actus dici, aut excogitari potest, cui non sit locus, tempus, & persona aliqua conjuncta. Quare necesse est, ut hæc etiam adsint officio: quod quoniam semper agit cum ratione, fieri non potest, ut locum, tempus, & personam non consideret. Non erit igitur officium illud, quod neque locorum, neque temporum, neque personarum rationem habebit. At tu tam insulsus es, ut id a Cicerone putes Perfectum officium appellari, quod officium esse nullo modo potest. Addis præterea rem absurdissimam: nempe, Perfectum hoc officium in obstinatis animis esse, qui a summo rigore nulla ratione deduci possint: ita veluti Araneus quispiam ex te fingis, quod nusquam apud auctores invenitur, neque cuiquam erudito probari potest. Verum illud unum a te peto, utrum officium semper putes rationi consentaneum, necne? Si non, erit aliquod officium sine ratione, vel rationi dissentaneum: quod fieri nullo modo potest. Vt enim sit aliquod officium sine virtute, quod alibi docuimus: nullum tamen erit umquam alienum a ratione: vel te auctore, rationis expertes animantes officiorum præcepta docendæ sunt. Si etiam: quomodo igitur aliquando rationi repugnabit officium? Hæc enim omnino sunt inter se repugnantia, rationi consentaneum esse officium, & a nulla ratione deduci posse: quam tu detrahendi studio atque cupiditate cæcus, repugnantiam videre non potuisti. Itaque veluti delirus quispiam senex progrederis in incepta nugatoria criminatione: Hoc (inquis) Diogenes utebatur, hoc Timon ille μισάνθρωπος, hoc Stoici, qui alapam incutere, & parentem jugulare, par crimen putant. Credant hæc omnes eruditi sine teste Calcagnino, tamquam oracula quædam ex adyto: quoniam vir est tanta eruditione, atque auctoritate, ut quidquid dixerit, sanctum esse debeat. Ergo Diogenes, Timon, Stoici perfecto utebantur officio? Quis hoc affirmat, præter te? nam hercle, neque ego, neque quisquam (ut arbitror) paulo doctior audebit affirmare. Vult enim Cicero *Perfectum officium esse, quod rectum est*: hoc est, ut ego interpretor, quod honestum est, & laudabile. Illi vero quos tu perfecto officio dicis usos fuisse, quot modis a recta via deflexerunt? Quis Diogenis impudentiam, atque adeo Cynicorum omnium turpitudinem hone-

honestam, aut rectam fuisse dicet? quos nihil pudebat in foro coram multitudine, veluti sues aut canes, cum mulieribus coire? Quis Timonis immanitatem atque impietatem laudabilem existimet, qui omnes congressus hominum fugiebat, neque ullam omnino partem humanitatis amplectebatur? Quis recte Stoicos sensisse putet, qui eadem pœna dignum esse censebant, qui gallum gallinaceum, & qui parentem necasset? Non ergo isti Perfecto sunt usi officio, quoniam plurima non recte senserunt. Cicero autem *Perfectum officium id esse vult, quod est rectum*. Quod vero Perfectum officium in judiciis idem esse censes, quod Summum jus a nostris, a Græcis ακριβοδικαιον vocatur, non possum imperitiam tuam, & ingenii tarditatem non accusare, qui neque verborum significationes intelligas, neque auctorum sententiam percipias. Summum enim jus appellant Latini scriptores, cum de verbis juris contenditur, neque scriptoris voluntas consideratur; voces enim ac literæ legum quasi summa superficies est. Itaque tunc ab æquitate maxime discedunt homines, cum scriptis verbis pertinaciter hærent, neque cogitant, quid æquum & bonum postulet. Hanc Cicero malitiosam juris interpretationem appellat, & inter injustitiæ genera connumerat; ejus hæc sunt verba: *Exsistunt etiam sæpe injuriæ calumnia quadam, & nimis callida, sed malitiosa juris interpretatione, ex quo illud, Summum jus, summa injuria, factum est jam tritum sermone proverbium.* Hoc quidam jurisconsulti *Ius strictum* appellant, ut scribit Budæus: Aristoteles ακριβοδικαιον vocat, quasi jus exactius, duriusque, & qui illud æquitati præferunt, ab eodem ακριβοδικαιοι dicuntur, quasi præduri interpretes juris, quasique deterioris juris studiosi, atque usurpatores. Hinc Latini *summo jure agere* dicunt, pro eo quod est, non ex æquo & bono, sed tantum verbis & literis: quod ita esse declarat his verbis Cicero pro Cecinna: *Nam ceteri tum ad istam orationem decurrunt, cum se in causa putant habere æquum & bonum, quod defendant. Si contra verbis & literis, & (ut dici solet) summo jure contenditur, solent ejusmodi iniquitati boni & æqui nomen dignitatemque opponere.* Vides quam imperite, & insulse tu Summum jus, & Perfectum officium, idem esse censueris: cum hoc loco Cicero Summum jus, iniquitatem appellet. Nisi fortasse vis, judicem tum maxime perfectum officium sequi, & quod rectum atque honestum est judicare, cum ab æquitate discedit, & verba tantum legis considerat: quo quid absurdius dici potest? Quin etiam illud maxime ridiculum est, quod ais, ab hoc officio perfecto effici homines inclementes, inexorabiles, & quales a Græcis απαθεις appellantur. Itaque tua sententia quod rectum est, atque honestum, immanes homines, atque efferatos reddit. Hominem acutum, & valentem Dialecticum, qui harum rerum repugnantiam non videas. Iam, te auctore, vites toxica ferent, & ficus cicutam. Quid est enim tam recto contrarium, quam implacabilitas & inclementia? quæ cum adfuerit, omne perturbat officium, nec ullum æquitati relinquit locum, aut pietati. Quo fit, ut clementia tantopere laudetur a Cicerone, ut dicat, *nihil ea laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius*: & in Cæsare laudando non dubitat præclarissimis ejus rebus gestis, & universis virtutibus reliquis clementiam anteponere. Quid igitur est? Nihil aliud cer-

certe, nisi quod hæc officiorum genera distinguere non didicisti. Neque enim Perfectum officium id esse dicitur, quod flecti nescit, aut quod neque locorum, neque temporum, neque personarum rationem aut delectum habet: nullum enim officium est ejusmodi, ut docuimus, nedum sit perfectum. Verum id appellant Philosophi Perfectum officium, quo recte & perfecte omnia fiunt, quod ex omni parte honestatem attingit, quo in rebus omnibus id videmus, quod rectum sit, & cum laude conjunctum, idque efficimus: differtque a Medio officio: quoniam perfectum semper est cum virtute atque honestate conjunctum, atque ejusmodi, ut de eo dubitari numquam possit, quin sit rectum, & laudabile; atque ideo commune etiam dicitur, quoniam ad omnem honestatem pertinet; Medium vero potius in singulis actionibus perspicitur; cum ea facimus, quæ ratio nobis dictare videtur; quod quamvis aliquando non rectum appareat; tamen cur factum sit, ratio probabilis reddi potest. Ita fit, ut Rectum officium vel Perfectum in eis rebus sit, quæ per se tantum expetuntur, & ad finem bonorum pertinent: Medium autem ad institutionem vitæ communis accommodetur. Hoc etiam declarat ipsum Græcum vocabulum *κατορθωμα*, dictum a verbo *κατορθοω*, quod apud Aristotelem, & Platonem semper ita accipitur, ut significet cum virtute aliquid, atque excellenter efficere: apud Historicos prosperum successum habere. Hinc etiam dicta est *κατορθωσις*, quam rectam effectionem interpretatur Cicero, sicuti *κατορθωμα* rectum factum, quod omnes numeros virtutis contineat, ut apud ipsum Ciceronem tertio de Finibus attestatur Cato. Merito ergo Perfectum dicitur, quod virtutum omnium cumulum absolverit. Quidam ex Græcis ita definiunt: *Κατορθωμα εςι πραξις ακολυθος ορθῳ λογῳ, η νομυ προςαγμα*. *Rectum officium est actio, quæ rectam rationem sequitur, & legem servat*. Quæ definitio cum Ciceronis sententia pulcherrime convenit: neque enim aliud est Rectum officium, hoc est perfectum, quam actio quædam, quæ rectam rationem sequatur, & ea servet, quæ legibus optime sunt instituta: quod proprium est sapientis hominis officium. Atque ideo nonnumquam Aristoteles virum bonum *κατορθωτικον* appellat: propterea quod *το κατορθωμα* servare didicerit. Nominatim autem Ethicorum secundo, cum tria dixisset esse, quæ expetantur, *Honestum*, *Vtile*, *Iucundum*: atque item tria, quæ fugienda sint, *Turpe*, *Inutile*, *Molestum*: statim hæc verba subjunxit: *Περι παντα μεν ταυτα ὁ αγαθος κατορθωτικος εςιν ὁ δε κακος ἁμαρτητικος*. *In his omnibus (inquit) vir bonus recte agit, malus autem peccat*. Cum igitur planum ac manifestum sit, officium perfectum commune esse ad omnem honestam actionem, quid in mentem tibi venit, ut illud in tantas augustias, & Stoicorum dumeta compelleres? armaresque non tantum severitate, sed etiam rigore, atque immanitate quadam, a qua nulla ratione deduceretur? Equidem spero fore, ut si quando in manus hominum hæc mea defensio venerit, omnes boni & eruditi viri stultitiam tuam, atque audaciam vehementer improbent: temerarii vero, ac tui similes, non ita facile probatos auctores reprehendere audeant.

Iacobus Griffolus ad decimam sextam Celii Calcagnini disquisitionem.

QVod officium perfectum, vel quod, ut magis proprie κατόρθωμα interpretaretur, Cicero rectum esse dixit, imperfectissimum putat esse Cælius, quod flecti nescit, quod neque locorum, neque temporum, neque personarum rationem habere potest; quod conniventibus oculis & obstinatis animis medium illum rigorem tenet, a quo nulla ratione deduci potest; & rel. Ego vero non illud solum vehementer miror, quod officium sapientis imperfectissimum Cælius esse velit, sed illud quoque, ac mehercule multo magis, quod alteram officii divisionem Cicer. hanc esse scribit; perfectum seu commune, quod κατορθωμα Græci appellant, & medium; cujus cur factum sit ratio probabilis reddi potest; ubi non video cur aut ipse perfectum officium, & commune idem esse putet, aut ita Ciceronem definisse dicat. Sed extat non ille modo Ciceronis locus, sed alii permulti, in quibus omnibus commune officium medium esse definivit, nec umquam ita delirasset, ut quod proprium est sapientis, commune etiam insipientibus esse diceret: quare mitto hanc partem, ut notam; neque enim omnia digna sunt, de quibus disputetur; verum ad caput quæstionis veniamus & perfectum officium, ut ille vult, ad æquilibrium redigamus, ut quam sit æquà ejus libra intelligatur. Memini me alio loco de vi hujus officii cum Cælio disputasse, quare hic brevi attingam, quantum ad præsentem quæstionem satis esse videatur. Quoniam igitur ille non definit ut par erat, quæ sit ejus vis officii, satis est mihi negare το κατορθωμα id a Stoicis intelligi, quod Cælius damnavit; nam illi dicunt rectum officium omnes numeros virtutis continere; est igitur idem, quod virtus, aut actio virtutis, quæ omnes numeros perfectionis habet. At si male Stoici, non video cur recte Cælius, qui nihil omnino dixit; oportuit certe acutum disquisitorem, quodnam sit perfectissimum, ostendere, si illud est imperfectissimum. At ne longum faciamus, fortasse recte factum intelligunt idem esse Stoici, quod etiam Arist. hic enim in secundo Ethicorum *aliud esse* inquit *justa, & aliud juste agere*; non enim propterea justus est quisquam, quia justum quandoque faciat, sed quia juste; sæpe enim usu venire solet, ut fiat aliquod officium justum, & honestum, nec tamen, qui fecerit, aut justus aut honestus sit; sed qui juste facit, is vere est justus; nam hic sciens, & volens, non sua ipsius, aut alterius, sed unius virtutis causa juste facit; neque id semel, aut iterum, verum semper animo stabili, & constanti; quicumque igitur ita sit affectus, ut non casu, sed prudens, non quandoque, sed semper, non ob aliam causam quam virtutis, honestatem colit, is honeste facit, & est honestus, ut docuit his verbis Arist. *Τα δε κατα τας αρετας γιγνομενα ου εαν αυτα πως εχῃ δικαιως η σωφρονως πραττεται, αλλα και εαν ὁ πραττων πως εχων πραττῃ, πρωτον μεν εαν ειδως. επειτ' εαν προαιρυμενος και προαιρυμενος δι' αυτα· το δε τριτον εαν βεβαιως, και αμεταχινητως εχων πραττῃ. At que ex virtutibus aguntur, non si ea cujusdemmodi sint, juste,* aut

aut temperanter aguntur: sed si is quoque, qui agit quodammodo conformatus agat: ac primum quidem si sciens: denique si consilio capto, & consilio propter ea ipsa capto: postremo si firma perpetuo, & constanti voluntate agat. Ergo quod juste fit, a justo fit, hoc est, ab eo, qui habitum virtutis habet. Et qui solus potest juste facere, quod est officium rectum, & perfectum facere, quod in solum sapientem cadit; sed jam Catonem audiamus in tertio de Fin. eadem pena dicentem: *Quoniam videmus*, inquit, *esse quoddam, quod recte factum appellemus, id autem est perfectum officium, erit autem etiam inchoatum; ut si juste depositum reddere in recte factis fit, in officiis ponatur depositum reddere, illo enim addito juste, facit recte factum*: hæc Cato. Reddere depositum in officiis ponatur, inquit; in quibus officiis? in mediis opinor, addas juste, jam id erit perfectum; non iisdem usus est verbis Cicero; sed eadem sententia, qua prius Aristot. non igitur Zeno, aut M. T. carpetur, sed etiam Arist. &, quem constituit hic verum sapientem, Cælius ineptum facit, tum durum, & immitem. Nec enim locorum, inquit, nec temporum, nec personarum rationem habere potest, quod conniventibus oculis, & obstinatis animis medium illum rigorem tenet, a quo nulla ratione deduci potest. Rigorem arbitror intelligit honestum illud, quod sapientes semel complexus, numquam dimittit; quo fit, ut nullam umquam turpitudinem in quoquam sapiens ferre possit; quam recte igitur obstinatus & inexorabilis is dicatur, qui nolit a recto declinare, ille viderit. *Mihi vero sanctissimus videtur, qui*, ut in quinto de Fin. Cicero testatur, *natura duce sequitur officium; nec mihi qui bonus, & omnibus virtutibus instructus, & ornatus sit*, ut in quinta Tusc. legimus, *ineptus videri potest; nec qui temperans est potius, quam continens animi quadam mollitie corrumpendus; nam sapiens ita est affectus, ut nulla perturbatione moveatur, & honestis rebus vehementer gaudeat.* Quare Plutarchus ait: Ουτε γαρ ὁ σοφος εγκρατης, αλλα σωφρων, ουτε ὁ αμαθης ακρατης, ἀλλα ακολαςος. ὁ μεν ηδεται τοις καλοις, οδε ουκ αχθεται τοις αισχροις. Id est: *Non enim sapiens est continens, sed temperans, nec stultus incontinens, sed intemperans; ille quidem gaudet honestis, hic vero turpibus ne tangitur quidem.* Quæ tamen ex Arist. sumta videmus esse; quare cavendum est ne jure Ciceronem reprehensum in eo quisquam putet; in quo cum clarissimis Philosophis ille convenit.

Decima septima Cælii Calcagnini disquisitio.

QVo loco Cicero de prudentia ac sapientia agendum proponit, utramque videtur ita commiscere, ut non facile intelligas, quid prudentia a sapientia differat, quodve sit utriusque munus. Ciceronis verba sunt: *In prima parte, in qua sapientiam ac prudentiam ponimus, inest indagatio atque inventio veri; ejusque virtutis hoc munus est proprium. Vt enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit: quique & acutissime & celerrime potest & videre & explicare rationem, is prudentissimus & sapientissimus rite haberi solet.* Hoc primum nego, prudentiam & sapientiam eamdem esse virtutem. Nam *prudentia est exacta rerum humanarum discretio, quæ in consiliis, & omnibus iis quæ in dubitatio-*

rationem veniunt, *dominatur*; *sapientia autem est rerum humanarum divinarumque cognitio*. Hæc in iis, quæ semper eodem modo se habent, divinis puta & æternis versatur. Prudentiæ munus, non tam vera & falsa, quam bona & mala, utilia & inutilia, appetenda & refugienda intermiscere. Super iis consultamus, quæ aliter atque aliter sese habere possunt, quæque adjutrice indigent fortuna; nam reluctante fortuna, prudentia suum numquam finem adsequatur. At sapientia tam sublimi & excelso loco posita est, ut rerum humanarum vicissitudines longe despiciat, fortunæque ipsius imperium nihil ad se pertinere arbitretur. De prudentia verba sunt Aristotelis, quem jure Plato Philosophum veritatis appellabat: *Videtur itaque prudentis esse, bene consulere posse circa ea, quæ sibi sunt bona, ac prosunt: non aliqua ex parte, ut quænam ad sanitatem, vel vires, sed quæ ad bene vivendum omnino conducant. Argumento est id ita esse, eos etiam qui circa aliquid versantur, prudentes dici: quum bene ad finem studiosum aliquem excogitaverint ea, quorum nulla est ars. Quare & omnino prudens is est, qui ad consultandum est aptus*. Ex iis facile intelligas, prudentiam non circa vera & falsa (hoc enim commune est humani animi, omniumque virtutum propositum) sed circa utilia & inutilia versari. Sed quid ego peregrinis advocationibus utor, quum Cicero non multo posterius eodem libro adversus se testimonium dicat, ut hic prope sui oblitus videatur? Ejus verba non pigebit subscribere: *Prudentia, quam Græci φρονησιν, aliam quamdam intelligimus, est rerum expetendarum fugiendarumque scientia. Illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum atque humanarum scientia, in qua continetur deorum & hominum communitas, & societas inter ipsos*. In hac ergo quæstione non aliunde, aut alio libentius, quam a Cicerone ad Ciceronem appellaverim.

M. Ant. Majoragii Decisio decima septima.

NAm quod sequenti capite Ciceronem accusas, quoniam ubi de Prudentia, ac Sapientia agendum proponit, utramque videtur ita commiscere, ut non facile intelligas, quid Prudentia a Sapientia differat, quodve sit utriusque munus, non dubito, quin omnes agnoscant, te Latinam linguam numquam didicisse, qui nescias, apud Latinos scriptores Sapientiæ nomine Philosophandi rationem omnem contineri, vel quæ de vita & moribus traditur, vel de natura & rebus occultis, vel de differendo, & quid verum, & quid falsum, quid rectum in oratione pravumve, quid consentiens, quid repugnet, judicando. Quas qui adepti fuerint scientias, illi prudentes a Latinis appellari solent: ut in libro de Claris Oratoribus Cicero tradit, *omnes fere Stoicos in differendo prudentissimos esse*, & in libro de Amicitia, *L. Acilium prudentem in jure civili* vocat, & tertio de Oratore scribit, *Romanos, qui excellere sapientiæ gloria vellent, omnia quæ civitas nosset, solitos esse complecti*, atque ibidem paulo post, *Scipionem prudentissimum hominem* appellat, *propterea quod excelleret sapientia*. Hæc fuit (inquit) P. Crassi illius veteris, hæc T. Coruncani, hæc proavi generi mei Scipionis prudentissimi hominis sapientia, qui

qui omnes Pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur. Itaque si tam Latine loqui didicisses, quam maledicere, non illud primum negares, Prudentiam, & Sapientiam eamdem esse virtutem. Placet igitur mihi primo declarare, quid apud Latinos Prudentiæ ac Sapientiæ vocabulum significet, deinde tuis argumentis respondere. Et quoniam nemo est tam iniquus judex, qui Latini sermonis proprietatem, & principatum Ciceroni non facile concedat, utar ejus ad hanc rem probandam auctoritate. Primo igitur dico, Sapientiam tribus maxime rebus contineri: Nam & scientiam rerum divinarum atque humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, significat: & hæc per Antonomasiam proprie Sapientia dicitur, quam pauci tamen adipisci possunt: unde *felix* a Virgilio dicitur, *qui potuit rerum cognoscere causas*. Altera Sapientiæ significatio est, cum accipitur pro cognitione rerum multarum, longo usu adquisita: quo in genere artes omnes, & scientiæ comprehenduntur. Tertia, cum pro constantia, & moderatione recte & honeste vivendi capitur. Atque hæc omnia prudentiæ nomine comprehenduntur, quamvis duobus in postremis plerumque Prudentiæ vis appareat, eorum enim cognitio spectat ad actionem aliquam, omnium autem honestarum actionum Prudentiam esse moderatricem statuunt. Et quoniam officiorum hoc loco præcepta tradit Cicero, quæ quatuor partium oriuntur ex aliqua, primo tractat eam partem, quæ in perspicientia veri, solertiaque versatur: hoc est, quæ ad scientias pertinet, & ad explicandam rationem rerum gerendarum, quæ rectissime & Sapientia, & Prudentia potest appellari. Quod autem Sapientiæ nomen sit commune iis rebus, quas paulo ante diximus, maxime perspicuum est: & de prima quidem significatione nemini dubium esse existimo. Quis est enim, qui nesciat, Sapientiam multis in locis a Cicerone sic definiri, ut dicat, *Sapientiam esse rerum divinarum atque humanarum scientiam, cognitionemque, quæ causa cujusque rei sit*, qua tamen definitione videntur omnia comprehendi, quæ diximus. Ab hac doctrina septem illi apud Græcos uno tempore sapientes & habiti sunt, & vocati, quos tertio de Oratore docet Cicero fuisse prudentissimos, quippe qui omnes, præter Milesium Thaletem, civitatibus suis præfuerunt. De secunda significatione plurima sunt exempla, sed illud in primis apud Ciceronem libro de Amicitia, ubi Fannius Lælium alloquitur hoc modo: *Vnum te sapientem & appellant, & existimant*. Tribuebatur hoc modo M. Catoni: Scimus L. Acilium apud patres nostros appellatum esse sapientem, sed uterque alio quodam modo: Acilius, quia prudens esse in jure civili putabatur: Cato, quia multarum rerum usum habebat: multa ejus & in Senatu & in foro vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acute ferebantur, propterea quasi cognomen jam habebat in Senectute sapientis. Ecce quemadmodum ad omnem cognitionem sapientia pertineat. Iam tandem errorem tuum agnosce, qui prudentiam neges esse sapientiam. Nam si L. Acilius idcirco sapiens est appellatus, quod esset prudens in jure civili: sequitur, ut prudentia sit sapientia: & si Cato, quia multarum rerum usum habebat, quod sine controversia prudentis est, ideo sapientis cognomen sortitus est, nulla erit apud

Latinos inter prudentiam & sapientiam differentia: quod etiam illud ex oratione pro Cecinna declarat: *Sapiens homo, & multarum rerum peritus*. Et illud ex libro de Amicitia: *Te non solum natura & moribus, verum etiam studio & doctrina esse sapientem*. De tertia significatione exemplorum plena sunt omnia, quod sapiens ille dicatur, qui bonis moribus sit imbutus, & recte vivendi rationem teneat, quod etiam Sosias ille Terentianus intellexit, qui cum eximios Pamphili mores audivisset, ita respondit: *Sapienter vitam instituit*: & Cicero de lege Agraria contra Rullum: *Singularis homo privatus, nisi magna sapientia praeditus, vix facile sese regionibus officii, magnis in fortunis & copiis continet*. Hæc autem ea sapientia est, quæ virtutes omnes moderatur, quæ aliis etiam nominibus appellari solet: nam & Recta intelligentia, & Definita moderatio animi, & Perfecta ratio, & Prudentia dicitur. Hanc in procemio Rhetoricorum Cicero *Rerum omnium moderatricem* vocat: & in Oratore, *Rerum omnium fundamentum*: ut hoc loco non injuria principem inter virtutes locum illi dederit. Hanc in libris de Finibus *Prudentiam* appellat, quam omnibus artibus attributam esse vult: sed præstat ejus verba recitare: *Omnibus* (inquit) *artibus volumus attributam esse eam, quæ communis appellatur Prudentia: quam omnes, qui cuique artificio præsunt, habere debent*. Ex hoc certe loco perspicuum est, communem quamdam esse prudentiam, quæ ad omnes scientias pertineat, quæ communi vocabulo dicitur etiam Sapientia. Sed hoc etiam apertius in Oratoriis Partitionibus adnotavimus, eamdem videlicet esse prudentiam & sapientiam; sic enim ibi virtutes distinguit: *Est igitur vis virtutis duplex: aut enim scientia cernitur virtus, aut actione. Nam quæ Prudentia, quæ Calliditas, quæque gravissimo nomine Sapientia appellatur, hæc scientia pollet una: quæ vero moderandis cupiditatibus, regendisque animi motibus laudatur, ejus est munus in agendo: cui Temperantiæ nomen est*. Hîc vides prudentiam & sapientiam eamdem esse. Quare poteram hoc in loco finem facere, cum satis a me defensus sit Cicero, nisi velim etiam tua quædam argumenta refellere, & te mendacii, vel imperitiæ potius, arguere. Nam ubi nimis inverecunde, atque imprudenter Ciceronem sui oblitum putas, atque ideo tamquam victor lætitia gestiens, ac levitatem animi quamdam ostentans a Cicerone ad Ciceronem appellas, ibi facile possumus intelligere, quod jam docuimus, nullam apud Latinos inter prudentiam & sapientiam esse differentiam. Quorsum enim attinebat, ut Cicero Græca verba usurparet, si Latina satis erant distincta? Videamus ejus verba, quo facilius criminationem tuam diluamus. Quid igitur ait Cicero? *Nam cum omnis honestas manet a partibus quatuor, quarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis: hæ in deligendo officio sæpe inter se comparentur necesse est*. Et paulo post: *Princeps omnium virtutum est illa Sapientia, quam σοφίαν Græci vocant: Prudentiam enim, quam Græci φρόνησιν dicunt, aliam quamdam intelligimus, quæ est rerum expetendarum fugiendarumque scientia. Illa autem Sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum atque humanarum scientia, in qua continetur Deorum & hominum communitas inter ipsos*. hæc Cicero. Quibus tu putas adversus se testimonium dicere: sed tu nimium negligenter ejus verba con-

consideras. Non enim docet hoc loco, quemadmodum tu existimas, quæ sit inter sapientiam & prudentiam differentia, quæ nulla est: sed quomodo Græci σοφιαν & φρονησιν distinguant: nam cum dicit, illa sapientia, quam σοφιαν Græci vocant, ostendit, aliam etiam esse sapientiam, quæ σοφια non vocetur: atque ideo subjungit, Eam prudentiam, quam Græci φρονησιν vocant, aliam quamdam esse sapientiam. Itaque duas statuit sapientias, vel prudentias: unam, quam Græci σοφιαν, alteram, quam φρονησιν vocant. Apud Latinos tamen omnis sapientia, prudentia vocatur: quod apertissime non ita multo post his verbis idem Cicero docet: *Ita illi ipsi doctrinæ studiis, & sapientiæ dediti, ad hominum utilitatem suam prudentiam, intelligentiamque potissimum conferunt*, Tolle eam dictionem, *Prudentiam*, & loco ejus statue *Sapientiam*, hoc modo: Ad hominum utilitatem suam sapientiam intelligentiamque potissimum conferunt: atque idem esse penitus videbis. Etenim si recte virtus omnis a Latinis in quatuor partes est distributa, quod secundo de Inventione docet Cicero, *in prudentiam*, *justitiam*, *fortitudinem*, *& temperantiam*: illa sapientia princeps, aut virtus non erit, aut prudentiæ nomine continebitur. Virtutem non esse, dicere sapientiam, dementis est, cum rectissime virtutum omnium dicatur princeps Sapientia. Igitur sub Prudentia continetur. Quare tot argumentis victus, fateare tandem necesse est, Prudentiam tamquam genus quoddam esse, quod omnem artem, omnem scientiam, omnem denique sapientiam complectatur. Illi vero tuæ opinioni, quia nihil ad hunc locum facit, non respondebo, in qua dicis, Reluctante Fortuna prudentiam numquam finem suum assequi: cum præsertim eam existimem a Christiana religione longe alienam, & (ut vulgo dicunt) hæreticam. Itaque viderint alii: mihi satis est Ciceronem defendere. Quod autem dicis, Sapientiam in iis tantum versari, quæ semper eodem modo se habent, ut in divinis & æternis, omnino falsum est. Nam non minima sapientiæ pars est, in sedandis animi cupiditatibus, & in efficiendo, ut appetitus rationi pareant, unde Socrates sapientissimus omnium fuit appellatus, non quod divina semper atque æterna tractaret, quippe qui putaret, *Quæ supra nos, nihil ad nos attinere*: relictaque cura rerum naturalium, ac cælestium, omne suum studium ad formandos mores transtulit: diligenterque cogitare cœpit, quid esset expetendum homini, & quid fugiendum: quod proprie prudentis officium est. Non ergo Sapiens est appellatus, quod eam esset adeptus, quam tu solam sapientiam esse censes: sed quod hanc, quam Cicero Prudentiam appellat, exerceret. Quod vero prudentiam non circa vera & falsa versari scribis, sed circa utilia, & inutilia, nescio quæ te agitet intemperies, ut Prudentiam esse velis mercaturam quamdam, quæ tantum de utili & non utili cogitet. Nullam ergo, te præceptore, prudentia partem honestatis attinget? non erit omnium virtutum moderatrix? non erit rerum honestarum & turpium scientia? nesciet inter verum & falsum distinguere? Quæ, malum, est ista tua pravitas, aut animi cæcitas, ut solos nobis mercatores prudentes esse persuadere velis: cum apud Latinos nulla major laus esse possit, quam si quis Prudentissimus appelletur? eum enim demum omnibus virtutibus exornatum

natum

natum intelligimus, quoniam virtutes aliæ prudentiam (veluti ducem) semper & ubique comitantur, neque ab ea latum (ut dici solet) unguem discedunt umquam.

Jacobus Griffolus
Ad septimum decimam Cælii Calcagnini disquisitionem.

PRudentiam, & sapientiam Cælio ita videtur commiscere M. Tullius, ut non facile intelligatur quid altera differat ab altera. Ciceronis autem verba hæc sunt ex primo Off. *In prima parte, in qua sapientiam, & prudentiam ponimus, inest indagatio, atque inventio veri, ejusque virtutis hoc munus est proprium; ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique & acutissime, & celerrime potest & videre, & explicare rationem, is prudentissimus, & sapientissimus rite haberi potest.* Hoc in loco Cælius duo falsissima suo judicio deprehendit; primum eamdem esse virtutem, prudentiam & sapientiam, cum diversam definitionem habeant, tum prudentiæ esse munus indagandi, & inveniendi veri, atque non solum hæc Arist. auctoritate, sed etiam Ciceronis ipsius levitate sibi demonstrasse visus est: cur autem Cælius sic obstinate Mar. Tullium persequi voluerit, ut usui nihil quidquam cederet, quem penes arbitrium & vis, & norma loquendi est, miror. Huic se Cicero quoque in Oratore suo nonnumquam cessisse confitetur, quem si Cælius imitari voluisset, usum loquendi populo, ut Cicero fecit, concessisset, sibi vero scientiam reservasset: quapropter si consuetudo ita loquitur, ut pro prudentia frequenter sapientiam usurpet, nimium putide ipse studuit proprietatem Latini, Græcique sermonis conservare; nam quod M. Tullium, Arist. aliosque maximos philosophos diligenter fortasse legerit, quam qui maxime, judicio nobis esse debet, quod jam rationem prudentiæ, atque sapientiæ aptissimis definitionibus expressit, non solum in primo & secundo Officiorum libro, sed etiam in quarto Tusc. Sed tamen ostendam M. Tull. in eo & nonnullis aliis locis utramque ita conjunxisse, ut nulla confusione perturbarit; cum enim propriam esse hominis posuisset veri inquisitionem atque investigationem, existimavit hanc veritatem non in rebus humanis tantum, quæ in nostris actionibus versantur, sed etiam in earum rerum scientia, quæ sunt occultiores, & magis in natura ipsa reconditæ; cum autem utraque indagatio ad mentis nostræ sagacitatem pertineat, jure hominis esse propriam existimavit, & quamvis prudentem virum statuat eum, qui sit utriusque cognitionis compos, non tamen eas ita permiscet, ut idem esse velit, sed prudenti viro tribuit utramque partem. Quod ut intelligatur eum de prudentia loqueretur, ait: In qua sapientiam & prudentiam ponimus, inest indagatio, atque inventio veri, ejusque virtutis hoc munus est proprium. Ex quibus prudentis viri partes esse quasi duas ostendit, alteram quæ nomen retinet prudentiæ: alteram, quæ sapientia nuncupatur, ut in partitione justitiæ & fortitudinis idem fecit; nam illius primam partem justitiam appellat, liberalitatem vero, seu beneficentiam secundam; in hac autem forti-

tudi-

tudinem primam, & alteram patientiam nominavit. Quis miretur igitur si idem is fecerit in distributione prudentiæ? hunc autem fuisse Ciceronis sensum in eodem Officiorum libro, & in eodem fere loco videtur declarare, ubi ait: *Ex quatuor autem locis, in quos honesti naturam, vimque divisimus, primus ille qui in veri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam, quæ cognitio ad studia rerum obscurarum pertinet, ut ex illius exemplis constat, quibus ostendit illa duo vitia in eo genere vitanda esse, unum ne incognita pro cognitis habeamus, alterum ne nimis magnum studium multaque opera in res obscuras, atque difficiles conferamus*. Sed non ita multo ante in hac eadem explicatione: *Prudentiæ cognitionem*, inquit, *rerum aut occultarum aut admirabilium ad bene, beateque vivendum necessariam ducimus*. Præterea si sapientia est rerum humanarum atque divinarum scientia, prudentiæ partes in ea continentur, quare sapiens jure prudens appellari potest; num igitur si utraque sit in uno facultas, divisus erit sapiens? aut confusæ facultates? ex his fit, ut Cicero prudentiam nonnumquam sapientiam appellet, ut in partitionibus: *Est igitur*, inquit, *vis virtutis duplex, aut enim scientia cernitur virtus, aut actione; namque prudentia, quæ calliditas, quæque gravissimo nomine sapientia appellatur, scientia pollet una*; sed etiam usui dandum est aliquid non solum Ciceronis, sed etiam philosophorum. M. enim Tull. in quarto de Fin. sapientiæ munus, & opus esse dicit in delectu rerum; legitur in tertio Tuscul. ubi de morbis animorum agitur, *sapientiam esse sanitatem animi*, *insipientiam quasi insanitatem*: adde quod sapientes non modo Latini, sed etiam Græci ex Officiorum frequentia nominabant, ut in tertio Officiorum docet M. Tullius; cum dicit: *Neque eum duo Decii, aut duo Scip. fortes viri commemorantur, aut eum Fabritius aut Aristides justus nominatur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his justitiæ tamquam a sapiente petitur exemplum*; *nemo enim horum sic sapiens est, ut sapientem intelligi hic volumus, nec ii qui sapientes habiti sunt, & nominati M. Cato, & C. Lælius sapientes fuerunt, nec illi quidem septem, sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quamdam gerebant, speciemque sapientum*. Iam hîc arbitror patere quos sæpe intelligat M. T. sapientes, non perfectos scilicet, sed eos qui virtutibus iis, quæ ad mores pertinent, erant instructi, & eadem ratione sapientiam, quæ perfecta non sit, pro prudentia usurpat, ut paulo ante hunc locum aperte docet; inquit enim: *In iis autem, in quibus sapientia perfecta non est, ipsum illud quidem perfectum honestum nullo modo esse potest, similitudines honesti esse possunt*; fuisset hoc igitur prudentiæ, sapientiæque Cælii conferre locos Ciceronis, ut quod usitatum esset, in eo tam temere non improbaret, eum præsertim videret, eum modo propriam vim sapientiæ, modo impropriam explicantem. At videamus jam num tandem Arist. sapientiam esse semper dicat, divinarumque rerum cognitionem, hic in sexto Ethic. *Quemlibet artificem qui in arte sua præstans sit, Sapientem*, ait, *appellari*, sed Thragem Platonis lege, jam hæc omnia copiosissime disputari reperies, sed Hom. etiam συβοσην illum Ithacensem toties ὄρχαμον ἀνδρων nominavit, quod suum pastor esset optimus. Quod si in quavis arte præstantes homines illius artis sapientes vocari possunt, & principes, quid in arte vivendi

vivendi, qua quidem nulla major, nec æque necessaria excogitari potest? sapientes quidem appellemus, quamvis in humanis tantum rebus, & singularibus versaretur illorum sapientia, ut Græci primum, & postea Latini consueverunt, quibus ducibus errare pulcherrimum videtur; est igitur imperfectior quædam sapientia, quæ tam subtilem definitionem suscipere non potest, quam illa, quæ rerum humanarum, & divinarum, causarumque, quibus hæ res continentur, est scientia. Sic etiam poetæ sentiunt, ut Hor. qui ait: *Virtus est vitium fugere, & sapientia prima stultitia caruisse*. Idem alibi latius, & melius inquit. *Quis nam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus, Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent, Responsare cupidinibus, contemnere honores Fortis, & in se ipso totus teres, atque rotundus; Externi ne quid valeat per leue morari, In quem manca ruit fortuna.* Eadem Vir. in viro bono, eadem M. Tullius in Tusc. & paradoxis, ubi quid possit virtus, & hæc sapientia, quæ magnitudinem animi complectitur, & justitiam, constat: quare nulli tantus vir commiscere virtutes illas, aut confundere videri debet, quid oportuit igitur in exponendis earum rerum differentiis laborare? quasi vero Cicero eas non expresserit definitionibus. At videamus jam, quod est secundum a Cælio reprehensum, utrum munus sit prudentiæ investigandi, & inveniendi veri. *Prudentis esse censet* Arist. *bene, & utiliter suis rebus ad bene vivendum pertinentibus consulere;* quæro igitur numquid suis rebus bene prospiciat, qui veritatem assequi non curet? nonne propositum habere debet vir prudens, ut suo consilio res suas aut tueatur, aut augeat, aut quidquid oporteat bene geratur? ubi nam est aptitudo illa, quam dicit Ar. prudentis esse ad bene deliberandum? Nonne in prospicientia quadam, & sagacitate, quæ virtus est in homine, qua causas rerum, & consecutiones, & similitudines transferat, & disjuncta conjungat, & cum præsentibus futura copulet, & omnem complectatur vitæ consequentis statum? equidem rationem esse puto jam longa experientia perfectam. At utilia, inquit, & inutilia, appetenda & rejicienda prudens intermiscet; sed hæc ipsa an sibi successura sint, & ne judicio fallatur, non considerabit iste prudens? jam quonam modo utilene sit aliquid, an inutile quisquam discernet, qui veritatem veluti materiam sibi subjectam non habeat? quod si prudentiam esse rerum expetendarum, fugiendarumque scientiam, ut voluit M. Tull. negat Cælius, concedat saltem eam esse habitum agendi ea, quæ homini sunt bona, vel mala vera, cum ratione, ut voluit Arist. at si huic adimas officium veritatis indagandæ, oculum, quem illi Plato tribuit, eripies. *Veritatis matrem esse longi temporis experientiam* dicunt, & propterea negant Phil. posse juvenes prudentes esse; verum constituit Cæl. temerarium esse quemdam prudentem virum, aut in re quadam communi, & naturali prudentiam versari, cum verumne sit aliquid, an falsum dijudicat; sed aberrat toto, ut ajunt, Cælo; nam, ut paulo post constabit, *prudens cum veritatem rei quærit in sua ipsius propria materia versatur, nec si unusquisque in actionibus suis ne decipiatur errore cavet, est prudens appellandus; unus enim quisque omnibus virtutibus esset compos, quarum quidem nulla esse potest a prudentia disjuncta, sed prudens est ille, qui in*

suis consiliis, *& deliberationibus de rebus honestis non fallitur*; *nam bona*, *& recta consideratio*, *atque deliberatio est ea*, *quæ bonum finem ratione congruo & opportuno tempore consequitur*: *atque id perspicuo lumine veritatis*, *quod non est omnibus mentibus commune*, *sed est unius tantum prudentis*, *& sapientis viri*; *nam prudentiæ propria vis est in sola scientia*, *ceterarum virtutum in actione*. Quare M. Tull. recte dixit vim *virtutis esse duplicem*; *aut enim*, inquit, *scientia cernitur virtus*, *aut actione*; *nam quæ prudentia*, *quæ calliditas*, *quæque gravissimo nomine sapientia appellatur*, *hæc scientia pollet una*, *quæ vero moderandis cupiditatibus*, *regendisque moribus laudatur*, *ejus est munus in agendo*, *cui temperantiæ nomen est*. Aristoteles ait, *ad prudentiam rationes attinere*; *nam quid dicemus esse*, *quod fiat cum ratione sine luce veritatis*? *una igitur scientia pollet prudentia*, *quid ita*? *quia cum quid agendum sit*, *& quomodo*, *& quando ea statuerit*, *ceteræ virtutes agent*; *præfert enim lumen veritatis*, *& se ducem præstat ceteris virtutibus*. Ne miretur quisquam igitur si negant philosophi sine hac virtute nullam aliam posse consistere virtutem; hæc enim inquirit, consultat, delibérat, consilium agendi rectum capit: agit deinde temperatus, aut fortis, aut justus; quod idem Cicero pro Sextio demonstrat; inquit enim: *Si leges non valerent*, *judicia non essent*, *si respub. vi*, *consensuque audacium armis oppressa teneretur*, *præsidio*, *& copiis defendi vitam*, *& libertatem necesse esset*: *hoc sentire prudentiæ est*, *facere fortitudinis*, *sentire vero*, *& facere perfectæ cumulatæque virtutis*. Illa vero Panætii triplex consilii capiendi deliberatio, quam Cælius defendit, aut illa quinquepartita Ciceronis, quam reprehendit ad neminem spectat, nisi ad prudentem, cujus Arist. in sexto Ethicorum verum esse judicium ita confirmat: *Ειδη των φρονιμων το ευβυλευεσθαι*, *ἡ ευβυλια ειη αν ορθοτης*, *ἡ κατα το συμφερον προς τι τελος*, *υ ἡ φρονησις αληθης ὑποληψις εςι*. hoc est: *Quod si prudentis est bene consultare*, *bona consultatio est ea*, *quæ utiliter ad aliquem finem recta via perducit*, *cujus finis prudentia est verum judicium*. Nemo alius auctoritate Arist. suis conjecturis ut prudens ad veritatem potest pervenire, nec est aliarum virtutum hoc idem propositum, ut Cælius confirmat, in quo vehementer errat; nam si justus juste facit, & hoc sibi proponit, ut tamen id cognoscat & assequatur prudentia nititur, non justitia; neque enim justitia esse potest, aut alia virtus sine prudentia; nam hæ si per se falsum, & verum perspicere possent, supervacanea esset hæc prudentiæ tam celebrata virtus; at, ut semel finiam, omnes habemus contra Cælium, qui prudentiam dicit adjutrice fortuna indigere, quod reluctante fortuna finem suum numquam assequatur; at quisnam finis est prudentis, & sapientis viri? certe si est prudentiæ rem bene, & diligenter considerare, consiliumque quod optimum esse videatur, sequi, quoties ea hæc effecerit, finem suum erit assecuta; nunc igitur quæro, num fortuna vim considerandi, & interiorem animæ virtutem prudentis viri possit impedire; omnes credo sanæ mentis viri negant; nam aliæ virtutes fortasse, ut quæ versantur in actione. possent vi fortunæ disturbari; constat enim prudentiæ, quid agendum sit, invenire liberum esse, fortitudini vero agere non item, quamquam in hoc etiam cum doctis viris est sentiendum, qui prudentiæ o-

mnes virtutes subjicientes prudentem virum statuunt omnibus virtutibus instructum esse : ergo felicem : cujus Arist. in secundo Ethic. non adeo infirma fundamenta jecit, ut tam facile possit everti : *An vel Epicurum dicere nescimus fortunam exiguam intervenire sapienti? quid si cum Stoicis sensisset, qui beato viro non ea tribuebant, in quibus fortuna dominatur? si vero Peripateticus fuisset exiguum statuisset esse, quod de beata vita per fortunam detrahi potuisset : at si tam firma fundamenta voluptatis esse statuebat, quis audeat virtutem in fortunae potestatem ponere?*

Decima octava Celii Calcagnini disquisitio.

In libro Officiorum tertio. Est etiam, inquit, jus bellicum, fidesque jurisjurandi saepe hosti servanda. Quod enim juratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id observandum est. Quod aliter, id si non fecerit, nullum perjurium est, ut si praedonibus pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est : ne si juratus quidem id non feceris. Nam pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium. Cum hoc non fides esse debet, non jusjurandum commune; non enim falsum jurare, pejerare est: sed quod ex animi tui sententia juraveris, sicut verbis concipitur, more nostro id non facere, perjurium est. Scite enim Euripides : *Iuravi lingua, mentem injuratam gero*. Regulus vero non debuit conditiones pactionesque bellicas & hostiles perturbare perjurio. Cum justo enim & legitimo hoste res gerebatur, adversus quem & totum jus feciale, & multa sunt jura. Hoc loco mihi videtur Cicero parum constantiam suam servasse, quum jurandum cuiquam arbitratur, quod mens concipiat fieri non oportere, praesertim quum in his libris decretis Stoicorum nomen dederit, apud quos nullus est tam gravis metus, qui in constantem virum cadere possit, qui non malit mori, quam quidquam praeter dignitatem aggredi. Nunc mitto, quod neque praedoni fallendam fidem, neque gladium furioso abjurandum putant. Quod si ex severitate illa Stoica, & duritie summi & absoluti officii, alio loco a nobis improbati, aliquid recidendum putamus : sane tacito quodam hominum judicio constitutum est, ut praedoni & sicario fides servetur; non quia sit ex perduellium numero definitus, nec ut ex suo scelere aliquid commodi lucrifaciat : sed ne violato hoc jurejurando protinus materia detur ad majus nefas : & captivi, qui spe praedae servantur, ut aliquando incolumes emittantur, praecisa utilitatis expectatione, actutum jugulum praebeant carnifici. Illud quoque non video quomodo probari possit, falsum jurare non esse pejerare, sed quod ex animi tui sententia juraveris. Sicut enim oratio non dicentis, sed audientis gratia inventa est : ita jusjurandum non ejus qui se juramento obstringit, sed ejus cui obstringitur causa institutum est. Et profecto si juras, ut fallas, ab ipso usque principio perjurium est. Nam quid aliud pejerare est, nisi perperam & in alterius fraudem jurare? quod in ipsis fit auspiciis, quum verbis conceptis te in juramentum adigis : atque ita inducis animum, ut jam tuam fidem fallas, quocumque id nomine aut titu-

titulo prætexas. Certe Plato secundo Legum libro id fieri vetat: *Ne quid in deos pecces, quorum majestas violati putatur, si parum religiose jusjurandum servaveris: cujus ipsi aut testes, aut vindices invocati sunt*. Ob id probe ac sancte fecisse videntur, qui numquam subeundum jusjurandum monuerunt. Ea causa Socrates vel canem vel anserem, Zeno capparim adjurabat: non quod in iis aliquid numinis esse suspicarentur, sed nequando temere deorum nomine abuterentur. Hoc præterea in disquisitionem vocandum puto, quodnam sit jusjurandum, quod invitus aut ex animi tui sententia susceperis. Nihil enim a quoquam invito fieri aut dici existimandum est, cujus principium in nobis ipsis situm sit, ita ut id agere, aut prætermittere, integrum sit nobis. Nam quæ pendent ex animi nostri sententia, ea plane nostra fieri sponte, & in nostra esse potestate, vel Epicteto auctore, jure dixerimus. Econtra, quæ extra nos sunt, quæque principium & impulsum habent aliunde, ita ut reluctantes repugnantesque non urgeant, hæc merito cogentia & violenta dixerimus. Cujus rei judicium est, quod dum hæc agantur, vel acta sunt, dolemus: in superioribus autem illis, nullum doloris testimonium accedit, ex quo facile agnoscas, non esse violenta, neque præter animi voluntatem. Qui enim captus est a prædonibus, qui in vinculis retinetur apud Tyrannum, si quid pejeret sui commodi gratia, ut se in libertatem vindicet, seque ab ea necessitate eximat, sane volens & propria animi inductione hoc agit. Neque aut dum pejerat, neque quum pejeravit, angitur: sed lætatur potius, se ea fraude vel prædonibus vel Tyranno imposuisse, suisque rebus consuluisse. Quod planissime testimonium est, eum nihil coactum, & præter animi sententiam fecisse. Atque hoc peritissimi in hac censura sentiunt. Quid vero dicam, quod nonnulla sunt, quæ animum mordent, & permoleste habent, & tamen nostra sponte provenisse arbitrantur? ut si quis cruciatibus actus patriam prodiderit, si vi tempestatis consternatus jacturam fecerit. Nec enim verisimile est, quemquam aut patriam prodere, aut suarum rerum jacturam facere velle; hæc tamen etsi molestiam afferant, & si pœnitentia permoveant animos, quia ortum habent ab animi nostri sententia, idcirco voluntaria censetur. Ex iis in confesso est, quoties quis falsum jurat, quia volens & sciens fallit, quia Deos suæ testes fraudis vocat, quia suo scelere non affligitur, sed potius gaudet, sibique gratulatur: eum perjurio obstringi, nec prætextu suo latebram inveniri posse facinori. Quod si quis hac in re argutator dixerit, hujus perjurii principium non a libertate consilii nostri, sed vel a timore, vel a spe, vel ab alio quopiam affectu proficisci: is se nihil dixisse demum intelliget, si observaverit, nullam esse actionem humanam, quæ ab aliquo humani animi motu non ortum capessat. Aut amor, aut libido, aut voluptas, aut alius quispiam affectus mortalium animos percellit. Ita in functionibus humanis nihil erit, quod voluntarium & ultroneum dici possit. Quod quam sit absurdum, melius agnoscent, qui recta opera voluntate metiuntur, & iis præmia deberi contendunt, quam a nobis possit oratione explicari.

M. Ant.

M. Ant. Majoragii Decisio decima octava.

AGe vero quam temere, quam insolenter, quam contumeliose Ciceronem inconstantiæ damnas, ut omnem ei (si fieri potest) auctoritatem adimas, & tibi magnam ingenii gloriam compares. Siquidem inconstantia levatur auctoritas, & damnandis aliorum erroribus solent homines plerumque gloriam acquirere. Verum fallit te incautum frigida calliditas tua: nam Ciceronis auctoritas adeo firmis est nixa radicibus, ut nulla vi neque convelli, neque labefactari possit. Tua vero mala, atque nugatoria accusatio, non errores damnat Ciceronis, qui nulli sunt: sed imperitiam, atque malitiam tuam ostentat. Quid enim reprehendis hoc loco tot ambagibus? Nihil aliud certe, nisi quod ait Cicero: *Iusjurandum aliquando non esse servandum: ut si prædonibus* (inquit) *pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si juratus quidem id non feceris. Nam pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium: cum hoc non fides esse debet, non jusjurandum commune. Non enim falsum jurare, pejerare est: sed quod ex animi tui sententia juraveris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, perjurium est.* Scite enim Euripides,

Iuravi lingua, mentem injuratam gero.

Regulus vero non debuit conditiones, pactionesque bellicas, & hostiles perturbare perjurio, cum justo enim, & legitimo hoste res gerebatur, adversus quem & totum jus feciale, & multa sunt jura. Hoc loco (inquis) mihi videtur Cicero parum constantiam suam servare, quum jurandum cuiquam arbitratur, quod mens concipiat, fieri non oportere. Et tibi videtur quidem: sed quo tempore, aut qua diei parte? Non primo diluculo, ut opinor, sed a cœna fortasse, cum furor accessit capiti, numerusque lucernis. Vbi enim est ista, quam accusas, Ciceronis inconstantia? nullam enim ego video. Quod jusjurandum (inquis) non semper servandum existimat, præsertim cum in iis libris decretis Stoicorum nomen dederit, apud quos nullus est tam gravis metus, qui in constantem virum cadere possit, qui non malit mori, quam quidquam præter dignitatem aggredi. Sed tu (quod pace tua dixerim) nimis inepte Stoicorum hoc loco mentionem facis. Nam quamvis initio dixerit Cicero, se Stoicos in hoc opere potissimum sequi, non tamen hæc officiorum præcepta ad solos Stoicos pertinent, sed ad omne genus hominum, quod his verbis Cicero tertio de Officiis testatur: *Hæc igitur officia, de quibus his libris disserimus, quasi secunda quædam honesta esse dicunt, non sapientum modo propria, sed cum omni hominum genere communia. Itaque his omnes, in quibus est virtutis indoles, commoventur.* Quamobrem non quærendum est in hac parte, quam positionem Stoici tueantur, sed quid officio conveniat aut repugnet, an liceat aliquando quod juraveris non servare: an contra officium faciat, qui Tyranno, aut prædoni fidem fallit. Non enim omnes, qui ad jusjurandum coguntur, Stoici sunt, ut in eos nullus cadat timor, nulla perturbatio: quin potius nulli fere, aut certe paucissimi reperiuntur,

qui

qui in magnis periculis atque calamitatibus non moveantur, aut animo cadant. Est enim naturale quiddam in animis nostris tenerum, atque molle, quod periculo & miseria, quasi tempestate quatiatur. Veniat igitur jam illud solum in dubitationem, non quid Stoicum hominem deceat, sed an aliquando jusjurandum violari sine scelere possit. Quod si, prætermissa Stoicorum severitate, diligenter quid ratio postulet, considerare voluerimus: profecto repetiemus, multa hujusmodi posse tempora accidere, in quibus quod juraveris non servandum sit. Neque enim verum est, quod ais, tacito quodam hominum judicio constitutum esse, ut prædoni & sicario fides servetur. Quin potius (ut arbitror) vix ullus reperietur tam religiosus, qui si potuerit e. sicariorum, aut piratarum manibus effugere, etiam si millies juratus fuerit, se rediturum, revertatur: neque prædonum quemquam reperies, qui jurejurando contentus eum dimittat, quem captivum fecerit, nisi aut fidejussorem dederit, aut aliquem carum, puta filium, aut fratrem, aut parentem, aut denique necessarium aliquem pro vade reliquerit. Quæ res omnino declarat, nullam esse jurisjurandi cum prædonibus religionem: quippe quibus cum nulla debet esse societas, nulla vitæ communitas, nulla conventio, nullum fœdus. Eodem enim animo debemus in prædones esse, quo sumus in Tyrannos, quos Reipub. gratia quoquo modo de medio tollere semper gloriosissimum fuit, ut apud Græcos olim Tyrannicidæ divinos honores consequerentur. *Nulla enim nobis* (ut ait Cicero) *cum Tyrannis societas est, sed potius summa distractio est: neque est contra naturam, spoliare eum, si possis, quem honestum est necare: atque hoc omne genus pestiferum, atque impium ex hominum communitate exterminandum est. Etenim ut membra quædam amputantur, si & ipsa sanguine, & tamquam spiritu carere cœperint, & nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas, & immanitas belluæ, a communi tamquam humanitate corporis segreganda est.* Non est igitur contra officium, fidem Tyrannis, ac prædonibus datam fallere, cum quibus nulla potest esse pax, aut societas. Neque est id periculum, quod tu frustra nobis intentas, ne violato hoc jurejurando, protinus materia detur ad majus nefas: perinde, quasi jam viceris, hoc esse nefas, aut aperiat Cicero quasi fenestram ad maleficium. Nam qui intelligit maximam esse oportere jurisjurandi religionem apud omnes homines, quibus cum aliqua potest esse societas, aut communitas: is, tametsi prædones fefellerit, qui ab omni humano jure sunt alieni, non tamen protinus in aliis rebus ad perjurium promtus erit. Neque enim hoc est consectarium: Prædones aut Tyrannum fefellisti, ergo tibi aliis in rebus fidendum non est: sicut illud Terentii: *Nam qui fallere consueverit patrem, tanto magis audebit ceteros*. Ergo sublata hac causa, nihil est, quare fides prædonibus servanda esse videatur. Sed illud a te peto, utrum putes semper esse servandum jusjurandum, an aliquando violandum? Si semper servandum est, sequitur, ut si Tyrannus, aut aliquis impius magistratus jurare per vim quempiam coegerit, ut patriam prodat, aut utrumque parentem interficiat, id omnino sit faciendum. Quod certe, nisi penitus ratione cares, non audebis affirmare. Licet igitur aliquando quod juraveris

veris non facere ; quin potius flagitium sit , & maximum scelus , si id facias . Quæ cum ita sint , vides te de illa sententia tua depulsum , neque semper præstandum esse jusjurandum , cum hujusmodi tempora incidant , ut non facere quod juraveris , nullum sit flagitium . Quod si quando violare licet jusjurandum , tunc profecto violandum est ; cum homines perditissimos , ac profligatissimos decipimus , quos perdere atque exterminare , si fieri posset , esset optimum . Quod vero tibi non probatur , falsum jurare , non esse pejerare , nimis quidem crassa (quod ajunt) Minerva Perjurium definis, si credis , omne falsum jusjurandum esse perjurium : & Pejerare nihil aliud esse , quam falsum jurare . Sæpe enim accidere potest , ut quis falsum juret , neque tamen sit perjurus : *ut si deceptus ab adversario quispiam juret : patet* (inquit Aristoteles in Rhetoricis) *id perjurium non esse* . Et si juraveris, te daturum alicui pecunias, quas domi numeratas in arca te possidere putes: & domum reversus , effractam arcam, & furto sublatas eas pecunias repereris , hîc quidem nullum est perjurium , cum tamen falsum sit jusjurandum. Et quemadmodum sæpenumero fit , ut ea dicendo affirmemus , quæ minime vera sint , quoniam esse arbitramur, neque tamen ideo mendaces habemur: ita sæpe falsum juramus , neque tamen pejeramus . Est enim Pejerare consulto , ac dedita opera , perperam , & contra leges , ac justitiam, in alterius fraudem jurare . Non est igitur perjurium, prædones fallere : non enim hoc est contra leges ac justitiam . Nam si juste possunt interfici, quanto justius fallentur ? & si leges permittunt , ut eos trucidemus ; quanto magis , ut decipiamus ? Licet igitur piratas & sicarios impune persequi , spoliare , vulnerare, & denique omni cruciatu necare: Si quidem Principis, aut Magistratus actoritas , aut saltem Societatis publicæ consentio intercesserit ; idque vel expresso , vel tacito prudenterque præsumto judicio constet : atque hujusmodi piratæ , aut Sicarii injuste nos aggrediantur : & qui hoc faciunt , præmia sæpenumero consequuntur ; & eosdem per jusjurandum fallere, te auctore, non licebit ? At Plato nos vetat pejerare. Vetant etiam Christianæ leges , quæ longe majoris sunt ponderis, ac momenti, quam Platonicæ . Sed nos contendimus prædones fallere non esse pejerare . Perjurium enim omne contra justitiam est , & omnia jura divina , atque humana subvertit : quod autem in prædonum ac sicariorum perniciem aut fraudem committitur , id omne justum ac legitimum esse nemini dubium est : quoniam hujusmodi pestis hominum quoquo modo tollenda est . Non est igitur , prædones fallere , perjurium . At probe , & sancte fecisse videntur , qui numquam jurandum esse monuerunt . Quis negat ? siquidem id fieri potest . Nam qui cupide jurare solent , ii facile perjurium committunt . Non ergo jurare debet quisquam , nisi magna aliqua coactus necessitate. Atque hoc modo Divus Augustinus præceptum illud Evangelicum interpretatur : *Nolite jurare omnino* , cujus verba libet adscribere : Ita ergo præcepisse dominum intelligitur , ne juraretur , ne quispiam sicut bonum appetat jusjurandum , & assiduitate jurandi ad perjurium delabatur per consuetudinem . Quapropter qui intelligit non in bonis , sed in necessariis jurationem habendam , refrænet se quan-

se quantum potest, ut non ea utatur, nisi necessitas cogat. Ridiculum vero quod Socrates vel per canem, vel per anserem, Zeno per capparim juraret. *Est enim jusjurandum affirmatio religiosa* (ut ait Cicero) atque ideo Divus Hieronymus inquit: *Qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat*; & Paulus ad Hebræos ait: *Homines per majorem se jurare debere, ut omnis controversiæ finis sit jusjurandum*. Neque in scripturis sacris per Deum jurare prohibemur, sed per ea, quæ sunt a Deo condita. Vult enim hunc a nobis honorem Deus, ut per ipsum solum juremus, quasi eum conscientiæ nostræ testem adducamus: ut videat quid mens concipiat fieri oportere. Si enim coacti juravimus non ex animi sententia, tum illud Euripidis juste possumus usurpare:

Iuravi lingua, mentem injuratam gero.

Non enim id facere te leges jubent, quod per vim coactus juraveris; quod etiam Aristoteles primo Rhetoricorum libro declarat, quem locum si aut legisses, aut considerasses, in hanc certe Ciceronis sententiam non esses argutatus. Nam illam tuam disputationem de Voluntario, & Violento, quam ex tertio Ethicorum ad verbum pene descripsisti, prætermittam: tantum dicam, te per negligentiam (ut opinor) non advertisse, quæ vi aliqua coacti facimus ab Aristotele simpliciter ακουσια, hoc est, violenta vel involuntaria dici, ut jusjurandum, ad quod per vim vel prædonum, vel Tyrannorum adigimur, recte violentum dici possit. Nam quamvis in potestate nostra situm sit, ut id vel suscipiamus, vel repellamus: simpliciter tamen, id non sponte facimus, sed vi extrinsecus adveniente, quæ majoris periculi timore nos jurare cogit: ut interim sileam, te id in disquisitionem vocare, quod nusquam Cicero dixit. Vbi enim loquitur Cicero de jurejurando violento? aut ubi dicit aliquem invitum, & præter voluntatem jurare? Vt liquido constet, te hoc finxisse, quo facilius ostentare posses, te apud Aristotelem, cujus tamen supprimis nomen, quæ sit inter Voluntarium, ac Violentum differentia, didicisse. Cum enim juramus, ab aliqua maiori potestate coacti, non id quidem præter voluntatem facimus: possumus enim non iurare, si volumus, & potius mortem oppetere: sed volentes juramus, non tamen ex animi sententia. Nam si nulla vis adesset, non juraremus. Hoc autem non facere, quod vi coactus iuraveris, nullum perjurium est, quod his verbis Rhetoricorum primo probat Aristoteles:

Εκουσιον γαρ το αδικειν εςι, το δε επιορκειν αδικειν εςι, τα δε βια και τα απατη ακουσια· ενταυθα ουν συνακτεον και το επιορκειν, ότι εςι το τη διανοια αλλ' ου τω ςοματι.

Quæ verba satis eleganter Trapezuntius vertit hoc modo: *Injuria enim ex voluntariis est, & Perjurium injuria est: cuncta vero, quæ vi, vel deceptione fiunt, involuntaria. Hinc colligitur, quid Pejerare sit: est enim mente, sed non ore*. Hæc Aristoteles, quæ ad amussim conveniunt cum hoc, quod ait Cicero: *Non enim falsum jurare, pejerare est: sed quod ex animi tui sententia juraris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, perjurium est*. Hæc profecto vides quam similia sint: quare aut absolvendus est ab hac criminatione Cicero, aut prius Ari-

Aristoteles condemnandus. Prius enim ipse dixit, Perjurium non ore, sed mente fieri; verum uterque rectissime sensit, nullum enim omnino maleficium committitur, cui non dolus malus, aut perversa voluntas accedat. A te vero,

——— velut ægri somnia, vanæ
Finguntur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ.

Iacobus Griffolus
Ad decimam octavam Cælii Calcagnini disquisitionem.

QVam sit æquus æstimator rerum Cælius, in his suis disquisitionibus pulcherrime declarat; nam si Stoico more agit Cicero, peccat, quoniam secus Arist. sin vero a Stoicis videatur quidquam dissentire, Stoicorum auctoritate convincitur, quid igitur illi fiet? credo equidem si viveret, retractaret omnes hos locos, ut Cælio morem gereret; at quoniam id non conceditur, experiamur hîc etiam, ut sæpe id fecimus, an efficere possimus, ut ne auctoritate Cælii inconstans Cicero fuisse videatur. Non est igitur, ut ait Cælius, gravitatis Stoicorum ullo adduci metu, ut malit vir fortis quidquam præter dignitatem aggredi, quam emori: quare Cicero, qui Stoicos in his libris imitatur, parum constanter jurandum cuiquam arbitratur, quod mens concipiat fieri non oportere, atque rationem, qua Cicero propositionem suam adprobat, sic infirmat, quamvis cum pirata nec fides esse debeat, nec jusjurandum commune, tamen inquit neque prædoni fallendam fidem, neque gladium furioso abjurandum putant, ac tacito quodam hominum judicio constitutum est, ut prædoni, & sicario fides servetur. Neque hoc sine adprobatione dixit, ait enim non quia sit ex perduellium numero definitus, nec ut ex suo scelere aliquid lucri faciat, sed ne violato hoc jurejurando protinus materia detur ad majus nefas, & captivi, qui spe prædæ servantur, ut aliquando incolumes emittantur, præcisa utilitatis expectatione, actutum jugulum præbeant carnifici, hæc Cælius. At quoniam sunt in hac disquisitione plures quæstiones, curemus primum tanti viri constantiam defendere. Cum nulla fides cum piratis, nullum jusjurandum sit commune, jurejurando putat Marcus Tullius piratis promittere licere, quod servare nolis, necesse est, qui velit hoc fundamentum evertere, hæc esse nobis communia cum piratis ostendat; nam quod gladium furioso abjurare liceat a Cicerone jam disputatum est, quod negent quidam prædoni fallendam esse fidem, nihil refert, non enim quid quisque neget, aut affirmet curandum est, sed quibus nitatur argumentis. Ratio Cic. firmissima videtur, nam quod ait Cæl. ne violato jurejurando actutum carnifici præbeatur jugulum, male hercule narrat; non enim ut jugulum petant surgunt de nocte latrones, sed ut faciant prædam, cujus spe sublata cædis causa sublata erit, & propterea cantabit vacuus coram latrone viator, nec ullus esset locus infestus latrociniis, si nemo secum nummos, aut alias res ferret, quibus cupidi-

piditas latronum excitaretur, aut pactum a viatoribus pretium non persolveretur. Quare si omnes quavis ratione fallerent prædones, aut occidi mallent, quam spe lucri latrocinium nutrire, nemo se gratis tot periculis exponeret, nemo communis hostis omnium esse vellet; oratio igitur Cælii fovet spem prædonum, quam Cicero prorsus adimit, neque vero, si nemo illis præstaret fidem, astutum peterent jugulum; sed ut quotidie fit, retinerent apud se captivos, donec pacta pro capite pecunia penderetur: id quod etiam inter justos, ac legitimos hostes fieri videmus. Mitto multas alias rationes, quibus cupiditatem suam, quam iram explere mallent. Quæ nam est igitur ista cædis tam nefandæ necessitas? nempe quæ ex tacito illo hominum judicio fit, quippe qui dum gladios latronum metuunt, aut ne, si fidem fallant, & iterum forte in eosdem incidant, gravius mulctentur, quod minime deberent jusjurandum servant; verum non solum veteres, qui cuncta metiebantur honestate, nec tanta Religionis pietate, quanta est Christianorum, tenebantur: sed nostri etiam Theologi confirmant, id nos præstare minime debere, quod vi coacti cuiquam juremus. Legitur apud Divum Thomam Aquinatem, ubi de juramento disputat (ut jam Cælium minus pudeat hoc verbum minime latinum sæpius usurpasse) *eos, qui jurant invite, omni religione talis jurisjurandi solvi, ac liberari oportere, & propterea libenter Pontifices eam religionem semper expiare, quod quidem nequaquam facerent, si qua vis in ejusmodi jurejurando foret*. Neque vero Divus Aquinas de Piratis loquitur, verum de quibusvis aliis, qui quavis causa homines cogant aliquid jurare, quod mente sua concipiant fieri non oportere. Præterea nonne justa nobis a Iure civili data est facultas abjurandi, si quid in carcere custoditi jurejurando promiserimus? quid ita? quia statuunt viri sapientes sine ulla suspicione coactæ voluntatis ratum esse jusjurandum oportere; jam vides arbitror sine perjurio posse dari falsum jusjurandum. Negat deinde Cælius se videre posse quonam modo falsum jurare non sit pejerare; at nec ego videre possum, si ea persona, cum qua nec fides, nec jusjurandum sit commune, periculo mortis proposito jurare te cogit, cur id jusjurandum servare te oporteat; nam mens tua, si verum fateare, non concepit oportere id fieri; magna vis est in hoc verbo *oportere*, quam Cælius non curat, at M. Tullius *oportere*, inquit, *declarat perfectionem officii, qua sumper utendum est, & omnibus*: quare nec ego, inquam, *video cur servare fidem perfidis oporteat*, id est officium servare sit necessarium illis, quibuscum nulla sit societas, nullum commercium, qui contra jus humanum, & divinum te tua libertate privent, ut tuæ pecuniæ vi jurisjurandi, quod ipsi nemini conservarent, dominos se faciant. At jusjurandum, inquit, non ejus, qui se jurando obstringit, sed ejus, cujus obstringitur, causa institutum est, quis negat? verum addas tu cum quo fides, & jusjurandum est commune; quare causa piratæ institutum esse nego, cum quo nec fides, nec jusjurandum est commune, & propterea nemo est perjurus, qui jureiurando eum fallat: nam quod pejerare ait esse perperam, & in fraudem alterius jurare, nihil ea definitio nos oppugnat; quoniam in piratas ea non est appellanda fraus, quos licet omnibus

bus insidiis & dolis fallere, capere, & obtruncare; quid hic mihi narrat auspicia? quid Platonem, qui de re justa, & legitima loquitur, ac temporum, & personarum rationem habet? at si quis in potestate prædonum esset, & per canem & anserem, aut etiam per capparim juraret, jam quanti Socratis & Zenonis religio ab illis fieret, experiretur. Iurejurando inquit (nam id erat tertium) invitus se nullus obstringit; immo vero dantur sæpe tempora, quibus ab invito permulta fiant, nec ignoramus quid Aristot. *περι των εκουσιων και ακουσιων* dicat, id est, *de iis rebus, quæ voluntate, & contra voluntatem fiunt*; nam quæ nos metu, vel spe alicujus maximi vel mali, vel boni facimus *μικται μεν εισιν αι τοιαυται πραξεις*, id est, *hujusmodi actiones sunt mistæ*; eas enim volentes simul, & nolentes agimus; serviendum est enim tempori potius, quam nobis: ita in quo tempori servitur, non inviti facimus, in quo vero jactura fit, inviti: qui piratis igitur cogitur jurare, pro tempore non invitus jurat, & tamen invitus, quia non potest alia ratione tam humilem, tam turpem, & obscuram mortem effugere, nec vitam suam commodis suorum & propinquorum, & in primis Reip. conservare, ita tamen ut opportuno tempore non pluris faciat turpem vitam, quam honestam, & claram mortem. Legimus apud Arist. *quam viro forti mors ignobilis gravis, & molesta sit, ut indigna ea virtute, qua se præditum cognoscit*. At quis prohibet eum jusjurandum conservare? eorum conditio, qui cogunt: deinde quantum est in eo, sceleratos homines a tam nefando instituto sic prohibere cogitat, quo quidem consilio nihil sanctius, Cælii vero nihil perversius; illud enim tollit piratas, hoc autem constituit.

Decima nona Celii Calcagnini disquisitio.

CIcero prope in fine tertii de Officiis: *Conferamus igitur in pauca. Nam ut utilitatem nullam esse docuimus, quæ honestati esset contraria: sic omnem voluptatem dicimus honestati esse contrariam*. Ego contra, honestate nihil melius, nihil dulcius, nihil magis voluptificum, nihil magis naturæ consentaneum puto. Ac longe illos falli arbitror, qui voluptatem ab honestate diremerunt: quam hæc duo sint omnium maxime, animantum generi accommoda. Multoque minus mea sententia, voluptas ab honestate, quam utilitas sejungi potest. Nam ratio voluptatis multo magis per se innata est, quam ratio utilitatis, quæ plerumque extra nos est, & adscititia advenit. Neque voluptates nunc libidines, aliasque improbitates voco: quibus & honestati & voluptati nihil magis contrarium arbitror, nisi quatenus naturæ necessitati morigeramur, sed consentientem animi & corporis habitum, tranquillitate & constantia perfruentem. Hanc denique veram voluptatem existimo, quæ ab honestate numquam abjungi potest. Certe hujus sententiæ nostræ Eudoxum, virum gravissimum, & Aristotelem philosophorum acutissimum, auctores habemus, quorum alter *voluptatem summum bonum*, alter *summum bonum non constare sine voluptate contendit*. Vt nemo putet, vel solum Aristippum, vel solum Epicurum fuisse voluptati patrocinatum. Tametsi hoc inter nos atque illos interest,

tereſt, quod illi voluptatem brutis communem, & corpori agnatam admirantur: nos cæleſtem illam tantum, & Diis, hominibuſque Diis ſimillimis familiarem adprobamus.

M. Ant. Majoragii Deciſio decima nona.

NAm quod argumentaris, a Cicerone non recte dictum eſſe, *Voluptatem omnem honeſtati eſſe contrariam*, quis eſt, qui non videat, te pueriliter in ambiguis ludere, aut certe non intelligere, quæ ſit Latini ſermonis proprietas? Voluptas enim a Latinis duobus modis capi ſolet: aut proprie, aut translate. Proprie voluptas ea dicitur, quæ ſenſus jucunde movet, quæ boni naturam fallaciter imitando adulterat, quæ eſt illecebra turpitudinis. Translate, pro omni delectatione capi ſolet: ut in epiſtolis: *Ex tuis litteris cepi incredibilem voluptatem*: & alibi; *Capiebam animo non mediocrem voluptatem*. Cum igitur affirmat Cicero, *Voluptatem omnem eſſe honeſtati contrariam*: eam intelligit, quæ proprie Voluptas appellatur: quam omnes Latini Voluptatem, omnes Danai aut Mycenenſes, Attica pubes, reliquique Græci ἡδονὴν vocant. Tu vero (ſi Diis placet) Ciceronem proprie loqui, aut Latine docere vis. Sed omnino temere nugaris, & tamquam culex (ut ajunt) elephantum Indicum inſectaris: neque advertis, quid ſecundo de Finibus libro Tullius ipſe vocabulo Voluptatis comprehendi doceat. Audi igitur ejus verba contra ſententiam Epicuri, & deſine tandem oblatrare: *Ergo* (inquit) *illi intelligunt, quid Epicurus dicat: ego non intelligo?* Vt ſcias me intelligere, primum idem eſſe dico Voluptatem, quod ille ἡδονὴν: & quidem ſæpe quærimus verbum Latinum par Græco, & quod idem valeat, hic nihil fuit quod quæreremus. Nullum inveniri poteſt, quod magis idem declaret Latine, quod Græce, quam declarat Voluptas: huic verbo omnes qui ubique ſunt, qui Latine ſciunt, duas res ſubjiciunt, Lætitiam in animo, Commotionem ſuavem jucunditatis in corpore. Nam & ille apud Trabeam Voluptatem animi nimiam Lætitiam dicit, eamdem quam ille Cæcilianus, qui omnibus lætitiis lætum eſſe ſe narrat. Sed hoc intereſt, quod Voluptas dicitur etiam in animo vitioſa res, ut Stoici putant, qui eam ſic definiunt, ſublationem animi ſine ratione opinantis ſe magno bono frui. Non dicitur lætitia neque gaudium in corpore. In eo autem Voluptas omnium Latine loquentium more ponitur, quum percipitur ea, quæ ſenſum aliquem moveat, jucunditas. Vides, ut Voluptas proprie res vitioſa ſit, & in animo, & in corpore? quid eſt autem magis honeſtati contrarium quam vitioſitas? ſed nihil omnino legiſſe videris, aut meminiſſe, qui neſcias quam acriter Cato Major apud Ciceronem in voluptatem invehatur, e quibus ſunt illa Rhetorum fulmina: *Voluptatis avidas libidines temere & effrenate ad potiundum incitari. Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum everſiones, cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci: nullum denique ſcelus, nullum malum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impellat. Stupra vero, adulteria, & omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari, niſi voluptatis: quumque homini ſive Natura, ſive quis Deus nihil mente præſta-*

bilius dederit, huic divino muneri ac dono nihil tam esse inimicum, quam voluptatem: nec enim libidine dominante, temperantiæ locum esse omnino, nec in voluptatis regno virtutem posse consistere. Nec ita multo post pulcherrimam hanc sententiam addit: *Impedit enim consilium voluptas rationi inimica, ac mentis (ut ita dicam) perstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium.* Ii ne igitur tibi falli videntur, qui voluptatem ab honestate diremerunt, cui tantopere sit inimica? Sed voluptatem (inquis) non eam ego intelligo, quæ virtuti contraria est: verum eam, quæ ab honestate proficisci solet. Desine igitur ineptire, cum Latine nescias: nemo enim apud nos ita loquitur, ut tranquillitatem eam animi, & quietem, quæ ab honestate proficiscitur, voluptatem appellet: cum *voluptas* (ut ostendit Cicero) *semper sit in motu*, atque ita definiatur: *Voluptas est jucundus motus in sensu*: vel ita: *Voluptas est quæ suavitate aliqua naturam ipsam movet, & cum jucunditate quadam percipitur sensibus.* Quod autem Honestas, & quæcumque bona sunt, voluptate careant, docet primo de Legibus his verbis Cicero: *Animi omnes tenduntur insidiæ ab ea, quæ penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni voluptas, malorum autem mater omnium: cujus blanditiis corrupta quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac, & scabie carent, non cernuntur satis.* Sed neque apud Latinos invenies, qui dicant, Honestatem esse voluptatis effectricem. Pulcram, decoram, expetendam, laudabilem, honestatem appellamus; voluptificam vero (ut tu vis) non dicimus. Præterea beatos, & felices, qui omni sunt honestate præditi, vocare solemus: voluptarios vero nequaquam. Quod si voluptas (ut imperite tu contendis) ab honestate non separatur, voluptarius homo nihil differet ab honesto: qua ratione fiet, ut omnes adulteri, helluones, asoti, Sardanapali, te magistro, quia voluptatem amplectuntur, sint honesti. Rursus eodem revolveris, & veram voluptatem ais te, non libidines existimare, sed eam, quæ ab honestate numquam abjungi potest. Non igitur erravit Cicero, sed tu, qui Latine non didicisti: cum nescias, quid vocabulo voluptatis apud eos, qui proprie loqui volunt, intelligatur. Sed Eudoxus *summum esse bonum voluptatem* dixit: Aristoteles *summum bonum sine voluptate non constare* voluit. Esto: modo intelligas, eos abusos fuisse vocabulo Voluptatis: cum pro ea delectatione, quæ ab honestate percipitur, numquam proprie Voluptas dici possit. Vnde merito reprehenditur a Cicerone multis in locis Callipho, qui ad honestatem adjunxerit voluptatem. Quid enim necesse est (inquit) tamquam meretricem in matronarum cœtum, sic voluptatem in virtutum concilium adducere? Reprehenditur etiam Epicurus, qui aliquam stabilem voluerit esse voluptatem; cum voluptas tantum ea sit, qua sensus dulciter ac jucunde movetur: *quam etiam pecudes* (inquit Cicero) *si loqui possent, appellarent voluptatem.* Quin & Xerxes Persarum Rex, quum præmium ei proponeret, qui novam voluptatem invenisset: non honestatem certe quærebat, sed eam, quæ sensum aliquem moveret, jucunditatem: & Plato cum escam malorum voluptatem appellaret, quod ea homines capiuntur, ut hamo pisces, omnino nihil ei cum honestate commune judicavit. Et hoc est, quod ait Cicero: *Maximas virtutes jacere omnes necesse est, voluptate dominante:*

nante : & alibi : *Voluptates blandissimae dominae majores partes animi a virtute detorquent*. Sed quid exemplis immoror, cum apud Latinos contendam, voluptatem, quae proprie dicitur, semper esse vitiosam, nec ullam umquam honestatis partem attingere posse? nisi fortasse quis Epicuri sententiam sequi voluerit, & cum Epicureo Poeta Lucretio furore correptus, clamet hoc modo :

Aeneadum genitrix, hominum, divumque voluptas
Alma Venus.

Hoc enim Philosophorum genus Deos idcirco beatos & aeternos putabat, quod in perpetuis essent, ac summis voluptatibus. Itaque merito ridetur a sapientibus viris.

Iacobus Griffolus ad decimam nonam Caelii Calcagnini disquisitionem.

COnferamus igitur in pauca; nam utilitatem nullam esse ducimus, quae honestati esset contraria, sic omnem voluptatem honestati dicimus esse contrariam; haec sunt Ciceronis verba ex tertio Off. contra quae Caelius more suo disputavit, ut sibi visus est, sed certe nihil minus hac in disquisitione fecit: itaque causa videtur esse nulla cur illi respondeatur: nam Cicero contra Epicurum, & Cyrenaicos, & Annicerios disputavit, quorum voluptatem Cael. communem esse brutis confitetur, cum vero defendit, quae consequitur: honestatem, quam Cicero testatur esse sapientis: hac autem aequivocatione nihil potest esse inter eos controversiae: aliud enim reprehendit Cicero, aliud Cael. defendit: poteram his acquiescere; sed operae pretium mihi visum est de voluptate quaedam non aliena ab hoc loco breviter percurrere: ac ne tam cito Cael. relinquamus, ostendam, ut potero, falsum esse quod ait, voluptatem multo minus ab honestate sejungi posse, quam utilitatem. Nam si nullum est honestum, quod utile non sit, nec ullum vicissim utile quod non honestum, quanam ratione poterunt sejungi? at Stoica sunt ista: quid? & Cicero nonne Stoice loquitur? Praeterea voluptas per se nulla esse dicitur, verum ex actionibus omnis exsistere, quarum naturam imitatur: quare si actiones sint honestae, ex eis quoque voluptates honestae capientur: at propter quod unumquodque est, id magis dicitur esse tale: actiones igitur, quarum causa voluptates honestae fiunt, honestiores esse confitendum est: sed omnis actio civilis aut est utilis, aut contra, aut neutrum horum: quae vero contraria est utili, eadem honestati, & felicitati est contraria: quae vero neutra est, ea nec prodest cuiquam, nec nocet: utilis autem constituit ipsam felicitatem: quoniam bona, & honesta est; nam felicitatem Arist. actione animae secundum virtutem esse finit: num mentio voluptatis in ea definitione facta est? nihil minus: at nec utilitatis, fateor, sed nulla potest esse bona actio sine utilitate: permultae vero sine voluptate, atque adeo cum dolore, ut in tractatu de fortitudine declarat Arist. ex quibus patet honestatem semper esse cum utilitate conjunctam. Ad haec vir bonus nihil quidquam agit causa voluptatem

 lupta-

stio est de rei quantitate, sed de qualitate. Quaerimus enim, vitium an virtus in re sit: quae qualitatem, non quantitatem spectant. Si virtus inest, plane tota laudanda est: sin vitium, tota rejicienda: veteratoriam artem, & impostricem, totam reprobamus, sive in re exigua, sive magna impostura facta deprehendatur: tota enim mala est. Statuariam laude prosequimur, sive in colossis, sive in chamaeteris formandis industriam ostendat: etiam ille Pyrrhichus, qui Rhyparographus vocatus est, ex tonstrinarum & asellorum pictura suam commendationem tulit. Potest ergo mercaturà, quae in rerum magnarum magnique sumtus convectionibus agitur, illustrior fortasse, non melior vid·ri, quam quae in rebus perexiguis vires intendit, quando quibus modulis quisque suam metiatur industriam, non ab arte pendet, sed a cujusque facultate. Penetrent alii Euxinum, & ad ultimos navigent Garamantas, quibus magnas opes fortuna indulsit: atque inde raras & exquisitas merces convehant: huic, qui rerum & fortunarum difficultate premitur, sat erit, ex Sicilia medimnos aliquot frumenti, aut ex Chio amphoras vini non adeo multas ferre in subsidium laborantis annonae. Par industria, par voluntas utriusque: pari mihi quoque laude videntur provehenda. Atque hic forte angustae fortunae institor, majorem videatur aliquibus gratiam emereri, quod leviore quaestu proposito, paria tamen maris caelique saevientis pericula non reformidarit. Cato enim quodam sciscitante, quid sibi de mercatura videretur, non mercaturam damnavit, sed magnitudinem periculorum, quae a mercatoribus persaepe adiri solent, exhorruit. Quis enim jure mercaturam, qualis qualis & quantulacumque est, improbaverit? Cujus ope factum est, ut humano generi innumera commoda proveniant, & totus prope orbis in communionem veniat. Rectius Aristoteles, qui non in quantulis rebus, sed in quibus evigilaret mercatura, observavit. Nam quae distrahit ea quae sibi profusius suppetunt, quaeque commodis hominum inservit, hanc recipiendam approbandamque existimavit. Contra, quae vilius emit quaedam, ut deinde carius vendat, & (quod in monopoliis maxime fieri solet) publicam flagellat annonam (cui etiam voce Graeca καπηλικὴν nomen fecit) hanc prorsus explosit. Haud multo secus, & quae instrumenta luxuriae suppeditat, est e civitate jure exturbanda: sic Lycurgus eos, qui delicias & scitamenta gulae apparabant, exilio multavit. Sic Romani eos urbe ejecerunt, qui victo Antiocho, & Asia in potestatem redacta, exotica unguenta nundinabantur.

M. Ant. Majoragii Decisio vicesima.

Varie me afficiunt istae tuae disquitiones. Nam aliquando mihi necesse est indignari, cum te tam arroganter insurgere video, tamque petulanter in gravissimum, & eloquentissimum omnium auctorem invehi: nonnunqum vix possum risum continere, cum diligentius rationes & verba tua perpendo, quae nihil a puerilibus fabulis, & delirantium somniis differre videntur: est etiam, cum aliquid mihi primo aspectu videris dicere: sed

tan-

tandem ubique deprehendo, nihil tuis nugis inanius. Hoc autem in loco mihi potius ridendum, quam indignandum puto: cum te satis egregie videam insanire, neque quid aut tu dicas, aut Cicero sentiat, cogitare. Cum enim de Artificiis, & Quæstibus hoc loco Cicero tractet, qui liberales habendi, & qui sordidi sint, *Mercaturam* dicit, *si tenuis est, sordidam putandam: sin magna, & copiosa, multa undique apportans, multisque sine vanitate impertiens, non admodum esse vituperandam*. Tu vero non putas hanc sententiam rationi consentaneam, quod dicas, de Mercatura in universum quæri oportere, probanda, an improbanda sit. Si probanda est, (inquis) profecto tam probari institorem oportet, qui cymbam onustam pipere, quam qui ingentem onerariam navem ultimis ex regionibus adduxerit. Maxime vero pertimui illa tua verba ex intimo artificio depromta, & ab Aristotelis Myrotheciis recens educta. Non enim hic (inquis) quæstio est de rei quantitate, sed de qualitate. Nam quis est, obsecro, mercator ille tam confidens, qui non majorem in modum pertimescat, si audierit mercaturam suam ad Dialecticorum scopulos, & syrtes, hoc est, ad quantitatem aut qualitatem trahi? Proh bone Iuppiter! quid faciam in ista Quantitate aut Qualitate tua? Ergo tu logica didicisti? Vide, numquam quivi ego istuc intelligere. Certe si crederem te majores progressus in Dialecticis facturum, abjecto clypeo statim aufugerem. Sed vereor ne si ordinem deseruero, Ciceroniani nominis amatores mihi λειποταξιυ δίκην intendant, cum semel hoc onus a consortio Musarum impositum susceperim, ut in arenam pro Cicerone descenderem. Incipiam ergo ensem dextra lævaque rotare. Primum dico, te Ciceronis sensum non intelligere, neque hic de ea qualitate, quam tu putas, esse quæstionem. Non enim quæritur, utrum honesta, an turpis sit mercatura, hoc est, utrum in ea virtus, an vitium sit, ut tu existimas: sed utrum liberalis, an illiberalis haberi debeat, hoc est, utrum ingenui hominis, atque excelso nati, debeant eam exercere: atque in universum ostendit *mercaturam aliquid habere, quod a nobilitate, atque ingenuitate sit alienum. Non enim satis convenire videtur, ut homo nobilissimus, & sui municipii princeps, mercaturam exerceat. Sed tamen non est admodum ille vituperandus, qui magnam & copiosam exercet mercaturam, ita ut multa undique apportet, & multis sine vanitate impertiat. Omnis vero tenuis mercatura, quia videtur hominem ignobiliorem, ac viliorem reddere, illiberalis, & sordida putanda est: cum præsertim in ea nihil, aut parum proficiant homines, nisi admodum mentiantur: nihil autem est turpius vanitate*. Hæc fuit Ciceronis sententia, quæ pulcherrima est, & rationi consentanea, & consensu fere gentium omnium adprobata: plurimis enim in locis Mercatores inter nobiles non habentur: in Italia quamvis suam dignitatem obtineant, non tamen habentur nobiles, nisi qui magna, atque ampla negotia gerunt. Quis enim institorem eum, qui lintea, telam cannabeam, funes, vittulas vendat, liberalem existimet? At contra liberales habentur multis in locis, qui maximum lanæ, vestis stragulæ, gemmarum, aromatum, & rerum hujusmodi numerum advexerint: ut facile possimus agnoscere, veram hanc esse Ciceronis sententiam, quam omnino tu non intellexisti. Cum

enim ait Cicero, *tenuem mercaturam sordidam esse*, non ita putare debemus, quasi vitiosam eam dicat, & tamquam flagitium aliquod fugiendam: sed ejusmodi, ut homini claro atque ingenuo non conveniat. Quod si ita esset, ut tu somnias, hoc est, si omnes artes illiberales, ac sordidæ, turpes essent, atque inhonestæ, sequeretur, ut omnes mercenarii, atque opifices, nihil aliud quam scelera, & flagitia committerent, quoniam omnes in sordida arte versantur. At tu tam crassus & pinguis es, ut putes hoc loco Ciceronem quærere, utrum vitium, an virtus in mercatura sit; & quia sordidam appellat mercaturam tenuem, tu contra ita argumentaris: Si virtus inest, plane tota laudanda est: sin vitium, tota rejicienda. Quid hoc dilemmate tuo validius, aut firmius inveniri potest? plane Ciceronem hoc uno ictu prostraveras, si nemo tibi contradiceret. Sed dic mihi, quæso, bone Dialectice, quoniam de qualitate putas agendum, non de quantitate: potest ne esse vitium aut virtus in mercatura? Atqui nos alii, qui non tam acute videmus, & vitia, & virtutes in animo esse arbitramur, non in mercatura: easque esse qualitates ejus generis, ut difficile possint ab animo divelli, cum per diutinam consuetudinam adhæserint: Mercaturam vero quodam in genere medio ponimus, ut in ea neque virtutem esse, neque vitium ullum dicamus, sed in homine qui illam exercet. Nam qui mentitur, fraudat, decipit, spoliat, in eo vitium est: qui vero sine ulla vanitate, juste & ingenue nundinatur & vendit, ille certe nullum committit vitium, sed magna potius laude dignus est. Vides igitur, te nihil illo tuo dilemmate penitus conclusisse, cum in homine, non in re, vitium aut virtus sit: &, ut ait Cornelius Gallus:

Non res in vitium, sed malefacta cadunt:

Potest enim aliquis in sordido, atque illiberali artificio versari, & tamen erit probus, ac virtute præditus: sicuti contra, sceleftus homo nonnumquam liberalem artem exercet: nisi forte putas Dionysium Tyrannum, & Neronem Cæsarem quia liberalibus disciplinis (ut accepimus) erant dediti, idcirco probos atque honestos haberi debere: contra, si Socrates ea qua fertur fuisse sapientia, patris sui artem exercuisset, ideo futurum fuisse flagitiosum, & improbum. Non igitur in artificiis, sive illa liberalia sint, sive sordida, virtus aut vitium inest: quoniam neque meliorem, neque pejorem virum efficiunt. Sed utcumque sit, illud mihi satis est, quod tu vel ipsa veritate coactus, vel (quod magis credo) per imprudentiam fateris, Mercaturam eam, quæ in rerum magnarum, magnique sumtus convectionibus agitur, illustriorem esse, non meliorem. Neque enim Cicero bonas aut malas artes quærit hoc loco, sed aut liberales, aut sordidas. Non est autem dubium, quin liberales longe sint illustriores, quam sordidæ: quanto que minus sordidæ sunt, tanto fiunt illustriores. Itaque cum tu Mercaturam magnam & copiosam illustriorem esse confiteris, tam tardus es atque hebes, ut non intelligas, te nobis id concedere, de quo solo quæstio est. Quid igitur opus est, ut argumenta quæram; cum tu in causa propria prævaricator sis, atque illam prodas? En hominem acutum, quem timeant omnes Cicerones,

tones, & Platones, si revixerint. Omnino si Carneadi congrediendum fuisset tecum, ut cum Chrysippo solebat, ei necesse fuisset exsorbere totas Anticyras: cum enim te Dialecticum ostentasses, & de Qualitate verba facturum esses pollicitus, ut nos Barones perterrefaceres, tandem pro leone murem ostendisti. At excurris in communem locum, & Mercaturam laudas, cujus ope factum sit, ut humano generi innumera commoda perveniant: & hoc (opinor) ut sciamus te Rhetorem etiam agere posse. Quid si ego, qui tam multa non profiteor, opponam tibi artes eas, quæ ministræ sunt voluptatum? Cetarios, lanios, coquos, fartores, piscatores; a quibus humano generi non minora commoda, quam a Mercatoribus proveniunt? idcirco ne istas liberales appellabis? aut in eis laudandis pandes eloquentiæ tuæ vela? Verum odiose Ciceronem cum Aristotele comparas, & ais Aristotelem rectius de Mercatura verba fecisse. Sed profer, obsecro te, quæ melius ab Aristotele dicta sunt, ut diligentiam tuam in conferendis auctoribus videamus. Hæc fuit (inquis) Aristotelis sententia, ut Mercaturam, quæ distrahit ea quæ sibi profusius suppetunt, quæque commodis hominum inservit, eam recipiendam, adprobandamque existimaret. Contra, quæ vilius emit quædam, ut deinde carius vendat, eam prorsus exploderet, haud multo secus & quæ instrumenta luxuriæ suppeditat, esset e civitate jure exturbanda. Hæccine sunt, quæ dicis ab Aristotele melius, quam a Cicerone præcepta fuisse? Primo, si tibi concedam, hoc verum esse, nulla tamen erit culpa Ciceronis: non enim ideo damnandus est Cicero, quod eo melius aliquid dixerit Aristoteles. Sed non sinam te ista frui voluptate: nam nihil est de hac re dictum ab Aristotele, quod non idem longe politius, ac melius dixerit Cicero, cujus hæc tu verba non considerasti: *Primum improbantur ii quæstus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut fœneratorum: illiberales autem & sordidi quæstus mercenariorum, omniumque quorum operæ, non quorum artes emuntur: est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis. Sordidi etiam putantur, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant: nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur; nec vero quidquam est turpius vanitate. Opificesque omnes in sordida arte versantur: nec enim quidquam ingenuum habere potest officina: minimeque artes eæ probandæ, quæ ministræ sunt voluptatum: Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, ut ait Terentius: adde huc, si placet, unguentarios, saltatores, totumque ludum talarium. Quibus autem artibus aut prudentia major inest, aut non mediocris utilitas quæritur, ut Medicina, ut Architectura, ut Doctrina rerum honestarum, hæ sunt ex iis, quorum ordini conveniunt, honestæ. Mercatura autem si tenuis est, sordida putanda est: sin magna, & copiosa, multa undique apportans, multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda: atque etiam si satiata quæstu, vel contenta potius, ut sæpe ex alto in portum, sic ex ipso portu se in agros possessionesque contulerit, videtur jure optimo posse laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid adquiritur, nihil est Agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.* Hæc tu cum legis, nonne cognoscis in eis eadem esse, quamvis elegantius tractata, quæ tantopere laudas in Aristotele; & nonnulla etiam pulcre & prudenter addita? An ita cæcus es, ut

hæc

hæc tam perſpicua non videas? Sed jam tempus eſt ab hac diſquiſitione tua recedere, in qua fortaſſe plus ſatis luſimus. Sed quid facerem? tu mihi feneſtram aperuiſti.

Iacobus Griffolus ad viceſimam Cælii Calcagnini diſquiſitionem.

MAle ſtatuiſſe Tullius de Mercatura Cælio videtur: putat enim ſi tenuis ea ſit, eſſe ſordidam: ſin magna, & copioſa, multa undique adportans, multiſque ſine vanitate impartiens, non eſſe admodum vituperandam, atque etiam ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius; ut ſæpe ex alto in portum, ex ipſo portu ſe in agros, poſſeſſioneſque contulerit, videri jure optimo poſſe laudari; hæc autem ſententia nequaquam Cælio rationi conſentanea videtur: itaque a definita quæſtione ad infinitam rem traducit, ut de ſingulis partibus idem, quod de univerſo genere ſtatuatur; atque ait de qualitate, non de quantitate quæri: cui facile ſic reſponderi poteſt: omnis pecunia, quæ œconomiæ non ſervit, improbanda eſt, quæ vero ſervit, eſt probanda: nam ut in primo Politicorum inquit Ariſt. *Cura, & diſciplina rei familiaris, quia eſt neceſſaria, & ſecundum naturam, laudanda eſt: mercatura vero, quæ poſita eſt in pecuniis, quia eſt contra naturam, vituperanda: tum omnis mercatura, quæ principium, & finem commutationis ſuæ poſitum habet in nummo, deſiderium habet infinitum*. Inquit enim idem Ariſt. *Earum rerum, quæ ad finem ducunt, finitum eſſe deſiderium: contra vero earum, quæ pertinent ad finem, infinitum: nullus enim eſt, qui finem ipſum adeo bonum, atque perfectum conſequatur, quin perfectiorem optet: quod autem ducit ad finem certam menſuram habet: ut medicinæ finis eſt infinitus: nam etiam ſi nobis ſanitatem medicina pariat, tamen eam perfectiorem ſemper exoptamus: medicinam vero juſta dati menſura poſcimus. Cum igitur mercaturæ finis ſit pecunia, infinita eſt ejus cupiditas: contra vero in cura rei familiaris accidit: hæc enim pecuniam quærit non ut finem, ſed ad uſum neceſſarium totius domus, qui eſt finitus: unde familiaris cura finitam cupiditatem habet*. Dico igitur ex Ariſt. ratione, eam mercaturam, quæ ad uſum neceſſarium domus referatur, & propoſitum illum finem habeat, eſſe ab omnibus probandam, quia non abhorret a natura, quæ vero pecuniam propter ſe quærit, & expetit, vituperandam, quia diſſentanea eſt naturæ: ex quo conficitur univerſam mercaturam non ut Cælius vult probandam eſſe, vel rejiciendam. Redeamus nunc ad M. Tullium, & quænam ſit ejus mens, conſideremus. Is mercaturam omnem illiberalem eſſe dicit, præter eam, quæ ſatiata quæſtu, vel contenta potius ſe in agros, poſſeſſioneſque contulerit: hæc enim videtur jure optimo laudanda: quid ita? quoniam contenta quæſtu jam quieſcit, & finem cupiditati fecit, ac uſus rei familiaris rectam rationem habuit: reliqua omnis mercatura ſordida, & illiberalis eſt: hoc eſt homine libero indigna. Proferat nunc aliquis, ſi poteſt, aliquem Philoſophum, qui mercaturam inter artes liberales numeraverit; equidem invenio Platonem in libro de Leg. octavo negare *mercatores, & opifices omnes eſſe cives*; quod idem in tertio Politicorum Ariſt. confirmat:

hæc

hoc definiens *cives proprie non esse, sed eos tantum, qui rempublicam administrant:* quod illiberale est, in homine liberali potest laudari? quis hoc cuiquam concesserit? verum Cælius Ciceronem putat quæ tenuis sit mercaturam vituperare, eam vero, quæ magna sit, & ampla laudare: & ideo de qualitate non de quantitate in quæstionem esse dicit: sed fallitur, nam & de quantitate est quæstio, neque magna, & copiosa mercatura laudatur, verum non admodum: id est omnino vituperatur: nam persæpe in eo sensu M. Tullius hanc particulam usurpat: ut in Bruto: *nam plane* inquit *perfectum, & cui nihil admodum desit*, Demosthene facile dixeris: & de Oratore: *nihil admodum scripti* reliquit. Quod si placet *admodum* pro *multum* hic esse positum, non laboro, dum intelligatur tenuem mercaturam esse prorsus vituperandam: copiosam vero, quæ multa undique apportet, multisque sine varietate impartiatur, non omnino seu multum vituperandam: ubi ostenditur utramque sordidam, & illiberalem accipi oportere, sed in eo differre tantum quod illa magis, & hæc minus vituperanda sit: parum enim tenuis prodesse potest vel aliis, vel sibi, nisi mentiatur: copiosa vero multum sine vanitate, & multis prodesse potest: at, quæ satiata quæstu in agros jam se contulit, propterea laudari potest, quod ad usum necessarium domus quæsita videtur esse; ut ejus domini jam vere sint divites appellandi, nam *qui frumento, vino, oleo, & rebus ejusmodi abundant, divites potius* ab Arist. dicuntur, *quam bene nummati*: homines enim sine pecunia quidem, sine iis vero fructibus, qui ex terræ cultu percipiuntur, vivere non possunt. At dicet aliquis, Plato *in civitate sua mercatores* ait *esse necessarios, ut ea exportent, quibus civitas abundet, & ea, quibus careat, importent*: recte id quidem, sed etiam bajuli, & qui cloacas, & latrinas purgent, sunt in civitate necessarii: verum artes eorum sordidæ sunt, & illiberales: ita etiam mercatura est necessaria illa quidem, sed tamen illiberalis: sed idem Plato magnos omnino quæstus in civitate fieri prohibuit: nam suis mercibus nesciunt quidem finem statuere: sic igitur intellige mercaturam hominem liberalem minime decere: decere autem illiberalem, & esse civitati necessariam, nec ob eam rem tamen liberalem: ita constare jam reor Ciceronem cum maximis philosophis optime convenire, nec sua ipsius tantum auctoritate, sed etiam Platonis, & Aristotelis defendi posse.

Vicesima prima Celii Calcagnini disquisitio.

ILlud non prætermittam, aliquos fortasse nostræ huic disquisitioni ita posse occurrere, ut officii definitionem non prætermissam contendant: quum post perfecti & medii officii divisionem, utriusque definitionem subjunxerit? Sic enim inquit Cicero: *Hoc autem commune officium vocant, atque sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum esse definiant. Medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit*. Quorum opinioni recte ita responderi posse arbitror, multum scilicet interesse, an quis genus, an generis formas differentiasve definiat. Perfectum autem & medium officium non

non esse genus, sed duas generis differentias. Dividitur enim officium in perfectum & medium: sicut animal in rationale & irrationale. Quod si quis utrumque per se definierit, non is in commune animal definisse existimandus est: quando in definitione generis, puta animalis, differentiæ omnes veluti rationalis & irrationalis includuntur. Tam enim rationale quam irrationale animal est, si Platonicis credimus. At quum genus partimur, suæ cuique parti sua differentia tribuenda est. Quo fit, ut longe diversa sit generis formarum definitio. Genus omnes differentias complectitur: quæ deinde seorsum generi additæ, singulas formas pariunt: sic perfectum, sic medium officio adjunctum, duas separatas formas efficiunt: quarum unaquæque sua contenta est differentia, quum tamen omnes intra generis complexum delitescant. Quare ut ad institutum redeam, permulti interest, an quis in universum genus, an generis formas definiat. Ex quo facile nobis constare potest, officium quatenus genus est, non esse definitum: cujus definitionis Cicero nobis exspectationem concitaverat. Quod si illud quoque exactius explorare lubeat, qualis scilicet hæc ipsa sit medii perfectique officii definitio: eam profecto parum idoneam, parumque accommodatam cognoscemus ad officii naturam substantiamque declarandam: utpote cui genus, hoc est caput ipsum definitionis desit. Quid enim designat? Perfectum est id, quod rectum sit: aut Medium id esse dicunt, quod cur factum sit ratio probabilis reddi possit. Sane hoc nihil est, mea quidem sententia, quam in vitium illud incidere, quod Græci ταυτολογιαν dicere solent; quum idem seipso exprimitur. Dic enim, per Musas rogo, quid pronomen *id* eo loco tibi significet. Quippe mihi officium repetit, ut ita interpretari sit necesse: Perfectum officium est id officium, quod rectum sit: & medium officium est id officium, quod cur factum sit probabilis ratio reddi possit. Quæ omnino absurda, & Cicerone ipso indigna est repetitio: tum quæ ad officii substantiam indicandam sit omnino supervacua. Quod nisi hanc interpretationem adprobemus, periculum est, ne protinus in paralogismum illum Sophistarum incidamus, quum dicunt: Officium perfectum ex definitione Ciceronis est, id quod rectum sit: sed perpendiculum est, id quod rectum est: Nihil ergo repugnat, quin perpendiculum sit officium. Hujus argumenti maxima propositio in promtu est: Cuicumque competit definitio, eidem competit definitum. His adde, quod perfecti officii definitio medio officio, & vicissim medii officii definitio perfecto bellissime accommodari potest. Nam & perfectum officium est id, quod cur factum sit probabilis ratio reddi possit. Neque enim quisquam puto tam contumax est, qui sine probabili ratione perfectum officium geri contendat: aut medium officium esse, id quod rectum non sit. Alioqui si rectum non est, perversum ac præposterum id esse fateamur oportet.

M. Ant. Majoragii Decisio vicesima prima.

RVrsus ad eamdem quæstionem redis, quam secundo loco tractaveras, quod scilicet a Cicerone non sit definitum Officium; atque in hac parte sa-

te satis vehemens videris esse Dialecticus, qui non tantum Ciceronem impugnes, sed etiam ea quæ contra dici possunt, refellere contendas. Poterat enim aliquis ostendere, definitionem officii non esse prætermissam, cum post perfecti, & medii officii divisionem utriusque definitionem subjunxerit. Sed tu objicis, multum interesse, an quis genus, an generis formas, differentiasque definiat: Officium autem in Perfectum, & Medium dividi, quæ sunt officii formæ, vel differentiæ, quas qui definiverit, non continuo tamen in commune officium definivisse existimandus est. Hæc tua ratio vera est omnino, quis enim negare potest? Sed nos longe aliter Ciceronem defendimus, neque hæc indagamus, quæ tu refellere possis: verum ea, quæ verissima sint ac firmissima, ut nullis amplius argumentis labefactari aut infirmari possint: cum certum habeamus, nullum esse Ciceronis erratum in tot tuis disquisitionibus: nec dubito, quin omnes eruditi cum hæc nostra legerint, statim judicent, te non justum reprehensorem, sed injuriosum calumniatorem fuisse. Sed ad propositam quæstionem dico: Si quis ita definitionis vocabulum accipiat, ut nihil aliud significet, nisi quod tu existimas, declarationem rei per genus & differentias, aliquid posse dici contra Ciceronem, qui per genus, & differentias officium non definiverit. Sed cum jam superius docuerimus, apud Latinos definire sæpissime idem esse, quod distinguere, & omnes terminos ac fines alicujus rei complecti: quid est, quod iterum in Ciceronem insurgas? cum præsertim scias, in Topicis eum docere, *Divisionem esse definitioni attributam*. Tunc enim ille recte divisisse dicitur, qui recte definierit: hoc est, omnes formas, quæ sub aliquo genere comprehenduntur, persecutus fuerit, & eas intra fines suos reduxerit, neque ullam prætermiserit. Ut si quis dicat, omnem virtutem aut prudentia, aut justitia, aut fortitudine, aut temperantia definiri: rectissima hæc erit definitio, quoniam omnis virtus sub eis formis complexa est. Quod siquis dixerit, omnem quantitatem aut longitudine, aut latitudine, aut altitudine definiri, non rectam, aut integram rei definitionem afferet; non enim omnes quantitatis fines indagavit, cum tempus, locum, numerum, orationem prætermiserit: ut si quis universum orbem definiret Occidente, Vertice aquilonari, Oriente, Circulo æquinoctiali, damnanda esset hæc definitio: quoniam etiam ultra æquinoctialem circulum maxima pars orbis protenditur: pone quarto loco Polum australem, & erit definitio perfecta: nam orbis universus his quatuor regionibus definitur, Occidente, Vertice aquilonari, Oriente, Polo australi. Ut igitur ad propositum revertamur, cum docet Cicero *omnem officii quæstionem esse duplicem*, videndum est, an alia species officii sit aliqua, quæ non hac definitione contineatur: quod si qua est, ea proferatur, & accusetur Cicero: non enim ego repugnabo, si modo sit error manifestus; si vero nulla est alia species, quoniam omne officium aut est perfectum, aut est medium: quid est quod in tam egregium præceptorem hiscere audeas, cum videas officium rectissime definitum? Sed ais: ego non ita definitionem accipio. Quid igitur ego tibi faciam. si Latine non didicisti? nos quidem in hac significatione verbum hoc a Latinis usurpari frequentissime videmus, ut non mirum

sit,

sit, Ciceronem hoc loco Romanam potius loquendi consuetudinem secutum, quam morosas Dialecticorum in loquendo superstitiones. Quod autem Cicero voluerit definitionem, tamquam genus quoddam esse, quod divisionem etiam complectatur, cum in Topicis aperte declaravit, ubi divisionem & partitionem definitioni attributam esse docet, tum etiam secundo de Finibus, quamvis non tam aperte, ubi hæc verba notavimus: *Omnis autem in quærendo, quæ via quadam & ratione habetur, oratio, præscribere primum debet, ut quibusdam in formulis ea res agatur, ut inter quos disseritur conveniat, quid sit id, de quo disseratur*. Cum enim docet, ut quibusdam in formulis res agatur, non aliud certe docet, nisi ut in formas ac species distinguamus, ac definiamus id, de quo disputamus, quo facilius quid sit, possit intelligi. Huc pertinet id, quod etiam in secunda quæstione diximus. Crassus enim apud Ciceronem tertio de Oratore sic loquitur: *Atque horum superius illud genus causam aut controversiam appellant, eamque tribus Lite, aut Deliberatione, aut Laudatione definiunt*. Illud vero, quod non ita multo post adjungit: *Crassus omnem penitus dubitationem tollit*, & a criminatione tua Ciceronem liberat: ut si nullam rationem aliam adduxissem, id per se satis sit ad omne firmamentum tuum obruendum, ac penitus diluendum: audi igitur quid dicat Crassus: *Definitionis autem sunt disceptationes, ut cum quæritur, quid in communi mente quasi impressum sit: ut si disseratur, id ne sit jus, quod maximæ parti sit utile: aut cum, quid cujusque sit proprium exquiritur: ut Ornate dicere, propriumne sit oratoris, an id etiam aliquis præterea possit? aut cum res distribuitur in partes, ut si quæratur, quot sint genera rerum expetendarum: ut, sintne tria, corporis, animi, externarumque rerum: aut cum quæ forma & quasi naturalis tota cujusque sit describitur, ut si quæratur avari species, seditiosi, gloriosi*. Hæc Crassus. E quibus mihi satis est, ut intelligas, etiam hanc definitionis esse disceptationem, cum res in partes distribuitur, quo videas clarissime, quam inscienter dicas, Officium quatenus genus est, a Cicerone non esse definitum. Tu vero non contentus hac plaga, damnas etiam Perfecti, ac Medii officii definitionem: utpote, cui genus (ut ais) hoc est caput ipsum definitionis desit: vel si subintelligatur Officium, necesse sit in vitium illud incidere, quod Græci ταυτολογιαν dicere solent, cum idem se ipso exprimitur; interrogasque Ciceronem per Musas, ut tibi dicat, quid illud pronomen, *id*, eo loco significet: cum ita ait: *Medium officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi potest*. Ego autem tibi pro Cicerone respondeo, illud pronomen, *id*, iterum nomen officii repetere; neque tamen esse absurdum, (ut tu censes) aut Cicerone indignam repetitionem: atque in hac parte non aliis rationibus, quam tuis uti statui, ut tuo te gladio (quod ajunt) interimam. Ipse enim paulo ante dixisti, Perfectum & Medium officium non esse genera, sed duas unius generis differentias: dividitur enim (inquis) officium in Perfectum & Medium, sicut animal in Rationale, & Irrationale: hoc autem tibi facillime concedam, quod totum pro me facit. Sed adverte, quæso, quam imprudenter loquaris: Negas recte dici, Perfectum officium est officium: aut, Medium officium est officium: quoniam idem seipso videtur exprimi. Sed mihi per

per ignorantiæ tuæ tenebras, cui maxime niteris, respondeas velim, possit ne genus de suis differentiis prædicari? Quid ni, inquis: docet enim hoc Porphyrius, *Genera omnia de sibi subjectis formis, & differentiis dici*. Esto: est ne genus officium? Iam hoc sponte tua confessus es. Sunt ne differentiæ Perfectum officium & Medium? Hoc tu conatus es docere. Quid igitur prohibet Officium, quod genus est, de perfecto & medio officio dici, quæ sunt officii differentiæ? Vides ne, quam incredibile sit in Dialecticis acumen tuum, quorum adhuc elementa penitus ignoras? Quis est enim eorum, qui tantum a limine (quod dici solet) Dialectica salutarint, qui nesciat, de omnibus differentiis suis genera omnia rectissime dici? Deinde peto a te, quoniam argumentaris, officium ita dividi in perfectum & medium, sicut animal inrationale & irrationale: an recte dicatur Animal de utraque hac differentia? ut si dicam, Rationale est animal: & si quis ita proponat: Animal rationale est id, quod rationis est particeps: Irrationale, quod rationis expers est: an sint hæ propositiones vituperandæ, propterea quod illud pronomen, *id*, iterum animal repetit? quid in hac interrogatione mihi respondebis? aut hæ tibi propositiones improbandæ sunt, aut concedendum, recte dixisse Ciceronem. Sed has improbare non potes, quoniam ipse dixisti, tam rationale, quam irrationale animal esse. Ergo te auctore, & judice, recte dixit Cicero: *Tam enim Perfectum officium, & Medium, est officium, quam rationale & irrationale est animal*. Quapropter insulse sane, & pueriliter facetus esse voluisti, cum ais periculum esse, ne in paralogismum illum incidamus: Officium perfectum est id, quod rectum est; perpendiculum est rectum; ergo perpendiculum est officium. Quæ te, malum, intemperies senem importunum ac delirum exagitat? nequeo enim non vehementissime indignari, cum in auctorem omnium præstantissimum, tam scurriliter unus e trivio literator, & tam lascive debacchetur. Atqui fortasse tibi videris mirabiliter conclusisse, aut aliquid ex Ciceronis gravitate detraxisse, tuo illo scurrili ac ridiculo paralogismo, quem nemo sanus (ut opinor) sine nausea legere potest; perinde quasi nesciant omnes, qui primoribus (ut ajunt) labris Dialectica degustarint, in secunda argumentationum formula, si duo fuerint ajentia proloquia, nihil umquam recte concludi. Aut quasi nos tam stupidi simus, ut non intelligamus, alia ratione Perfectum officium, alia Perpendiculum rectum appellari: est enim Rectum ambiguæ significationis vocabulum, vel ut Logici vocant, æquivocum. Illud vero quod addis, apertissime falsum est, & idcirco refelli facillime potest, quod perfecti officii definitio medio officio, & vicissim medii officii definitio perfecto possit accommodari. Nam quamvis perfecti officii cur factum sit ratio probabilis reddi potest, non tamen ideo perfectum est, si tantum probabilis reddatur ratio: debet autem definitio esse ejusmodi, ut rei vim ac naturam explicet, & eam a communitate disjungat, & præterea retro agi, & converti cum definito vocabulo possit, ut neque plura, neque pauciora quam ipsum definitum complectatur. Non sufficit autem ad perfectionem, ut ratio probabilis sit: sed oportet, ut etiam vera & recta sit. Quare medii officii definitio, non recte ad perfectum

rectum accommodabitur. Quod vero medium officium ais esse rectum, hoc tam absurdum est, quam si probare contenderes, umbilicum, aut genitalia te in capite habere, aut pulmones in cerebro: neque tuum illud sequitur: Si rectum non est, perversum ac præposterum id esse fateamur oportet; quod mihi sane crassum ac pingue videtur: possum enim vicissim ita respondere: Si medium est, neque rectum, neque perversum esse necesse est: cur enim medium vocatur, nisi quia supra se rectum habet, infra vero quod pravum ac perversum est? Sed ut facilius hæc explanari possint, triplicem rerum divisionem, ut a Philosophis traditur, esse dicimus: Sunt enim quæ per se tantum expetuntur, non alterius rei gratia, ut virtutes, & animi bona cum honestate conjuncta: atque hæc Recta dicuntur, in quibus perfectum est officium. Sunt etiam quæ expetuntur quidem, sed non per se: ut Divitiæ, honores, & cetera fortunæ bona, in his medium est Officium, quod hæc omnia ad Honestatem dirigat, propter quam hæc expeti debent. Tertium genus est eorum, quæ fugienda sunt, in quibus nullum officium esse potest: quam enim rationem probabilem afferre quis potest, quod vitia sequatur? Non est igitur in eis officium, quæ effici non debent. Ergo quamvis sit triplex rerum divisio, tamen duo tantum sunt officii genera: quoniam in rebus turpibus nullum officium est: Perfectum autem officium ad ea tantum pertinet, quæ per se videntur expetenda, atque ideo Rectum dicitur, quod numquam a virtutis atque honestatis scopo dimovetur. Quo fit, ut Medium officium, quod ad institutionem vitæ communis spectat, ut eam ad honestatem ac finem bonorum dirigat, neque Rectum, neque Pravum esse possit. Quamvis enim hæc inter se contraria sint, Rectum & Pravum: non tamen ejus generis sunt, ut alterum semper adesse necesse sit: quod in eis accidit, quæ nullum habent medium: ut sanum, ægrum: necesse est enim, ut omne animal aut sanum sit, aut ægrum: & horum contrariorum est ea natura, ut se mutuo semper consequantur. Nam si non est sanum animal, necesse est, ut sit ægrum: & si non est ægrum, necesse est, ut sit sanum. Sunt alia quædam alterius generis contraria, quæ medium admittunt, neque necesse est, ut alterum semper adsit: ut album, nigrum, bonum, malum. Neque enim sequitur: Non est album, ergo est nigrum: potest enim esse rubrum, aut cœruleum. In horum numero ponimus Rectum & Pravum: sunt enim quæ per se neque recta sint, neque prava: sicuti quædam neque bona, neque mala: atque hujus sententiæ auctores habeo Platonem, & Aristotelem, qui Divitias, litterarum peritiam, honores, & cetera hujusmodi, neque in bonis, neque in malis habenda existimant, si per se considerentur. *Sed si quis eis bene utatur, bona fiunt: si contra, mala.* In his igitur medium officium laborat, & hominem instruit, ut ad honestatem, & rectam vivendi rationem hæc, quæ per se neque bona sunt, neque mala, traducat: hominique ita moderatur, ut nihil agat, cujus probabilis ratio reddi non possit. Et quoniam res a meliori parte semper appellationem habent, factum est, ut hæc, quæ Philosophi censent, neque in bonis, neque in malis habenda, tamen bona vel fortunæ, vel corporis appellentur.

Vige-

Vicesima secunda Cælii Calcagnini disquisitio.

CIceronis verba sunt: *Ex quatuor autem locis, in quos honesti naturam vimque divisimus, primus ille, qui in veri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam; omnes enim trahimur, & ducimur ad cognitionis, & scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulcrum putamus: labi autem & errare, nescire & decipi, & malum & turpe ducimus*. Soleo ego apud familiares meos, qui mecum incredibili amore atque admiratione Ciceronis tenentur, persæpe testari, non aliud volumen mihi videri negligentius a Cicerone conscriptum, quam hoc de Officiis: ut propemodum aliud agens hoc egisse videatur. Quod ego inde profectum arbitror, quod eo tempore Ciceronis animus, sublato C.Cæsare e rebus humanis, variis curarum fluctibus agitaretur, atque hinc Octavio, qui deinde Augustus appellatus est, studeret, inde Antonium acerrime oppugnaret, neutri satis fideret. Quare mihi videor animadvertere, hæc a Cicerone in summis animi avocationibus literis mandata. Nisi enim hoc foret, quî fieri potest, ut tam divinum ingenium, tanta eloquentia illustre, tot disciplinarum præsidiis munitum, tam oscitanter multa effuderit; neque in his solum, quæ ad morum cognitionem, sed & quæ ad dicendi facultatem pertinent? Id quod habeo persuasum, multis visum iri admirabile, qui sententiarum dulcedine capti, quæ hoc libro continentur, quibusque vita egregie institui potest, nullum aliud volumen huic præferendum existimarunt, atque illud Plinianum frequenter in ore habent: *Hæc volumina non modo in manibus habenda, sed etiam ediscenda esse*. Quod ego tamen non de his tantum voluminibus de Officiis, sed de omnibus, quæ felicissimo illo Ciceronis calamo conscripta sunt, a Plinio dictum arbitror. Quod vero ad dicendi rationem pertinet, si quando alias desipiendi otium dabitur, puto me id facile posse certis aliquot testimoniis obtinere. At nunc quod ostendendum suscepimus, id pro virili prosequamur. Illud primum videor mihi dicturus, Ciceronem prudentiam scientiamque non recte permiscuisse, quum hæc duo multum inter se diffideant. Prudentia siquidem in consultatione tota consistit, quum scilicet nobiscum ipsi quid sequendum, quidve fugiendum sit, perquirimus: quæ sane dijudicatio in iis solum posita est, quæ aliter atque aliter se habere possunt. Nam de certis ac exploratis non est, quod quisquam consultationem ineat. Quare neminem inveneris, qui de capessenda homini felicitate quidquam dubitet: quando felicitatem sibi omnes mortales pro fine statuunt. Sed quibus rebus felicitas statuenda sit, hoc est demum, quod prope omnibus seculis atque in omnibus diatribis in disquisitionem vocatum est: aliis voluptatem, aliis virtutem, aliis alia comprobantibus. At scientia, utpote quæ in demonstratione posita est, ex iis pendet, quæ eodem modo semper constant, quorumque principia aliter se habere non possunt. Neque enim eorum haberi potest demonstratio, quorum principia evariant, atque inter se dissentiunt. Quod ut melius intelligi possit, sciendum est, duas esse animæ rationalis partes; quarum altera solemus ea contemplari, quorum prin-

principia in diversum abire non possunt: altera ea intuemur, quæ desultoriis & alternantibus principiis prodeunt. In priore scientiam, in posteriore prudentiam statuimus; ob id recte dictum putamus, prudentiam circa contingentia & incerta, scientiam circa certa & necessaria versari; prudentiam in parte opinabili intellectus, quam διανοητικὴν Græci vocant: scientiam in parte optimate sedem habere: illam de particularibus, hanc de universalibus: illam de rebus humanis, hanc de rebus æternis decernere. Quum itaque virtutes omnes, quæ ad mores pertinent, rerum agendarum officiique delectum habeant: prudentia una est, quæ inter eas plurimum eminet, & apud omnes quasi architecti vice fungitur: viamque deliberandi aperit, & ad præscriptum quodammodo limitem perducit. Quare in prudentia vim subducendi, in scientia vim cognoscendi esse dixerunt: scientiamque nullis fluctibus agi, sed ablegato omni affectu suas implere functiones. Contra prudentiæ partes esse, varias rationes inire, variisque excursibus agi, donec quid agendum, quid fugiendum sit, constituerit. Iis adde, quod prudentia circa res gestas se minime exercet, sed futura tantum sibi proponit: at scientia versatur in his, quæ neque desierunt, neque umquam desitura sunt. Sic Philosophos sapientes, multarumque ac maximarum rerum capaces vocamus: prudentes, nequaquam, utpote qui in re familiari, in repub. in communi denique vita conniveant, sintque omnibus his in rebus plus nimio negligentes. Hinc Thaletem ab ancillula delusum accepimus, quod cælestes ambitus explorans in foveam concidisset; unde illud vetus: *Qui, quæ sunt ante pedes non videt, cæli scrutatur plagas*. Quin & beuasll nonnullas prudentiam habere dicimus, seu mavis quamdam prudentiæ imaginem. Nam & nidulos admirabili artificio futuræ proli architectantur, quam deinde alunt incredibili solertia: in futuras etiam tempestates prospiciunt ea, quæ vitæ necessaria augurantur. Contra nulli belluarum scientiam irrogamus, quod vis excurrendi conficiendique syllogismi in nulla agnoscatur. Hoc est scilicet, quod non facile invenias, qui aberret in iis, quæ ad scientiam pertinent. Atqui in ratione subducenda, & delectu rerum faciendarum, prudens sæpe fallitur. Et licet diligens consilium adhibeat, id tamen non potest incertum non esse, quum in rebus fortuitis admoveatur. Consilio vero scientia minime indiget, utpote quam brevi tempore, boni opera præceptoris assequi possumus. Mature autem consulendum est, ut jam in proverbium abierit: *Moram nulli rei esse præterquam consilio salutarem*: illudque vetus frequenter usurpamus: *Romani sedendo vincunt*. Ob id recte dictum est a majoribus, *prudentiam fortuna egere, ut summam aliquando voti assequatur: quum scientia sit longe supra fortunam posita, ejusque præsidio minime egeat*. Quid quod juvenes scientiam sibi comparare possunt, puta Geometræ, & Musici effici possunt: quando scientia universalibus constat, sed juvenem prudentia præditum non facile inveneris: quando hæc a particularibus pendet, quorum notioni præfecta est experientia. Atqui hanc juvenes ob ætatem assequi non possunt. Hoc quoque inter prudentem scientemque discrimen agnoscimus, *quod prudens nemo est, nisi bonus idem sit*, si Arist. credimus, *sciens malis perversis-*

versisque moribus etiam uti potest ; nam prudentiæ opposita est versutia , scientiæ vel sola inscitia , vel nihil est oppositum . Voluptas ac dolor ex confesso nullum invehunt scientiæ vitium . Nam qui voluptate fruitur , aut dolore torquetur, nihilominus compertum habet , triangulo tres inesse angulos duobus rectis pares : at prudentiam dolor æque ac voluptas interpellat . Prudens enim persæpe manus dat affectibus , & nunc odio , nunc amore huc vel illuc rapitur . Ex quo temperantia conservatrix prudentiæ dicta est , & inde σωφροσυνη nomen nacta est apud Græcos . Denique non scientia , sed prudentia iter illud præmunit , quod ad rectum virtutis propositum nos aliquando perducit . Scientia ad mores parum confert ; nam si percunctetur quis , an bene moratus sit Pericles , non scientem , neque sapientem , sed vel prudentem , vel justum , vel liberalem respondemus , vel alio quopiam virtutis titulo eum exornamus . Prudentia præterea ad agendum pertinet , rerumque agendarum delectum habet ; nam omnis virtutis laus in actione consistit . At scientia non in actione , sed in multarum optimarumque rerum , disciplinarumque cognitione versatur .

M. Ant. Majoragii Decisio vicesima secunda .

SEquitur importuna quædam atque impia digressio tua , in qua perinde ac victor exultans , impuro ore , ac nefario , negligentiæ Ciceronem insimulas : damnasque hoc divinum de Officiis volumen , & ais id esse negligentissime conscriptum , & in eo multa oscitanter effusa ; neque te pudor ullus , aut hominum existimatio , aut tacita conscientia , aut ipsa veritas potest a tam scelestis maledictis abstrahere . Quid , quæso , impudentius, quam te omnium judicio tuum judicium anteponere ? Omnes enim qui de literis aliquid judicare possunt , hoc opus mirificis laudibus in cælum ferunt , semper habendum in manibus censent , ad verbum ediscendum , plurimum & ad morum institutionem & ad orationem Latinam pleniorem efficiendam prodesse testantur . Ergo non in ipsum tantum Ciceronem injuriosus es , verum in omnes , qui ubique sunt ac fuerunt eruditi homines , quod eos nihil vidisse, nihil recte judicasse censeas . Eximia videlicet quadam tu scientia præditus , acute perspicis , quæ nulli umquam adverterunt , aut quæ Cicero ipse videre non potuit . At ego multis jam argumentis aperte demonstravi , te omnis doctrinæ reconditioris penitus rudem , atque ignarum. Pro Deum, atque hominum fidem ! tantis ne ignorantiæ tenebris involutus homo , perennem omnis eruditionis fontem conturbare audeat ? O facinus indignum , ac minime ferendum ! O intolerandam audaciam ! o monstrum exterminandum ! Ergo ne tam patientes , vel tardi potius , ac desides sunt literati omnes , ut tam grave flagitium hactenus impunitum esse voluerint ? Quid agitis Ciceroniani nominis amatores ? Cur tam estis negligentes ? Cur cessatis ? Cur non hanc belluam tam efferatam stylo vestro configitis ? Cur tamdiu sinitis hanc in Ciceronis nomine labem inveterare ? Sentiat tandem Calcagninus , esse aliquos , qui pro tanto Principe defendendo quidvis & facere , & pati parati

 sint :

sint : qui armati in arenam descendant : qui tam audacis hominis insaniam retundant : qui tam ingratum & rebellem velitem extra Musarum fines exterminent. Non enim omnino dignus est, qui inter literarum cultores habeatur, qui temere, ac nulla ratione ductus, earum parentem insectatur. Cur hoc mihi, dii immortales, non concessistis, ut unus ex istius Calcagnini familiaribus essem, quo tempore apud eos se solitum testari dicit, non aliud volumen sibi videri negligentius a Cicerone conscriptum, quam hoc de Officiis? Profecto effecissem, Calcagnine, ut te tantæ temeritatis tuæ perpetuo pœniteret. Sed postquam id coram tunc efficere non potui, certe nunc scribendo, quod hactenus feci, totis viribus enitar ostendere, te non solum omni judicio, sed etiam communi sensu penitus caruisse, neque umquam latinas literas didicisse. Sed illud prius testatum apud omnes relinquam, me, si vellem in hac parte diutius immorari, multis rationibus ostendere posse, nullum esse volumen in hoc genere, neque apud Latinos, neque apud Græcos excellentius hoc Ciceronis opere de Officiis, quod tu mala mente, malo animo, tamquam negligenter scriptum criminaris: & quasi fuerit in scribendo Cicero negligentissimus, & nihil umquam accurate scripserit, ais nullum librum ab eo negligentius, quam hunc esse conscriptum. Sed cum omnium fere operum Ciceronis, quæ consensu Doctorum omnium sunt exquisitissima diligentia scripta, paulo eruditiores omnes hoc esse utilissimum fateantur, quod & verborum splendore, & sententiarum gravitate mirifice sit ubique refertum: quid est quod ad ejus præstantiam laudatione mea possit accedere? Satis sit igitur illud Plinianum testimonium: *Hæc volumina non modo in manibus habenda, sed etiam ad verbum ediscenda*. Quod imperite tu censes de aliis operibus esse dictum; cum ibi de hoc volumine de Officiis tantum loquatur Plinius. Quod si, quemadmodum spero, tuas omnes ineptas calumnias firmissimis rationibus evicero, quid erit quod quisquam amplius de hujus operis excellentia dubitare possit? quod omnino tale est, ut in arce poni queat, quasi Minerva illa Phidiæ. Sed jam, quod nunc instat, agamus, atque illud videamus quale sit, quod ais, Ciceronem Prudentiam & Scientiam non recte permiscuisse: censes enim hæc duo multum inter se dissidere: quibus autem tu rationibus hoc probare niteris, eas quamvis ab Aristotele sumseris, dico nihil huic quæstioni convenire: quoniam aliud est Græce loqui, quod fecit Aristoteles, aliud Latine, quod fecit Cicero. In iis igitur, quæ ad Latinæ linguæ proprietatem spectant, nihil tibi rationes Aristotelicæ prodesse possunt. Fundas ergo tu tota nugarum plaustra, distinguas, argumenteris, insanias, ego una tantum ratione nugatorias illas distinctiones tuas omnes refutabo. Dico enim, & ita aperte dico, ut omnes literatos audire velim, te penitus ignorare, quid apud Latinos Prudentia significet, atque hanc esse unam totius erroris tui causam. Quod quamvis in quæstione decima septima multis rationibus satis copiose docuerim, addam tamen etiam hoc loco nonnulla, quibus levitatem tuam infringam. Sed antequam hoc aggredior, prius erroris tui causam aperiam. Legeras (ut opinor) apud Aristotelem Ethicorum sexto, in rebus quæ ad cognitionem spe-

ctant

ftant quatuor hæc inveniri nomina, επιϛημη, φρονησις, σοφια, και νυς: quæ ta sunt ab interpretibus versa, *scientia*, *prudentia*, *sapientia*, *intellectus*: unde tu totam eam de Scientia, & Prudentia disputationem sumsisti. Sed illud per imprudentiam, ac inscitiam tuam, advertere tibi non licuit, non eamdem apud Latinos esse differentiam inter Scientiam, & Prudentiam, quæ apud Aristotelem ponitur inter επιϛημην, και φρονησιν. Nam επιϛημην Aristoteles accipit pro ea tantum scientia, cujus habetur demonstratio, & quæ aliter haberi non potest, quæ ducitur ex primis veris medio carentibus, & causis conclusionis. Vnde primo Posteriorum επιϛασθαι docet esse, quando causam, per quam res aliqua sit, intelligimus; φρονησιν vero idem auctor vult habitum esse quemdam consultandi de iis, quæ sibi bona sint, atque utilia: vel, ut paulo post addit, εξιν μετα λογυ αληθη, περι τα ανθρωπινα αγαθα πρακτικην, id est, *habitum verum in rebus humanis faciendi, quæ bona sunt*. Hinc est, quod tu Prudentiam ais in consultatione totam consistere, Scientiam vero tantum in rebus æternis, quæ eodem modo semper constant, quarumque principia aliter se habere non possunt. Itaque omnis cognitio, atque omnis intelligentia, quæ vel in demonstratione, vel in consultatione non erit, te auctore, neque scientiæ, neque prudentiæ nomine comprehendetur: quod quis non videt maxime ridiculum, & absurdum esse? Nos vero, qui non sumus tam Aristotelici, & qui Latine didicimus, non tam ad vivum scientiam resecamus, neque prudentiam; nam omnem cognitionem ita acquisitam, ut non facile possimus eam oblivisci, Scientiam vocamus: quamvis non semper eodem modo constet, aut hujusmodi principia habeat, quæ aliter esse non possint. Hinc est, quod antiquitatis, atque historiarum cognitionem, & peritiam linguarum, & liberalium artium disciplinam, & artis alicujus etiam ignobilis intelligentiam, Scientiam dicimus. Admiratur apud Ciceronem, primo de Natura Deorum, Cotta Pontifex in Velleio Epicureo, homine Romano, tantam esse scientiam, ut usque a Thalete Milesio de Deorum Natura Philosophorum sententias enumeraret. Hoc certe loco Scientia non pro certis, ac necessariis capitur, cum longe diversæ essent Philosophorum sententiæ. Hæc præterea sunt omnia Ciceronis verba: *Scientia rei militaris*, *Scientia juris civilis*, *legendi*, *& scribendi Scientia*, *omnes artes in aliqua scientia versari*: de quibus exempla non adduco, quoniam passim Ciceronis opera legentibus obvia sunt. Prudentiam vero, de qua est omnis hoc loco disputatio, nos ita accipimus, ut omnem cujuscumque rei rectam intelligentiam significet, non autem ut in eas angustias compellatur, in quas eam tu conjicis, ut consultationi tantum, ac fortunæ subjecta sit. Nam omnem scientiam, quæ in veri investigatione consistit, prudentiæ partem quamdam esse volumus. Sunt etiam scientiæ quædam procul ab honestate remotæ, cum quibus prudentia non permiscetur: omnis enim prudentia, quæ proprie dicitur, semper laudabilis, atque honesta est; & hoc est, quod ait Cicero: *Quibus vitiis declinatis, quod in rebus honestis, & cognitione dignis operæ curæque ponetur, id jure laudabitur, ut in Astrologia C. Sulpitium audivimus, in Geometria Sext. Pompeium ipsi cognovimus, multos in Dialecticis, plures in*

in Iure civili, quæ omnes artes in veri investigatione versantur. Sed, ut facilius intelligatur quod volumus, paulo altius res repetenda est. Dico igitur, apud Latinos tria esse vocabula, quæ in rebus honestis idem pene significent: Prudentiam, Sapientiam, Scientiam, quibus tamen ordine quodam naturali Prudentia præponatur: quoniam Prudentia vis quædam est animi, qua & verum quid sit intelligimus, & quæ sunt expetenda, aut fugienda cognoscimus: unde sæpenumero pro consilio, atque ratione Prudentia poni solet. Cicero secundo de Natura Deorum: *Illud autem, quod vincit hæc omnia, rationem dico, & si placet pluribus verbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, ubi invenimus?* Rursus in eodem libro: *Nec vero eæ stellæ, quæ inerrantes vocantur, non significant eamdem mentem, atque prudentiam*. Et inferius: *Ex quo intelligitur, prudentiam quoque, & mentem a Deis ad homines pervenisse*. Ibidem: *Cumque sint in nobis, consilium, ratio, prudentia, necesse est Deos hæc ipsa habere majora; nec habere solum, sed etiam iis uti in maximis, & optimis rebus*. Quid igitur est, quod etiam Diis immortalibus Cicero prudentiam attribuit? nisi ut intelligamus, id omnino esse commentitium, quod tu nullo auctore somnias, fortunæ subjectam esse prudentiam, & ad res tantum humanas, & futuras attinere? Nam non ita multo post hæc adjungit: *Nihil autem nec majus, nec melius mundo: necesse est ergo eum Deorum consilio, & providentia administrari*. Rursus inferius: *Efficitur, omnia regi divina mente, atque prudentia*. Ergo Prudentia & pro ratione humana, & pro Deorum providentia, & pro divina mente capi solet. Sed Deos relinquamus, & videamus, quid in homine prudentia sit. Adprobat Cicero secundo de Finibus sententiam Aristotelis, qui dixerat: *Ut ad cursum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, Intelligendum, & Agendum esse natum, quasi mortalem Deum*: hoc est, (ut ego interpretor) ad prudentiam, & reliquas virtutes. Prudentia enim in cognitione, reliquæ virtutes in actione constitutæ sunt. Et quoniam intelligere prius oportet, deinde agere, idcirco prudentia principem locum apud Ciceronem est sortita. Atque hæc quidem virtus in omnia tempora distribuitur. Hinc est quod secundo de Inventione Cicero tres prudentiæ partes constituit, *Memoriam, Intelligentiam, & Providentiam: ut Memoria de preteritis dicatur, Intelligentia de præsentibus, Providentia de futuris*. Quo fit, ut prudentia, quæ omnia tempora complectitur, omnem etiam scientiam contineat. Itaque quæcumque tu scientiæ propria esse dicis, & a prudentia remota, ego longe melius una cum Cicerone Prudentiæ nomine complector. Quid enim aliud est *Prudentia, nisi* (ut eam tertio de Natura Deorum definit Cicero) *scientia rerum bonarum & malarum; & nec bonarum, nec malarum?* Quæcumque autem dici, aut excogitari possunt, ea vel bona, vel mala: vel nec bona, nec mala sunt: ergo Prudentia rerum omnium est scientia. Quod si tibi non placet hæc Ciceronis definitio, quære quid ab Aristotele dicatur in libello illo aureo de Virtutibus, ubi prudentiæ officia sic exequitur:

Της δε φρονησεως εςι το βȣλευσασθαι, το κριναι τα αγαθα, και τα κακα και παντα τα εν τῳ βιῳ αἱρετα και φευκτα· το χρησθαι πασι καλως τοις ὑπαρχȣσι,

χυσι, αγαθοις, το ὁμιλησαι ορθως; το συνιδειν τυς καιρυς, το αγχινως χρεσασθαι, και λογῳ καὶ ἐργῳ· το την εμπειριαν εχὲιν των χρησιμων παντων. *Nemo enim poterit bona & mala dissernere, quæ sint expetenda aut fugienda judicare, recte præsentibus bonis uti, rerum opportunitates cernere, dictis & factis uti cum solertia; rerum omnium utilium usum & experientiam habere, nisi qui harum rerum scientiam fuerit adeptus.* Sed his rebus omnia continentur: ergo prudentia scientiam omnium rerum complectitur. Sed juvenes (inquis) scientiam sibi comparare possunt; prudentem juvenem non facile reperies: Mirum ni cum hæc effutires, te Bacchus agitaret. Quam enim ridicula hæc ratio est? Nam si possunt sibi juvenes scientiam comparare, quid prohibet, quin etiam sibi prudentiam comparent? Sed non facile prudentes juvenes reperiuntur. Quis neatg? cum neque scientes multi sint. Sed cum quis disciplinam aliquam ac scientiam adeptus est, omnino prudens in ea dici potest, etiam si in aliis rebus imprudens esse videatur. Hinc *juris prudentes* dicuntur, *qui legum periti sunt, etiam si frequentissime sint in rebus multis imprudentissimi*. Et Cicero scribit, *Stoicos in disserendo prudentissimos esse: & Acilius ideo dictus est sapiens, quod esset prudens in jure civili*: Possunt igitur juvenes cum Geometræ, aut Musici facti sunt, Prudentes in ea scientia recte appellari. Sed prudens (ais) nemo est, nisi bonus: sciens malis perversisque moribus uti potest. Quid? prudens ergo malis moribus uti non potest? Atque non ibis inficias, etiam prudentem habere liberam peccandi voluntatem: unde Medæa prudentem se peccare ostendit, cum apud Ovidium ita loquitur:

—— *Video meliora proboque, Deteriora sequor.* Quamvis mira sit inconstantia tua, quam damnare si velim, satis copiose liceat. Hic enim ais, prudentem neminem, nisi bonum, esse non posse: paulo post ita dicis: Prudens enim persæpe manus dat affectibus, & nunc amore, nunc odio huc vel illuc rapitur. En qui Ciceronis impugnandi provinciam sumat, qui eadem pagella non meminerit, quod paulo ante dixerat? Nam si nemo prudens, nisi bonus, ut ais, sequitur, ut quoniam prudens nunc odio, nunc amore huc vel illuc rapitur, & manus dat affectibus, etiam bonus vir idem patiatur. Sed qui odio atque amore trahitur, & manus dat affectibus, ille sine dubio improbus, ac nefarius est. Ergo, te præceptore, bonus est improbus, ac nefarius. Vides quæ te barbatum insania verset, quia semel veritatem impugnandam suscepisti? Sed in eo quod quis peccat, neque prudens, neque sciens recte dici potest. Hoc autem tertio Ethicorum probat Aristoteles: *Neminem scientem, sed ignorantem peccare; & malitiæ atque improbitatis non aliam esse causam, quam eam, quæ est in eligendo ignorantia.* Præterea negas, prudentem esse scientem: at ego apud auctores Latinos ita posita hæc nomina reperio, ut nihil penitus, aut parum admodum inter se differant. Terentius in Eunucho: *Et prudens, sciens, vivus, vidensque pereo.* Plinius libro octavo, de Castore vel Fibro: *Ob ea se peti prudens.* Cicero in epistolis: *Sic ego prudens ac sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus.* Idem pro Murena: *Prudens ac sciens ad interitum ruebam.* Atque ita Imprudens contrarium est scienti, ut Cicero pro Roscio Amerino: *Hæc omnia imprudente L. Sylla facta sunt.* Quo in loco si dixe-

dixeris *insciente*, quis non videt, idem futurum? ut in epistolis: *Nihil in ea re per collegam meum me insciente esse factum*. Sed quid exemplis opus est, quibus plena sunt omnia? quibus (inquam) & sciens pro prudente, & contra prudens pro sciente ponitur. Verum illud ego prætermissis exemplis a te peto, an prudentia sit scientia? Negas? At mihi libet aliquantulum navem meam Dialecticorum remis impellere. Formemus igitur syllogismum hoc modo: Nulla prudentia (ut tu censes) est scientia: sed omnis cognitio rerum bonarum, & malarum est prudentia: nulla igitur cognitio rerum bonarum, & malarum est scientia. Sumamus iterum hanc conclusionem, ut ostendamus nihil tam absurde dici posse, quam prudentiam non esse scientiam. Nulla cognitio rerum bonarum & malarum est scientia: quæcumque vera sunt, aut falsa, sunt bona vel mala: ergo verorum & falsorum cognitio non est scientia. Philosophia vero dicitur veri & falsi cognitio; quare sequitur, ut neque Philosophia sit scientia: est autem eadem Philosophia, quæ gravissimo nomine Latino Sapientia dicitur: ergo neque sapientia est scientia. At vero Sapientia definitur, ut sit rerum divinarum atque humanarum scientia. Itaque nisi cæcus es, eo te deduxi, ut jam tibi si constare vis, scientiam esse scientiam negare sit necesse: quo quid insanius haberi potest? Prudentia non est scientia? Dii boni, quanto gaudio cumularer, si tecum congredi possem. Sed ad rem. Si prudentia non est scientia, neque prudens erit sciens: verum prudens ea scit, quæ sunt expetenda aut fugienda, ergo non sciens ea scit, quæ sunt expetenda aut fugienda. Rursus ita ex tuis verbis: Prudens non est sciens, sed prudens inter alios plurimum eminet, & apud omnes quasi architecti vice fungitur: ergo nesciens inter alios plurimum eminet. Quid ad istas ineptias abis, inquies? quasi vero non possim plurimis exemplis a Cicerone sumptis probare, quod volumus: sed jocari paulisper libuit. Cicero primo de Natura Deorum Epicurum ignorantiæ damnat, scribitque illum nihil dicere, quod non modo Philosophia dignum sit, sed mediocri prudentia; quo in loco Prudentiam, pro scientia capi certum est. Quid quod etiam opportunitatem temporum & ordinem rerum Cicero scientiam appellat? quæ certe prudentia est. Idem ad Herennium libro tertio (si modo Ciceronis illud opus est: Latini certe hominis est, & antiqui) ita inquit: *Dicitur etiam prudentia, scientia cujusdam artificis*. Item appellatur *Prudentia, multarum rerum memoria, & usus complurium negotiorum*. Idem paulo post: *Prudentiæ partibus utemur, si qua in re cohortabimur aliquem, cujus rei aliquam disciplinabilem scientiam poterimus habere*. Quibus ex verbis facile potest intelligi, scientias omnes ac disciplinas, quæ liberales appellantur, ad prudentiam pertinere. Unde rectissime Philosophi, qui has scientias profitentur, prudentes dici possunt: quod nescio qua ratione tu negare audeas, cum sæpenumero per scientiam naturalem ea videant, quæ futura sunt: de quibus ita loquitur primo de Divinatione Cicero: *Nam & natura futura præsentiunt, ut aquarum fluxiones, & deflagrationem futuram aliquando cæli atque terrarum: alii autem in Repub. exercitati, ut de Atheniensi Solone accepimus, orientem Tyrannidem multo ante prospiciunt, quos prudentes possumus dicere, id est providentes: divinos nullo modo pos-*

do possumus: non plus, quam Milesium Thaletem, qui ut objurgatores suos convinceret, ostenderetque etiam Philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam antequam florere cœpisset in agro Milesio coemisse dicitur: animadverterat fortasse quadam scientia, olearum ubertatem fore. In eodem opere Physicorum *Prudentiam*, pro *scientia* dixit: ut non dubium sit, quin ita senserit ubique Cicero, quod hoc loco docet, *scientiam omnium rerum pulcherrimarum prudentia contineri*. Non igitur in hoc opere fuit minus diligens, quam in reliquis, cum ubique sui similis esse videatur.

Iacobus Griffolus
Ad vicesimam secundam Cœlii Calcagnini disquisitionem.

VEnimus tandem ad eum locum, in quo, ut vere dicam, Cælius nimium se jactat: itaque si umquam alias modestiam ejus desideravi, nunc eam maxime desidero. Quod si, ut par fuit, prius discere voluisset quid apud M. Tullium valeat nomen scientiæ, quam ejus sententiam aut orationem reprehendere auderet, non tantum laborasset in demonstrando quid ea differat a prudentia, perinde ac ipse solus ea legerit apud Arist. quæ nota sunt omnibus; sed ne quid præterire videar, cogor ea tibi exponere, quæ per te habes cognitissima, *ut hoc nomen scientiæ non semper* apud Ciceronem *earum esse rerum, quæ caussas habent necessarias*, verum sæpe usurpari pro arte, pro cognitione, pro prudentia; quam quidem proprietatem si Cælius didicisset, non ita sibi delirare Cicero visus esset, ut eum nec attendere quid dicat, nec latine scire judicaret. Nam cognita verborum, ut fere nulla esse potest, ambiguitatis causa; neque enim video cur scientiam pro cognitione Cicero usurpet, Cælius eum non debet imitari, nisi, ut plerumque fecit, elegantiam latini sermonis, & puritatem velit aspernari; nam in oratione latina tantum valet Ciceronis auctoritas, ut quo ipse usus non sit, vix latinum esse verbum videatur. Ne igitur a Cælio discamus, quænam sit ratio latinæ linguæ, dico sæpe a Marco Tullio non eam intelligi scientiam, quam in Ethicis definit Arist. *esse habitum conclusionis per demonstrationem acquisitum, sed eam, quæ cognitionem comprehensionemque significat*. Itaque, ut in aliis quoque nominibus idem significantibus persæpe fecit, cognitionem, & scientiam libentissime conjungit; ut in libro de Orat. *Cognitio*, inquit, *rei, scientiaque perquiritur*. & de Fin. *Quidquid porro animo cernimus, id omne oritur a sensibus, qui si omnes veri sunt, ut Epic. ratio docet, tum denique poterit aliquid cognosci, & percipi, quos qui tollunt, & nihil posse percipi dicunt, ii remotis sensibus ne id quidem expedire possunt, quod disserunt; præterea sublata cognitione & scientia tollitur omnis ratio & vitæ degendæ, & rerum agendarum*. Vbi vides *cognoscere, percipere*, & *scire* eamdem vim habere; cum enim cognosci, & percipi dixisset, cognitio, & scientia pro præceptione induxit. Rursus in tertio de Fin. *Innatus est*, inquit, *omnibus cognitionis amor, & scientiæ*. Iam vero latine dicimus cognoscere jus civile, & scientiam ejusdem facultatis: quid est præterea scientia pertractandorum animorum? ars opinor; unde *Stenelus sciens pugnæ* dici-

dicitur ab Horatio, & Cicero de Fin. *scientiam* dixit *suam cujusque artis*; quid Aristot. nonne etiam ipse ἐπιστήμην pro *arte* ponit cum alias sæpe, tum in secundo Eth. cum de mediocritate, & substantia virtutis disputat? inquit enim: Οὕτω δὴ πᾶς ἐπιστήμων τὴν ὑπερβολὴν, καὶ τὴν ἔλλειψιν φεύγει τὸ δὲ μέσον ζητεῖ, καὶ τοῦθ᾽ αἱρεῖται, μέσον δὲ οὐ τὸ τοῦ πράγματος, ἀλλὰ τὸ πρὸς ἡμᾶς. *Itaque sciens omnis; nimium, & parum fugit: mediocritatem exquirit; atque hanc exoptat: mediocritatem, inquam, non rei, sed eam quæ nobis est mediocritas*: & sequitur: Εἰ δὴ πᾶσα ἐπιστήμη οὕτω τὸ ἔργον εὖ ἐπιτελεῖ πρὸς τὸ μέσον βλέπουσα: *Jam si scientia omnis ita demum munus suum bene explet, & absolvit; si mediocritatem sibi ob oculos proponet*: & quæ sequuntur. At etiam Alcinous Platonicus: *prudentia*, inquit, *quæ & scientia est, propria unicuique tribuit*; ergo cum hi- erravit Cicero, ac ita erravit, ut in primo de Orat. prudentiam pro scientia cum cognitione conjunxerit his verbis: *Quæro num in senatu de omni reip. genere dici sine summa rerum civilium cognitione, & prudentia possit*: ac alibi *prudentiam juris publici* dixit pro *scientia*. Vt autem melius cognitionem, & perceptionem, & comprehensionem, & scientiam idem esse videas, sic idem in Academicis Quæst. ait: *Nec definiri ajebant necesse esse quid esset cognitio, aut perceptio, aut, si verbum e verbo volumus, comprehensio, quam κατάληψιν illi vocant*. Hîc videmus tribus Latinis verbis eamdem unius Græci vim expressam; paulo vero post *scientiam comprehensionem* vocat; inquit enim: *Maxime vero virtutum cognitio confirmat percipi, & comprehendi multa posse; in quibus solis inesse scientiam dicimus; quum nos non comprehensionem modo rerum, sed etiam stabilem, & immutabilem censemus*: quo in loco scientiam esse aliud cernimus; cum simplex est comprehensio alicujus rei, quæ variari potest; aliud cum stabilis, & quæ nullam sit umquam mutationem habitura; tunc est enim earum rerum, quæ stabiles sunt, quales sunt virtutes, quæ dicuntur animi habitus naturæ, & modo, & rationi consentanei, quæ quidem vis est prudentiæ; unde Arist. in Ethicis. *Virtus est*, inquit, *habitus cum prudentia*; nam *quod habitus sit permanens ac difficile removeatur*, non solum Arist. sed etiam a puero docuit Mar. Tullius, quippe qui in libris de Inventione *eum* definit *esse animi aut corporis constantem, & absolutam aliqua in re perfectionem, aut virtutis, aut artis perceptionem alicujus, aut quamvis scientiam*. Ex his arbitror cuique jam constare posse cognitionem, perceptionem, comprehensionem, scientiam, & prudentiam pro eodem accipi solere, & sine suspicione ignorantiæ conjungi posse; quod si ita est, quid attinuit afficere gravissimum scriptorem tanta contumelia? quia dixit omnes trahi ad cognitionis, & scientiæ cupiditatem, quoniam prudentia maxime naturam attingit humanam; quasi vero prudentia non sit scientia, ut Platonici testantur, nec ad eam pertineat cognitio, scientiaque rerum, aut hæc aliena sint ab humana natura; an quod hæc Cælio non probantur, impropria, & barbara statuemus esse? hæc Cælius scribebat, & adhuc otium desipiendi melius optabat? parum mehercule sibi constitisse in tanto suo otio, & quiete videtur, dum M. Tullium gravissimis actum perturbationibus parum sibi constitisse prædicabat; vexabatur ille quidem illis civilium perturbationum fluctibus, sed nulla umquam tempestas potuit esse

tanta,

tanta, quæ constantiam illius mentis perturbaret; cujus quidem rei indicio nobis sunt tot clarissimæ actiones ejus, & hi prudentissimi, & accuratissimi Officiorum libri, quos quidem, ut testatur ipse Cælius difficillimis temporibus, & inquietissimis conscripsit; quo fit ut verear ne familiares Cælii, apud quos illa viri summa industria, ingenio mirabili, doctrina excellentissima, & diligentia singulari præditi tantam, & toties negligentiam accusabat, ipsius potius Cælii amore incredibili, atque admiratione tenerentur, quam ut ille ait Ciceronis; vix enim semel eum tam iniquum in Ciceronem judicem ferre potuissent; atque omnia, quæ ex Aristotele sumsit, ut quot rationibus scientia differat a prudentia doceret, vera illa quidem esse confirmassent, sed tamen ut parum necessaria improbassent; nam Cicero nec voluit esse Aristotelicus, & aliud dixit, quam sit a Cælio reprehensum.

Vicesima tertia Cælii Calcagnini disquisitio.

F*Undamentum autem justitiæ est fides*, id est, *dictorum conventorumque constantia & veritas*. Mallem dixisset, fidei fundamentum esse justitiam. Fides enim ad justitiam refertur, non justitia ad fidem. Tolle fidem, erit tamen adhuc locus justitiæ, magnaque ejus portio superstes manebit. Quod si quis clementius cum Cicerone agere velit, dicet fidem, si quid fides ad justitiam fulciendam pertinet, vix unius particulæ fundamentum esse posse. Quum enim justitiam duobus fastigiis metiamur, universali altero, quo justitiam interpretamur publicam naturæ legem, ab ipsis primum natalibus mortalium animis insitam, qua bonum malumque secernimus, videmus, quid appeti, quid refugi oporteat, cujus denique complexu omnis virtus clauditur, ex quo carmen illud apud Græcos effluxit: Εν δὲ δικαιοσυνῃ συλλήβδην πασ' ἀρετ' ἐστι. & tritum illud: *Neque Hesperum, neque luciferum æque esse admirabilem*. Alterum est justitiæ fastigium, minus illud quidem universale: utpote quod justitiam unam, non reliquas etiam virtutes complectatur; sed & hoc quoque biceps est. Altera distributiva justitia, quæ a Græcis διανεμητικη dicitur, continetur: ad quam Geometricam proportionem referimus. Hæc ea est scilicet, quæ imperia, honores, magistratus cuique pro dignitate dispensat. Altero ea justitiæ pars includitur, quæ ἀλλακτικη vocatur a Philosophis, & ad contractus conventionesque hominum refertur; in qua Arithmetica versatur proportio, quum scilicet omnibus ex æquo, quod suum est impenditur. Ad hanc sponsionum æqualitas, ad hanc spectat jurisjurandi sanctitas; in hac una fides, id est dictorum conventorumque constantia dominatur; nam in ceteris, quas diximus, partibus, non video cui usui esse possit; certe in eis aut nullum, aut omnino perangustum, mea quidem sententia, locum habere potest.

M. Ant.

M. Ant. Majoragii Decisio vicesima tertia.

NAm illud etiam nimis imperite reprehendis, quod *Iustitiæ fundamentum* Cicero *Fidem esse* dixerit: mallesque eum dixisse, *Fidei fundamentum esse Iustitiam*: quoniam fides (ut tu vis) ad justitiam refertur, non justitia ad fidem. Cum enim triplicem justitiam statuant: primam, quam interpretantur naturæ legem, cujus complexu virtus omnis clauditur: unde illud:

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Alteram, quæ cuique pro dignitate tribuit juxta Geometricam proportionem: Tertiam quæ ad contractus conventionesque hominum refertur, quæ omnibus ex æquo, quod suum est, impendit, juxta proportionem Arithmeticam, in hac tantum ultima tu fidem censes esse collocandam. Itaque si fides tollatur, credis tamen justitiæ locum fore: quod si ita esset, omnino male Cicero justitiæ fundamentum fidem esse dixisset. Verum ego non contentus ista tua tam rotunda divisione, diligentius hanc rem tractare constitui, ut ex verbis suis, si fieri potest, veritatem eliciam. Nam si docuero, nullo modo fieri posse, ut sublata fide sit justitia, verum sublata justitia, sæpenumero fidem remanere: non erit dubium, quin justitiæ fundamentum sit fides. Primam igitur eam justitiam universalem, quam publicam naturæ legem appellamus, *cujus uno nomine* (ut Divus ait Hieronymus) *omnes virtutum species continentur*, quam tu procul a fide remotam existimas, dico ego sine fide esse nullo modo posse: ut non tantum justitiæ, sed omnium virtutum fides fundamentum sit. Nam quæ virtus in homine perfido ac fœdifrago potest inveniri? Illud enim omnino consequens est, ut in quo non est fides, in eo sit perfidia. Nam qui sine fide est, nullam servare societatem, nullam amicitiam, nullam vitæ communitatem potest, in qua virtutis splendor est maximus & ex qua boni viri nominantur. Quo fit, ut necessario Malus esse judicetur: eum vero Malum hominem dicimus, qui ab omni virtute sit alienus. Itaque qui fide caret, eum omni virtute carere necesse est. Dicitur enim in eo fides non esse, qui nullam conventionem, nullum fœdus ratum habet, nullum sacramentum, aut jusjurandum servat, sed quacumque ratione potest justitiam violat, fraudat, decipit, spoliat: vel si hæc non exequitur, animum tamen habet ejusmodi, ut oblata occasione, statim flagitium aliquod aggrediatur. Quicumque autem ita affectus est, etiam si nemini noceat, eum tamen nemo justum, sed impium potius, ac perfidum omnes existimant. Duobus autem modis dicitur homo fide carere: id est, actu, & habitu: atque utroque modo, si mala mens accesserit, Perfidus appellatur. Nam & qui fidem violat, & qui per diutinam consuetudinem ita affectus est, ut sine religione fidem violare paratus sit, is nullam omnino justitiæ partem habere potest. Qui vero justitiam sequi solet, is neque fidem frangit umquam, neque ita est affectus, ut quemquam decipere concupiscat: ergo nulla est in eo perfidia, sed ei fides ubique comitatur. Falsum est igitur, quod

quod tu conaris ostendere, in una tantum justitiæ particula fidem esse, cum sine fide nulla virtus esse possit, & qui consulto fidem fallit, ac negligit, is repente fiat injustus, & impius: ut merito Publianus dixisse videatur: *Fidem qui perdit, quo se servet in reliquum?* Sed longe melius, & verius Poeta quidem Hetruscus *omnium virtutum fundamentum esse Fidem* pronuntiavit: cujus verba quovis poetico melle suaviora, nisi quorumdam imperitorum voculas pertimescerem, libenter recitarem. Scio enim, si cum Latina locutione vulgarem sermonem permiscuero, non defuturos, qui vehementer rideant, & tamquam rem absurdam atque ineptam vituperent. Ego vero non video, quare tantopere sit hoc improbandum, cum præsertim duos habeamus Hetruscos Poetas, tam elegantes & eruditos, ut neque Græcis ullis, neque Latinis cedere videantur. Quod si pulcrum putamus, interdum Latinis Græca permiscere, cur non idem etiam in aliis linguis, si commode fiat, laudemus? Sed rideat qui volet, ego certe carmen unum, quod ad hanc quæstionem mirifice convenit, e Dantis Hetrusci Poetæ Paradiso decerpam, quo te facilius refellam: sic igitur ille:

Sopra la fede ogni virtu si funda.

Vidit acutus & ingeniosus homo, perfidiosum hominem nulla virtute præditum esse posse. Quo magis irridenda est inscitia tua, qui sine fide virtutem omnem acquiri posse existimes: eam enim justitiam, quæ omnem virtutem amplectitur, procul a fide remotam arbitraris. Itaque tuo judicio, Perfidus homo sanctissimus, atque optimus est: quod quam absurdum sit, etiam puero perspicuum est. Nos autem fidem latissime patere contendimus, ut nulla perfecta virtus esse sine fide possit; & tamen sine virtute fides invenitur: *Nam inter sicarios etiam & latrones sæpenumero fides est, cum in eis nulla sit virtus, nisi fortasse aliqua justitiæ particula* (ut docet Cicero) *quæ fidei adhæret.* Omnis enim justitiæ pars fide stabilitur. Vnde laudatur illud Agesilai dictum, qui cum interrogatus fuisset: *Vtra major esset virtus, Iustitia ne, an Fortitudo?* Respondit: *Ουδεν οφελος ανδρειας ειναι μη παρουσης δικαιοσυνης. ει δε δικαιοι παντες γενοιντο μηδεν ανδρειας δεηθησεσθαι. Nullam fortitudinis utilitatem fore, si justitia adfuerit: nam si justi fierent omnes, fortitudine nihil opus esset.* Sed nemo justus esse potest, nisi fidem in rebus honestis omnibus diligentissime servaverit; ergo ad acquirendam justitiam, quæ virtutum omnium regina est ac domina, fide maxima opus est. Quod si nulla fides sit, neque hominum societas erit inter ipsos, neque vitæ communitas, nemo communes utilitates in medium afferet, mutatione officiorum dando & accipiendo, in nullis hominibus erit constantia & veritas. Itaque peribit omnis humana justitia: Præclare vero describit Horatius in Odis virum justum, & maxima fide præditum his verbis:

Iustum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida. & quæ sequuntur.

Hæc

Hac de causa credo Poetas finxisse Iustitiam virginem esse, quod sit constans, fidelis, vera, atque integra, quæ neque metu ullo, neque cupiditate corrumpatur, de qua sic Hesiodus;

Η' δέ τε παρθένος εστι δίκη Διος εκγεγαυια
Κυδρη τ' αιδοιη τε θεοις οί ολυμπον εχουσι.
Virgo autem est Iustitia Iove prognata,
Augusta, & veneranda Diis, qui Cælum habent.

Ex hoc autem facillime cognosci potest verissimum esse, quod ait Cicero, *Justitiæ fundamentum esse fidem*: quod quemadmodum sine ædificio fundamentum sæpe reperitur, ita etiam fides sine justitia. *Potest* enim *vir scelestus & improbus* (ut Lactantius docet) *fidem in omnibus servare quæ dixerit, aut promiserit*: at contra, quemadmodum nullum potest ædificium sine fundamento stare, ita sine fide justitia non reperitur; nam qui fidem facile violat, & frangit, is quomodo justus esse potest? Huc accedit, quod iis, qui sunt improbi, non credimus, etiam si fidem numquam fallant; quoniam ubi domicilium non videmus; ibi neque fundamentum ullum esse suspicamur. Iustis autem, & fidis hominibus, id est, viris bonis, ita fides habetur, ut nulla in his fraudis sit, injuriæque suspicio. *Fides autem ut habeatur* (inquit Cicero) *duabus rebus effici potest, si existimabimur adepti conjunctam cum justitia prudentiam. Neque enim justi, atque intelligentes quemquam decipiunt.* Hinc illud tritum jam vetustate proverbium: *Dignus qui cum in tenebris mices*. Etenim omnes viri boni ipsam æquitatem, & jus ipsum amant: nec est viri boni tale quidquam animo concipere, quod in alterius fraudem committatur, cum præsertim intelligat, ab eo sibi fidem haberi, quod si consulto fides frangatur, & is, qui nihil tale timeat, decipiatur, corruat statim omnis justitia necesse est. Invitat igitur vera ratio bene sanos, ad justitiam, æquitatem, & fidem, docetque, sine fide nullam æquitatem, aut justitiam esse posse: quod cum ita sit, omnis æquitatis ac justitiæ fundamentum erit fides.

Jacobus Griffolus ad vicesimam tertiam Celii Calcagnini disquisitionem.

F*Undamentum autem justitiæ est fides*, id est, *dictorum, conventorumque constantia, & veritas*. Offenditur hoc quoque loco Cæl. atque ait justitiam potius esse fidei fundamentum, quam contra, latius enim patet justitia, quam fides; nam tolle fidem, inquit, erit adhuc locus justitiæ, magnaque ejus portio superstes manebit. Recte Cælius, si Cicero hic eam justitiam intellexit, quæ lex est naturæ, & in omnes virtutes diffunditur, sin autem de ea tantum justitiæ parte loquitur, quæ pertinet ad contractus, conventiones, res creditas, & hujusmodi, decipitur omnino Cæl. At non ita sunt obscura Ciceronis verba, ut ambigi debeat, de qua justitia loquatur; inquit enim, *homines hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent, in hoc debemus naturam ducem sequi, & communes utilitates in medium*

dium afferre mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem; hujus autem societatis, qua fere omnes intelligimus vitæ quasi communitatem contineri, an firmius esse potest ullum fundamentum, quam fidei? nonne hæc est ea pars justitiæ, quæ, sublata fide, constare non potest? Quod autem M. Tullius hoc intelligat, non solum ex fidei definitione patet, quam esse dictorum, conventorumque constantiam, & veritatem ait, sed etiam ex etymologia; inquit enim: *credamusque quia fiat quod dictum est, appellatam fidem*. Quod autem fides humanam societatem conservet, idem etiam in secundo Off. confirmat, cum dicit: *Nec enim ulla res vehementius remp. continet, quam fides, quæ esse nulla poterit, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum.* Quare pro Pomp. Rom. inquit *solutione impedita fidem concidisse*; in partitionibus vero expressius ait: *justitiam in rebus creditis fidem nominari*; & pro Quintio *societatem fide edi*; ex quibus locis constat Ciceronem dixisse *fidem*, non ut Cælius opinatur, *esse fundamentum legalis justitiæ, in qua omnes reliquæ virtutes includuntur*: verum *τῆς ἀλλακτικῆς*, quæ ad permutationem rerum pertinet, & est prima pars justitiæ. De liberalitate vero altera scilicet justitiæ parte non ita multo post inquit: *Nitendum est ut pro dignitate cuique tribuatur; id enim est fundamentum justitiæ*; ita utriusque justitiæ partis proprium posuit fundamentum. Et partitione usus est Aristotelica, præterquam quod in verbo liberalitatis differt; verum de eo suo loco plenius agetur; ac his jam Cælii calumniæ satisfactum puto. Ut autem omnia, quæ sunt hujus loci persequamur, in primo de Legibus Cicero *fundamentum juris dilectionem esse* dixit. Etenim jus semper versatur in æquitate, quæ quidem sine dilectione servari non potest; ut in hoc juris fundamento, sit omnis fere christianæ pietatis conservatio; ubi enim dilectio, ibi locus injuriæ nullo modo esse potest, sed *vera pietatis laus*, quam recte Cicero pro Plancio *fundamentum esse virtutum omnium* testatur; verum seu dilectionis, seu pietatis fundamento (eadem fere vis est utriusque verbi) universalem niti justitiam voluisse M. Tullium existimo; sed illud etiam videtur aliquid habere quæstionis, cur nemini nocere, & communi utilitati servire non longe ab hoc loco justitiæ fundamenta esse dixerit; nam si fides est fundamentum Arithmeticæ justitiæ, tribuere cuique pro dignitate, Geometricæ; nam verbis tantum ab Aristotele Cicero dissentit, cujusnam hæc alia erunt fundamenta? an ejusdem, cujus est fides? etenim qui fidem suam præstat, is nec quidquam per injuriam, quod suum non sit, sibi vindicat, & communi utilitati, id est, suæ, & aliorum servit. Sed ut ipsius Ciceronis verbis ex Off. primo sumtis concludamus, his duobus fundamentis hominum societas sustentatur, *tribuendo suum cuique, & rerum contractarum fide*.

Vicesima quarta Cælii Calcagnini disquisitio.

ILlud quoque videtur in disquisitionem vocari posse, cur Cicero *prudentiam loco principe inter virtutes* statuerit, quam in quartam demum classem, & post ipsam justitiam Aristoteles collocaverit, quum in fronte & inter antesignanos fortitudo ordinem ducat. Vterque sane videtur justis rationibus suam tueri posse sententiam. Quando Cicero vidit prudentiam unam esse, quæ se ceteris ducem virtutibus præbeat, meritoque apud Platonem vice oculi fungi; nam plane ablegata prudentia exoculatæ sunt omnes, suumque munus implere non possunt. Iure itaque prudentiæ princeps locus debetur. Atqui diversa ratio Aristoteli persuasit, ut in quartum locum eam rejiceret. Tres enim priores virtutes, fortitudinem puta, temperantiam, & justitiam, parti animæ ratione carenti tribuit, easque tantum moralibus adnumerat. Tum demum aliam divisionem init ejus animæ partis, quæ rationis est compos: quum ejus partem alteram contemplationi earum rerum, æqu semper eodem modo se habent, præficit; quo loco scientia & sapientia inprimis præpollet. Pars vero altera præsidet consultationi earum rerum, quæ neque æternæ sunt, neque eodem modo semper se habent. Hic autem prudentiæ primæ partes cedunt, quæ quoniam certo quodam modo inter morales intellectualesque virtutes ambigit, ex eo in limite utrarumque consulto ab Aristotele constituta est, & in quartum denique ordinem transcripta. Ceterum quod fortitudinem ante ipsa principia coordinarit, ideo factum videtur, quoniam neque temperantia, neque justitia, sine fortitudine esse potest; nam etsi mutuo quodam inter se nexu virtutes omnes morales contineantur, fortitudo tamen una omnium maxime ad continentiam temperantiamque, & rursus continentia & temperantia ad justitiam pertinet. Quid enim aliud est temperantia, nisi adversus corporis voluptates lucta? de quibus voluptatibus jam evictis atque expugnatis, temperantia propemodum trophæum statuit. Iustitia vero quomodo suum unicuique tribuat, aut suas alias functiones persequatur, nisi temperantiam in comitatum adsciverit? ob hæc jure optimo princeps locus fortitudini fuit tribuendus.

M. Ant. Majoragii Decisio vicesima quarta.

CVr autem Cicero primum inter virtutes Prudentiæ locum dederit, quam Aristoteles in quarta classe collocarit, facillima est ratio; nam multo melius fecisse videtur Cicero, quam Aristoteles. Nihil enim omnino neque juste, neque fortiter, neque moderate fieri potest, nisi prius intelligamus, qua ratione id faciendum sit. Sic enim ordine quodam naturali constitutum est, ut prius oporteat intelligere, quam agere: atque ideo magnis in rebus solent omnes, antequam ad eas aggrediantur, diligentissime consultare, qui modus in gerendo, & quæ ratio servanda sit. Hinc illa Thucydidis sententia,

tia, quam ita Latine Sallustius reddidit: *Priusquam incipias, consulito; ubi consulueris, mature facto opus est*. Prudentia igitur inter virtutes merito principem locum obtinet, ut non injuria Socrates *prudentiæ nomine virtutes omnes* appellaret; & in Legibus Plato *prudentiam oculum* vocat. Aristoteles vero *quasi Architectum quemdam virtutum omnium* vult esse *prudentiam*; ut mihi veniat in mentem mirari, quare non eam primo loco posuerit, sicuti Cicero. Menander hanc virtutem maximum bonum nuncupavit eo carmine:

Αγαθον μεγιϛον ἡ φρονησις ες᾽ αιει,

Maximum bonum semper est Prudentia.

& Iuvenalis omnia cum prudentia docet optime fieri posse, cum sic ait: *Nullum numen abest, si sit prudentia*. Quin etiam Xenophon *nullius virtutis usum absque prudentia* dixit esse. Quod si verum est, id quod Aristoteles docet, quatuor modis aliquid primum dici posse, Natura, Tempore, Ordine, & Honore: profecto his omnibus modis reliquarum virtutum prima est prudentia. Nemini enim dubium est, quin natura sit ita comparatum, ut cognitio voluntatem præcedat: nam (ut Divus ait Augustinus) *cognita diligere possumus, incognita nequaquam*. Nullus enim ea desiderat, de quibus numquam quidquam cogitavit: sed prius humana mens rerum ipsarum notiones percipit, atque intelligit; deinde vel eas expetit, vel refugit: quo fit, ut naturaliter intellectus prior sit, quam voluntas. At vero *prudentia* (ut Aristoteles auctor est) *in intellectu sedem habet, reliquæ virtutes in voluntate: tota enim prudentiæ vis in cognitione, atque intelligentia posita est, reliquarum virtutum in actionis desiderio. Quare prudentia virtutum omnium juxta naturam prima est*. Iam vero nemo est, qui negare possit, tempus & ordinem rerum ita postulare, ut omnibus rebus gerendis adhibeatur consultatio & præparatio diligens, ne quid temere aut inconstanter geratur: vetatque nobis ratio, ut ea tractemus, quæ penitus ignoramus: sed præcipit, ut ad considerandas res adhibeamus & tempus, & diligentiam, servemusque præceptum illud Isocratis: *βυλευ μεν βραδεως, επιτελει δε ταχεως τα δοξαντα*. *Omnis autem recta consultatio, quæ rem gerendam antecedit* (ut omnes Philosophi docent) *prudentia est*: ergo sequitur, ut & tempore, & ordine ceterarum virtutum prima sit prudentia. Præterea si recte probavimus in superioribus quæstionibus, omnem scientiam & sapientiam prudentiæ nomine contineri, non est quod quisquam dubitet, omnium virtutum præstantissimam esse prudentiam; siquidem sapientes ac scientes soli maximum honorem, & gloriam consequuntur; neque quisquam vir excellens habetur, nisi qui rei alicujus peritiam ac scientiam maximam adeptus fuerit: & qui ita se gerit in rebus omnibus, ut numquam eum factorum suorum pœniteat: quod prudentis hominis maxime proprium est. Planum igitur est, ac manifestum, omnibus modis prudentiam virtutum esse primam. Nam & ea prima dicuntur, quæ cum ademta fuerint, reliqua secum in perniciem trahunt, sed non eodem modo cum reliquis auferuntur. Tolle prudentiam omnem, nulla erit virtus, quæ recte munus

munus suum obire possit. At si reliquæ virtutes adimantur, maxima tamen prudentiæ pars remanebit. Omnes enim artes liberales, ipsa naturalis philosophia, & dicendi ac disserendi ratio, quæ sub prudentia comprehenduntur, etiam si nulla sit alia virtus, in homine possunt esse. Quare longe melius Cicero fecisse videri potest, qui primo loco prudentiam statuit, quam Aristoteles, qui in quarta demum classe collocavit.

Vicesima quinta Cælii Calcagnini disquisitio.

CIcero & hic & multis aliis locis extollit exemplum illud Reguli, quasi singulare quoddam fidei testimonium, quod puto pulcre & commode in examen disquisitionemque posse pertrahi; sed prius ad verbum sententiam Ciceronis transcribamus: M. Attilius Regulus, quum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset, duce Xantippo Lacedæmonio, imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare, juratus missus est ad Senatum, ut, nisi essent redditi Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is quum Romam venisset, utilitatis speciem videbat: sed eam, ut res declarat, falsam judicavit, quæ erat talis; Manere in patria, esse domi cum uxore, cum liberis; quam calamitatem accepisset in bello, communem fortunæ bellicæ judicantem: tenere consularis gradum; quis hæc neget utilia? quæ censes? magnitudo animi & fortitudo negat. An locupletiores quæris auctores? Harum enim est virtutum proprium, nihil extimescere, omnia humana despicere: nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare. Itaque quid fecit? In Senatum venit, mandata exposuit: sententiam ne diceret, recusavit; quamdiu jurejurando hostium teneretur, non esse Senatorem. Atque illud etiam, o stultum hominem (dixerit quispiam) & repugnantem utilitati suæ; Reddi captivos negavit esse utile. Illos enim adolescentes & bonos duces esse, se jam confectum senectute. Cujus cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt, ipse Carthaginem rediit; neque eum caritas patriæ retinuit, nec suorum. Neque vero tamen ignorabat, se ad crudelissimum hostem, & ad exquisita supplicia proficisci. Sed jusjurandum conservandum putabat. Itaque tamen quum vigilando necabatur, erat in meliori causa, quam si domi senex, captivus, perjurus, & consularis remansisset. Vidit Cicero, quam parum sapienter hoc factum sit a Regulo, occurritque aliquot quæstionibus, quæ intendi potuissent. Maluit tamen positionem Stoicorum tueri, quam ex sententia decedere. Ita enim Ciceronis & scriptorum plerumque mos est, inservire tempori, & quo jure quaque injuria proposito patrocinari. Illud vero mihi primum petendum duco, quid Regulo persuaserit, ut Legationem susciperet ad Senatum, ut se hostibus jurejurando obstringeret, nisi impetrasset, ut captivi redderentur, se reversurum. Nam si hoc jam secum ipse præcogitarat, captivos reddi non debere, cur frustra homo senex tantum itineris, supervacuamque operam aggreditur? cur hosti illudit? qui non alia causa eum mittendum judicavit, nisi ut ope-

ut operam daret adniteretur que, ut captivi redderentur. At Regulus non modo ea parte hostem fallit, quod de reddendis captivis nihil agit, neque liberum judicium, ut par erat, senatui relinquit; sed ipse contra fidem ac jusjurandum, contra morem patriæ (neque enim erat facultas ei sententiam dicendi in Senatu; neque civis, neque Senator erat: sed maxima capitis diminutione perculsus, atque interim dum erat hosti obstrictus, nulla erat spes consequendi postliminii) ille, inquam, contra datæ fidei sacramentum, non modo non suadet faciendum quod suadendum susceperat, sed quantum potest hortatur ne id fiat, cujus causa legatus advenerat. Quid est obsecro prævaricari, si hic non prævaricatur? quid fidem frangere, si hic fidem non frangit? At patriæ utilitatem (dicat aliquis) fide hostibus data multo antiquiorem habuit. Verum hostes non utilitatis patriæ gratia, neque ut suorum beneficio inserviret, ei legationem ad Senatum demandarunt: sed ut rem Carthaginensium procuraret, easque partes obiret, quæ ad fidem tanti viri pertinere videbantur. Quid quod neque suum, neque suorum commodum videtur satis intellexisse, quum patriam tanto cive, amplissimum ordinem tam eximio Senatore, totam denique Rempub. tam forti imperatore orbavit? Atqui captivi illi, adolescentes, & boni duces: ipse senex, & prope inutilis Reipub. Quomodo inutilis, qui tanta adhuc prudentia, tanta pollebat animi constantia? qui tanta patriam caritate complectebatur? An tu hunc inutilem, dum vivit, existimare audes? An inutilis Appius, qui & senio confectus, & captus oculis, Pyrrhum non admittendum intra urbem censuit, præclara illa oratione, de qua Ennius: *Quo vobis mentes, recte que stare solebant Antehac, dementi sese flexere ruina?* An Cato? qui suprema prope ætate, dum securitati posteritatis consulit, arrepta recentis fici occasione Carthaginem delendam persuasit; nam protinus tertium bellum Punicum decretum est, quo deinde Carthago interiit, quo tempore Cato jam e vita emigrarat. Quos vero tu mihi adolescentes narras? quos duces objicis? Ceu vero nesciamus præclaram illam Africani sententiam, qui unum se malle civem servare, quam multos hostes occidere profitebatur. At tu mihi sæpius fidem, jusjurandum, promissorum constantiam ingeris; quasi vero ego adversus hæc non possim uxoris & liberorum, & totius familiæ amicorumque benevolentiam, tum etiam patriæ caritatem, & cetera necessitudinum pignora regerere. Adde amoris vinculum, quo quisque sibi naturæ instinctu devincitur. Est id sane tenacissimum, atque arcte nobis impressum. Quod quum omnibus insitum esse debet, tum iis maxime, qui de societate hominum, qui de rebus mortalium possunt bene mereri; ut eo quisque impensiorem curam sibi ac saluti suæ impendat, quo potest melius ac prolixius communi hominum consortio accommodare. Turpe enim est, & propre impium, eum non se tanti facere, quanti virtutes & splendor animi, & rerum a se gestarum gloria postulat. Quare ego pace tanti viri, non adeo Regulum laudaverim, qui volens ac sciens in eum se locum conjecit, qui sibi atrocissima supplicia, & exitium cum summa suorum civium jactura excitavit. Quid vero

ro dicam, quod sævissimorum etiam hostium causam meliorem fecit? qui quum illum acerbissime torquerent, eum meritas perfidiæ, ac τῆς παραπρεσβείας, id est, violatæ legationis pœnas luere causabantur.

M. Ant. Majoragii Decisio vicesima quinta.

De facto Reguli, quod ultimo loco vocas in disquisitionem, non est quod tibi multis verbis respondeam: cum præsertim parum hoc ad Ciceronem, qui non Reguli sapientiam hoc loco, quamvis maxima fuisse videatur, sed fidem laudat: neque disputat, quam sapienter eam legationem susceperit, sed quam religiose jusjurandum servaverit. Tu vero locum hunc quasi dubium & controversum arripis, & declamatorio quodam dicendi genere factum illud improbas, quod sane in utramque partem copiose tractari potest. Sed desine, quæso, declamatoriis exercitationibus, quoniam domi nobis ista nascuntur; relinquamus hoc exercitationis genus adolescentibus & pueris, quibus utilissimum est hos locos tractare, atque in utramque partem disputare, ut aliquam sibi dicendi facultatem parent, & Latinam locutionem exerceant. Nos vero non oratoriis flosculis, sed rationibus pugnemus; non illas dicendi veneres, non lascivientem tropis & schematibus elocutionem, in hoc præsertim disputandi genere, sequamur; sed rem ipsam, quam præ manibus habemus, diligenter enucleando veritatem indagemus. Quam enim copiose putas me posse causam hanc tractare, si pandere velim orationis vela? Sed non faciam: ne id ipsum, quod in te vitupero, committere videar. Ipsam tantum rem brevissime proponam, & ostendam, a te sine causa factum hoc improbari. Quid ais igitur? damnandum est illud quod tam egregium omnes existimant Reguli factum, qui maluerit ad crudelissimum hostem, & ad exquisita supplicia proficisci, quam jusjurandum violare? Sed qua de causa damnandum censes? an quod jurisjurandi religionem maxime esse censuit? Hoc vero nemo est, quin intelligat, honestissimum esse. An quod reversus est ad supplicia, cum posset in patria secure vivere? At si hoc fecisset, perjurio vitam suam contaminasset. Non igitur video, quid possis reprehendere. Verum illud ostendere conaris, frustra legationem suscepisse Regulum, si ipse præcogitaverat captivos reddi non debere: fecisseque contra datæ fidei sacramentum, quod adhortatus sit, ne id fieret, cujus causa legatus advenerat. Hæc (ut opinor) summa est accusationis tuæ. Quod si nos docuerimus, neque frustra legationem eum suscepisse, neque contra fidem datam quidquam fecisse, non erit dubium, quin a Cicerone meritissimo Regulus laudetur: propterea quod etiam captivus maximum in patriam suam amorem ostenderit, & tamen jurisjurandi religionem observarit. Quid igitur est? Cum primo bello punico Carthaginiensium res vehementer essent afflictæ, neque Romanorum robori, ac fortitudini diutius resistere possent, necesse fuit illis ad Lacædemonios confugere, & ab illis auxilium petere, quo impetrato, Xantippus Lacædemoniorum ductor Carthaginem profectus, non

non ita multo post Romanorum exercitum, cui consul Attilius Regulus præerat, debellavit, ipsum Consulem cepit, & Carthaginem deduxit. Postea vero Carthaginienses hac accepta tam insigni victoria, de pace cum Romanis facienda cogitare cœperunt: sperabant enim Romanos ob acceptam belli nuper offensionem, facile id concessuros: & quo magis populum Romanum ad pacem allicerent, eorum consulem Regulum, quem captivum habebant, cum legatis suis Romam miserunt. Sed prius eum jurejurando adegerunt, ut si Romani neque pacem facerent, neque captivos redderent, ipse cum legatis iterum Carthaginem reverteretur. Regulus vero qui verebatur, ne Romani pacem acciperent, aut captivos permutarent, quod utrumque videbat Romanæ Reipub. perniciosissimum fore, legationem non recusavit, neque aliud Carthaginiensibus promisit, nisi se reversurum, si nihil a Romanis esset impetratum. Non autem pollicitus est (ut tu fortasse existimas) se daturum operam, ut pax fieret, aut captivi redderentur: quod neque hostes ab eo petivisse dicuntur: quippe qui crederent illum obnixe omnia facturum, quo persuaderet captivos esse mutandos, ut domi, atque in patria sua, cum conjuge ac liberis esse posset. Hîc a te peto, quid esset facturus vir patriæ amantissimus? an recusaret legationem? At fortasse Romani nescientes quo in statu res Carthaginiensium essent, cupide pacem fecissent, & captivos reddidissent: quod si esset factum, speciosissimum illum triumphum de Carthaginiensibus Quinto Luctatio consule atque imperatore populus Romanus non reportasset. Sed interim Carthaginiensium vires auctæ majus postea Romanis detrimentum attulissent. Quod cum homo prudentissimus Regulus quasi e specula quadam longe futura prospiceret, voluit civibus suis ac Romanis ea prædicere: quod nullo modo facere poterat, nisi Romam profectus esset. Non igitur frustra legationem suscepit, sed ut patriæ consuleret, ut Romanis aperiret quod ignorabant, ut Pœnorum debilitatas jam & fractas vires esse Senatus intelligeret. At non licebat illi sententiam dicere; cum esset capite deminutus. Hoc certe levissimum est, ac nugatorium. Quid enim si Senatus illi fecit liberam dicendi potestatem, an non poterant eum Romani legibus solvere? At fecit contra fidem datam. Quid ita quæso? Quoniam hortatus est, ne id fieret, cujus causa legatus advenerat. Sed dic mihi, numquid juratus est, se Romanis suasurum, ut pacem facerent, aut captivos permutarent? Atqui nusquam hoc reperitur: non fecit igitur contra jusjurandum. Nam Pœni tamquam exploratum haberent, illum cupide tractaturum de permutandis captivis, de ea re nihil cum eo diligentius egerant. Quis enim non putasset, hominem Consularem, maximis in Repub. rebus gestis, exoptatum a civibus suis, conjugem & liberos domi habentem, non libenter in patria remansurum, & de permutandis captivis non cupidissime tractaturum? At Regulus qui magis patriam, quam se, quam conjugem & liberos amabat, maluit eam dicere sententiam, quæ longissimo tempore esset Reipub. profutura, quam quæ se senem & captivum parvi temporis usura condonaret. At potuisset Reip. vivens prodesse, quoniam multi senes, ut

ut Appius Cæcus, Cato Censorius, nonnulli alii sententiis suis, quamvis ad bellum non amplius essent apti, tamen Romano populo plurimum profuerunt. Sit ita. Sed quid, si videbat Regulus, ut erat homo prudens, numquam futurum ut tantum Reipub. prodesse posset, quantum nocuisset eo tempore, si aliter sententiam dixisset? Crede mihi, quamvis ingeniose multas rationes excogitaris, nullam tamen esse, quæ tam egregii facinoris gloriam obscurare possit. Est enim ejusmodi, ut ab omnibus merito laudetur. Neque vero fecit hostium causam meliorem, quæ pessima fuit; cum enim potius virtutem ejus admirari deberent, & juvenes suos ad ejus imitationem hortari, ut patriam ante omnia diligerent, eum multis suppliciis affecerunt: quamvis illi violatam legationem objectarent, non tamen id justo judici probare potuissent, cum præsertim ille quidquid eis erat pollicitus & juratus, sanctissime conservasset.

Iacobus Griffolus
Ad vicesimam quintam Cælii Calcagnini disquisitionem.

RESTAT ut Reguli gravissimi viri constantiam fidei, & miram religionis observantiam defendamus, ut intelligatur Cic. in hujus laude non servisse tempori, sed patrocinium veritatis suscepisse. Primum igitur quærendum est, num Regulus a Pœnis postularit, ut Romam legatus de redimendis captivis mitteretur. Si negatur, ut res ipsa cogit, confiteantur necesse est ab hostibus petitum esse ut eo nomine Romam iret; non enim ea res ad alium quemquam spectare poterat; quod si ita sese res habet, rursus quærendum est, num Pœni rebus Romanis, an suis ea legatione consultum vellent; si quis dicat utrisque, dicat etiam, quæso, quid causæ fuerit, cur mittendum in primis Regulum ad id negotium censerent; nam si par fuisset Romanorum utilitas, per quemvis legatum res transigi potuisset; miserunt tamen Regulum, quem virum sapientissimum cognoverant, quem fortissimum imperatorem experti fuerant, cujus auctoritatem, & gratiam summam esse apud suos intelligebant; quare? nisi quod eam permutationem adeo contra rempublicam Romanam esse judicabant, ut nisi per virum gratiosissimum, & summa auctoritate præditum in ea præsertim calamitate constitutum id, quod optabant a Senatu, populoque Romano consequi non sperabant; existimarunt igitur fore ut sola hujus præsentis gratia, auctoritate, misericordia sibi obsequi Romani cogerentur. Nam si secus fuisset, Pœni perfidum genus hominum libertatem ejus viri, cujus virtute toties afflicti fuerant, de quo gravissimum sumere supplicium expetebant, simplici jurejurando numquam credidissent; verum tanti faciebant illam captivorum permutationem, ut agere periculose mallent, quam, quod sua plurimum referret, ullo modo intentatum relinquere. Nunc statuendum est, utrum Attilio id faciendum fuerit, quod hostis jubebat, an quod ad optimum civem, gravissimumque virum pertinebat, si quod hostis jubebat, neque bonus civis esse poterat, neque vir fortis:

tis: quippe qui animo imbecillo, timidoque mortis & suam, & populi Romani dignitatem violasset; non enim id eum fugiebat, se libertatis dulcedine ab hostibus tentari, ut quod sibi minus honestum videretur, tamen agere auderet. Quærit hic Cælius, quid Regulo suaserit, ut eam legationem susciperet; præter ea, quæ M. Tullius ad hanc quæstionem attulit, hoc adde quod verebatur ne, si non suscepisset gratia propinquorum, & amicorum suorum, tamen eorum, qui secum in eadem erant calamitate, senatus captivos permutaret; voluit enim vir fortissimus, ut postea quoque de illis octo millibus, quos Annibal in castris a Paulo, & Varrone Coss. relictos tenebat; statuit Senatus, omni spe sublata, posse fieri, ut, qui caperentur ab hoste, redimerentur, aut permutationibus postliminio redeunt, cogi aut vincere, aut fortiter occumbere; quod quidem Horatius a Cælio dissentiens carmine pulcherrimo ita celebravit:

Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis conditionibus
Fœdis, & exemplo trahentis
Perniciem veniens in ævum,
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus sine cæde, dixit,
Direpta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clausas, & arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit? flagitio additis
Damnum; neque amissos colores
Lana refert medicata fuco.
Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus;
Et Marte Pœnos proteret altero
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic unde vitam sumeret inscius
Pacem duello miscuit, o pudor!
O magna Carthago probrosis
Altior Italiæ ruinis.

Hæc Horatius. Quæ quidem a Platonica institutione non abhorrent; qua cautum est, ne in sanctissima illa Repub. qui capti essent ab hostibus rediman-

 tur.

tur. Ergo fidem fallere vir talis debuit? quam tute ipse etiam hosti servandam prædicas? Ostendam paulo post ab eo fidem omni religione servatam; nunc affirmo eam fidem nemini præstari oportere, qua rempublicam suam prodat. Habebat Regulus ut ait M. Tullius utilitatem reip. propositam; quam tueri non poterat, si quod Pœni postulabant suscipere noluisset, aut denique susceptum effecisset: quare utroque modo remp. suam prodere visus esset; maluit igitur quod poterat, & levius videbatur agere, vel cum tam longi itineris labore, quam patriam deserere. Hic fateor me risum tenere vix posse, cum Cælius miretur eum senectuti suæ non pepercisse, qui sese brevi hostium exquisitissimis suppliciis tradere cogitabat; verum cur tanta religione servari oporteat, quod contra rempublicam tuam facturum te promittere cogaris, non video; coactus autem promisit Regulus, quia ut dixi timebat ne, dum ipse abesset, Senatus aliquid decerneret, quod contra dignitatem, & utilitatem populi Romani esset. Neque vero bono civi, viroque forti ullius rei major necessitas afferri potest, quam tuendæ reip. dignitatis; quam quidem rem M. Regulus prospiciens coactus Romam venit, nec ejus rei aliam causam videmus, quando ne filios quidem, nec uxorem ad se voluit admittere, nec ullius precibus adduci potuit, ut suam utilitatem sine honestate sequeretur; quare idem Horatius inquit:

Fertur pudicæ conjugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor,
A se removisse, & virilem
Torvus humi posuisse vultum:
Donec labantes consilio patres
Firmaret auctor numquam alias dato,
Interque mœrentes amicos
Egregius properaret exul.
Atqui sciebat, quæ sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos,
Et populum reditum morantem,
Quam si clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret
Tendens Venafros in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.


Non igitur frustra susceptum est illud iter tam longum ab homine adeo sene; quod si non suscepisset ille, hosti non sine magno reip. suæ damno permultum profuisset. Nam quid aliud a Regulo petiere Pœni, quam ut contra patriam suam iret legatus? quod hi præmium proposuerunt ut is Romanis persuadaret, quod honestum illi minime fuisset? salutem. Quod, si vicissim rem non peregisset? mortem atrocissimam. Hic Regulo statuendum fuit utrum honeste sibi moriendum esset, an turpiter vivendum. Et dubitabimus quid tali viro faciendum esset; atqui non est imbecillitate nostra robur illius ani-

mi,

mi, virtutisque magnitudo ponderanda, quæ recte censebat ad optimum quemque virum pertinere omne decus patriæ omnibus suis commodis, & vitæ etiam ipsi præferre non dubitare. Quoniam vero Cicero hanc partem optime defendit, ea omissa, jam pes pedi conferendus est, & vi majore, ac impressione pugna conferenda. Quid ait tandem Cælius? hostium ne Regulum mandata se jurejurando confirmasse curaturum? ego vero nego; unum enim tantum legimus eum jusjurandum hostibus dedisse, nisi redditi captivi essent, sese Carthaginem rediturum, quod quidem mira constantia conservavit; ostendat nunc obsecro, qui contra sentit, diis immortalibus interpositis Regulum se mandata curaturum hostibus recepisse; sed ut res etiam ratione confirmetur, videamus utrum Pœnis jusjurandum esset utilius, an id, quo ad hostes re infecta reverti M. Regulus cogeretur, an quo utcumque res acta esset, liberum foret illi apud suos remanere; utilius illud omnino fuit, quod, ne gratis liber fieret Attilius, prohibuit; hoc igitur obstringi eum maluerunt, existimantes desiderio salutis, & pœnæ metu omnia facturum, ut captivi permutarentur; ac si non posset illud obtineri, noluerunt gratis imperatorem suum remittere Romanis, ut accidisset, si se fide tantum optima legationem illam jurasset obiturum; quod ut faceret nullis plane conditionibus adduci potuisset; illud igitur juratus Romam venit, nisi redderentur captivi, ut Carthaginem rediret; at redditi non sunt captivi, rediit Carthaginem Regulus, quid aliud optaret quisquam? ut patriam proderet? tu vero sic habeto, si Pœni sub his conditionibus mandata Regulo dedere, ut si ea ex sententia conficeret, liber esset, sin minus, ad carceres rediret, optionem Regulo datam esse, utrum mallet, eligendi; ut scilicet curandis mandatis liber, aut non curandis in hostium potestate esset; non enim hæc absoluta sunt mandata, quibus præmia, vel supplicia sunt proposita; nam qui supplicium subire velit, non continuo perjurus est habendus, si mandata negligat; ita Regulus accepit ea mandata, quæ, si fecisset, præmium libertatis propositum habebat; si non fecisset, compedes, & catenas; non fecit is mandata, num supplicia recusat? num perfidiæ accusandus est is, qui Romam profectus est juratus se, nisi fieret id, de quo legatus erat, ad hostes rediturum, & infecta re statim rediit ad hostes? vides quanto plus patriæ caritas apud eum, quam propria valuerit? profuit ergo patriæ, & præstitit fidem hosti Regulus, nec quidquam fecit, aut dixit contra jusjurandum; at omni religione conservata utilitatem patriæ jure, quam hostium antiquiorem habuit. Cetera sunt multo leviora; nam quod negat Cælius virum sapientem neque suum, neque reip. commodum intellexisse, fallitur; intelligebat enim suum se nisi contra jurisjurandum sequi non posse; cui solam Cælius respiciens utilitatem prætextu tamen caritatis regerit uxoris, liberorum, totiusque familiæ benevolentiam, tum patriæ caritatem, & necessitudinum pignora; quæ cum Regulus obstrictus religione pro minimo putarit, durus illi nimium videtur; verum Cælius contra nimium fortasse mollis, si ea omnia tanta labe turpitudinis aspersa optanda censuit, hic autem cum si-

ne

ne perfidia tot bonis & commodis frui non posset, omnibus vir optimus cavendum potius honeste censuit, quam turpiter fruendum, præsertim illis, ut ait M. Tullius temporibus; cum nullum vinculum ad stringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. Tantam vero utilitatem, quantam ipse prædicat, ex se Regulus in patriam redundare non existimavit; non enim arrogans erat, nec tam eximiam virtutem suam judicabat, ut ea tantum imperium carere non posset. At liceat cuique de aliis magnifice quantumvis loqui; de se autem nemini; quare suo judicio noluit vanitatis, & stultitiæ crimen subire. Sed pergit Cælius, & sententia vult Africani virum integerrimum cum infamia perfidiæ adhuc vivere; verum sensus Africani longe diversus est a tuo, Cæli, ut cuique constare potest; turpe est, fateor, minoris se facere, quam virtus & splendor animi, & rerum à se gestarum gloria postulat; sed longe turpius hæc omnia fœdissima labe turpitudinis, quam postea nulla deleat ætas, maculare. Quare pace tua, Cæli, Regulum vehementer laudamus, quippe qui nullo metu supplicii deterreri potuit, quo minus sanctissimum jusjurandum, & simul utilitatem, Deosque patriæ servaret; quo quidem hostium causa facta est longe deterior, qui sua immanitate exemplum illud fidei, & justitiæ ausi sunt extinguere, quo post hominum memoriam nullum umquam pulcrius exstitisse constat.



CIC.

VARIÆ LECTIONES IN CIC. DE OFFICIIS.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

APpellatus sit. Sic MSS. multi, & Lang. & Fabrit. edd. sed vulgg. *appellatus est*.

Itaque duæ res. MSS. & edd. *ita duæ res*.

Vellem nobis. MSS. & edd. *vellem & nobis*, unus MS. *vellem idem hoc nobis*, al. *vellem quidem nobis*, al. *vellem nobis hoc idem*.

Otium persequimur. Sex MSS. *otium prosequimur*, unus MS. *otium consequimur*.

Rura peragrantes, in uno MS. deest *rura*, edd. Lang. *peregrinantes*.

Itaque qui in maxima. MSS. & edd. *ita qui in maxima*.

Nulla enim ejus, edd. & MSS. *nulla tamen ejus*.

Quo debeat is. MSS. duo *qui debebat is*.

Languere patiar. Pal. prim. *exlangore patiar*, forte *exlanguere* conjicit Gruterus.

Nulla enim ejus. Sic MSS. Vulgg. vero: *nulla tamen ejus*.

Ut cogitatione tacita a solitudine. Pith. *ut cogitatione solitudine*.

CAPUT II.

A Cratippo nostro. Nonnulli MSS. & edd. Lang. & Fr. Fabr. *a Cratippo vestro*.

Ad mercaturam bonarum. MS. *ad mercatum bonarum*.

A Panætio susceptum sit, sed relictum. Sic MSS. sed edd. *a Panetio susceptum sit, sed derelictum*.

Coæ Veneris eam partem. Sic MSS. & edd. Victor. edd. *Veneris eam partem*, alii aliter, vide Manut.

Et non perfecisset. Absunt a quinque libris Manut. MS. *& non fecisset*.

Quæ perfecisset. MSS. & editi multi, *quæ fecisset*.

CAPUT III.

FOrtasse disputari potest. MSS. & edd. *fortasse dubitari potest*.

Peripateticis vestris, al. *Peripateticis nostris*.

Ex altera parte collocata, duo MSS. *ex altera parte collata*.

Ut quidquid honestum. MSS. & edd. *ut etiam quidquid honestum*, alii *& ut & quidquid honestum*.

Esse censerent. MS. *esse consentirent*, al. *esse consentirent & censerent*.

Quod ea efficiens utilitatis esset. Pal. prim. *quod ea efficiens est utilitatis*.

Voluptate vel indolentia, edd. vett. *voluptate vel indigentia*.

Utilitatem aliquando cum honestate pugnare. Sic Pal. prim. decem Manut. ed. princeps Roman. Victor. sed edd. *honestatem aliquando cum utilitate pugnare*.

Neque decessione. MSS. & edd. *neque discessione*, unus Aldi MS. *neque dicessione*.

Ejusmodi debuisset deliberationem introducere, ed. Langii & MS. *ejusmodi debuisse deliberationem inducere*. Alii MSS. aliter, vid. not. Manut.

Id in sapientibus est solis, edd. *sed in sapientibus est solis*.

Ipsum illud quidem perfectum honestum, ed. Lang. *ipsum illud quidem honestum*. Pith. *ipsum illud quidem honestum perfectum*.

Nullo modo, similitudines, edd. *nullo modo esse potest; sed similitudines*, in aliis *sed* omittitur.

In quo media officia compareant. Sic MSS. edd. Victor. Lang. Lambin. Vulgatæ vero: *media officia comparantur*. Pal prim. *media officia comparent*, sec. *media officia comparant*.

Quod item in poematis. Sic nonnulli MSS. & edd. Lambin. Fr. Fabrit. Vulgg. *quod autem in poematibus*.

CAPUT IV.

FAbricius, Aristidesve justus. Sic Pal. prim. edd. & Mss. *Fabricius aut Aristides*.

Sapientes habiti & nominati. Sic Pall. Pith. editiones primæ, Mogunt. & Romana. Vulg. *sapientes habiti & nominati*.

Cum utilitatis repugnantia. Mss. & edd. *cum utilis repugnantia*, unus Ms. *cum utilitatis ratione*.

Nec id quidem, quod communiter. Sic Ms. Vulgg. *nec id, quod communiter*.

In his addubitare. Sic Mss. sed Vulgg. *in his dubitare*.

Nonnumquam dubitationem. Mss. & edd. *nonnumquam addubitationem*.

Se adstrinxit scelere, al. *se obstrinxit scelere*.

Si qui tyrannum. Sic Mss. Vulgg. *si quis tyrannum*.

Sed etiam familiarem hominem, edd. *sed etiam familiarem occidere*.

Iidem erant qui Academici. In duobus Mss. non habetur, *qui Academici*.

Quibus honestum aliquod non utile, edd. *quibus est honestum aliquod non utile*, al. *quibus aut honestum aliquod non utile*.

CAPUT V.

UT posset putare. Pith. *ut posset jactare*.

Facultates, copias, opes augeamus. Pith. *facultates, copias, opesque exaugeamus*.

Exsilio, vinclis, damno. Sic Mss. edd. *exsilio, vinculis, damno*.

Hoc multo magis exigit. Mss. *atque hoc multo magis exigit*.

Excelsitas animi, edd. *celsitas animi*.

Detrahere autem alteri. Mss. *detrahere autem de altero*.

Aliquid commodi consequatur. Pith. *aliquid commodi assequatur*.

Quid cum eo differas, tres Mss. *quid cum eo edifferas*.

CAPUT VI.

OMnis humana consortio. Sic Mss. & edd. optimæ. Vulgatæ: *omnis humana consociatio*.

Quæ vacent justitia. Pith. exc. *quæ vacet justitia*. Duo Manut. Mss. *quæ vacant justitia*. Unus: *quæ non vacet justitia*. Unus: *quæ vacent injustitia*.

Si quid homini homo. Mss. & edd. *si quid ab homine*.

Semper officio fungetur. edd. *semper officio fungatur*.

CAPUT VII.

NIsi aliqui casus, edd. *nisi aliquis casus*.

Inchoato & prope jam absoluto. Sic Mss. aliquot, sed edd. & Mss. *inchoato, prope tamen absoluto*. Pal. prim. *inchoato jam quasi fastigium*.

Nihil præter id quod honestum sit, propter se expetendum. Ms. F. Ursin. *quod honestum sit, id esse maxime propter se expetendum*.

Vitam hominum invasisse. Alii edd. & Mss. *in vitam hominum invasisse*.

CAPUT VIII.

NOn utilitas relinquenda est. Vulgg. *non utilitas requirenda est*.

Arripuit id continuo secernit. Mss. tres *arripiunt & continuo secernunt*.

Fallacibus judiciis vident. Pith. *fallacibus indiciis vident*.

Quas sæpe perrumpunt. Aliquot Mss. *quam sæpe perrumpunt*.

Nihil tamen avare. Pal. prim. *nihil tamen nobis avare*.

CAPUT IX.

CUm terra discessisset. Sic Mss. & edd. optimæ, al. *cum terra decessisset*, al. *cum terra desedisset*.

Cum in locum annulum. Sic Mss. & edd. sed nonnullæ editiones: *cum in lucem annulum*.

Quamquam potest id quidem. Sic omnes Mss. sed Manut. & Lambin. *quamquam non potest id quidem*.

Id si posset. Pal. prim. *id si possent*. Sic & ed. Victor.

Si possint celare. Vox postrema non est in Pal. prim.

CAPUT X.

CUm Collatino Tarquinio placere. Mss. & edd. meliores: *cum Collatino placere*.

Quod

Quod erat utile, patriæ consulere, id. Lang. & Lambin. edd. *quod erat utile patriæ, id.* invitis Mss.

Aut manu depellere. Apud Non. legitur *aut manu pellere*.

Alteri deripere. Sic Mss. edd. *alteri diripere*, al. *alteri surripere*.

Orandæ liti, edd. *perorandæ liti*.

Adhibere testem, nonnulli Mss. & edd. Victor. *habere testem*.

Damonem & Phintiam. Pal. prim. *Damonem & Pinthiam*; al. *Damonem & Pythiam*.

Non revertisset, moriendum, edd. *non revertisset ad diem, moriendum*.

Moriendum esset ipsi, edd. *moriendum esset sibi ipsi*.

CAPUT XI.

QVi classe valebant Ms. *quia classe valebant*.

Pennus, alii *Petronius*, alii aliter vid. not. Lang. & Manut.

CAPUT XII.

VIr bonus Alexandria Rhodum. Mss. nonnulli, & edd. *vir bonus ab Alexandria Rhodum profectus*.

Alexandria solvisse. Nonnulli Mss. & edd. *ab Alexandria solvisse*.

CAPUT XIII.

IN omnibus cubiculis. Mss. & edd. aliquot: *in omnibus cubilibus*.

Num id injuste an improbe. Nonnulli Mss. *num id injuste aut improbe*. Pith. *non id injuste, & improbe fecerit*.

Sic ergo in quibusdam caussis dubiis. Langii & Lambini edd. non agnoscunt *dubiis*.

Frumentarius Rhodios. Sic Mss. & ed. Victor. Vulgg. *frumentarius Rhodius*.

Quod tu scias id ignorare. Pith. exc. *quod scias ignorare*.

Non simplicis, non ingenui, edd. *non simplicis est, non ingenui*.

Versuti potius, edd. *sed versuti potius*.

CAPUT XIV.

C. Canius, al. *Caius Cannius*.

Sine interpellatoribus. Lang. ed. *sine interpellationibus*.

Syracusis, venales, al. edd. *Syracusis, dixit venales*.

Hominem in hortos invitavit, al. *hominem invitavit*.

Qui esset, ut argentarius. Manut. ed. *ut argentarius qui esset*.

Tempore venit Canius. Mss. & edd. quidam *tempori venit Canius*, & sic ed. Lang.

Cymbarum ante oculos multitudo. Vict. ed. *cymbarum ante hortulos multitudo*.

Quod eos nullos videret. Pith. exc. *eo quod nullos videret*.

Cum ex eo quæreretur, edd. Victor. & Manut. & nonnulli Mss. *cum ex eo quærerem*.

Luculenter. Mss. Græv. & aliorum, *luculente*.

CAPUT XV.

LEge Lætoria, al. *lege Lectoria, Pletoria, Plectoria*.

Et sine lege judiciis, al. *& sine lege, judiciis*.

Simulatione continetur. Sic Mss. & ed. Victor. Langii, Fabric. Grut. sed aliæ: *simulatione & dissimulatione continetur*.

Licitatorem venditorem. Pal. prim. *illicitorem venditor*. Pith. exc. *non liciatorem venditor*.

Nec qui contra. Pall. *non qui contra*.

Contra se liceatur. Pith. exc. *contra se liciatur*.

Emtor apponet. Sic Pall. & al. Mss. sed Vulg. *emtor opponet*.

CAPUT XVI.

SAncitum est. Mss. aliquot *sanctum est*.

Dupli pœnam. Vulgg. *duplicem pœnam*, al. *duplici pœnam*, Pal. prim. *dupli subire*, omisso τῷ *pœnam*.

Quidquid enim esset in prædio vitii. Sic Mss. Vulgg. *quidquid enim inest in prædio vitii*, edd. Vict. *quidquid est in prædio vitii*.

Demoliri ea, quorum altitudo, edd. multi

multi & nonnulli Mss. *demoliri eas, quarum altitudo*.

Quorsum hæc. Mss. & ed. Lang. *quorsus hæ:*.

Majoribus nostris astutos, edd. Vulgg. *majoribus nostris astus*.

CAPUT XVII.

NAturæ lege sanctum est. Sic Mss. sec. Græv. Alii *naturæ lege sancitum est*.

Ex optimis naturæ & veritatis. Alii; *ex optimis naturæ principiis, & veritatis*.

Pugnare videantur. Quidam Mss. *pugnare dicantur*.

CAPUT XVIII.

HOmines ejusdem ætatis. Vulg. *homines ejusdem civitatis*.

M. Satrium, al. *M. Satirium*.

Basilus, al. *Basilius*.

Simulatione quæsitæ, al. *simulatione acquisitæ*.

Fons est fraudium. Vulg. *fons est fraudum*.

CAPUT XIX.

AT dares. Vulg. *at si dares*.

Hic non noceat. Pal. & edd. vett. *hic non nocet*,

Qui quodam quasi veneno perficiat. Pal. *qui quodam quasi veneno perficit*.

M. Lutatio Pinthiæ, al. *M. Lutatio Pythiæ*.

Posse convertere. Alii; *posse convertere*.

CAPUT XX.

BEllum ducere. Manut. Grut. alii: *bellum producere*:

Ne noster quidem Gratidianus, al. *ne noster quidem Gratidianus Marius*.

Omnibus vicis statuæ. Vulgg. *omnibus vicis statuæ factæ sunt*.

Quæ sit ea species, forma. Nonnulli Mss. & ed. Lang. *quæ sit ea specie, forma*.

Se quis conferat in beluam, edd. & Mss. multi: *se quis convertat in beluam*.

An hominis figura, edd. *an in hominis figura*.

CAPUT XXI.

UTile ei videbatur, edd. *utile enim videbatur*.

Versus de Phœnissis, edd. *versus Euripidis de Phœnissis*.

Qui id unum, Mss. & edd. Manut. *qui id unum solum*, alii aliter, vide Manut.

Gloriosam putant. Ms. *gloriam putant*.

Coner avellere. Mss. *coner evellere*, al. *divellere*, al. cum edd. *avertere*.

Re tamen unum sonare. Mss. & edd. multi; *sed tamen unum sonare*, al. *sed unum sonare*.

Non habeo, ad vulgi opinionem. Sic Mss. sed Vulg. *nunc abeo ad vulgi opinionem*, al. *nunc adeo ad vulgi opinionem*,

CAPUT XXII.

UTrum igitur utilius. Mss. & ed. Victor. *visum igitur utilius*.

Armis cum hoste certare an venenis, ed. Victor, & Mss. *armis cum hoste certare non venenis*, al. *armis cum hoste certare aut venenis*.

Quo illa ordinum, edd. *quod illa ordinum*.

Potius diceret. Ms. *potius doceret*.

Ejicere de navi, quia sua sit. Alii: *ejicere de navi, quia sua non sit*.

CAPUT XXIII.

QUid si in una tabula sint duo naufragi. Vulgg. *quid si una tabula sit, duo naufragi*.

Sibi ne uter rapiat, edd. *sibi ne uterque rapiat*,

Quasi forte aut micando, edd. *quasi in forte aut micando*, ed. Gruteri: *quasi forte, aut micando*, al. *quasi in forte, aut dimicando*.

Hæc sunt quasi controversa Iura Stoicorum. Vulgg. *hæ sunt quasi controversiæ in jure Stoicorum*.

Quod sit mille denarium, edit. nonnullæ: *quod sit millenarium*.

CA-

CAPVT XXIV.

QVod promiserit. Mss. & edd. nonnulli: *quod promiserit illi*, al. *quod promiserit ille*.

Promisisse nollem. Ms. *promissionem nollem*.

CAPVT XXV.

ATque insanus antequam consistit, edd. *atque insanus qua consistit*.

Quo optato impetrato, Ms. *quo impetrato*.

CAPVT XXVI.

NAm apud Homerum, optimum, ed. Lang. *nam apud optimum auctorem*.

Tamen hæc audiat, edd. *tamen hæc audivit*.

Furere assimulavit, ed. *furere se simulavit*.

Ne coiret, edd. *quo iret*.

Ad rem factam nostramque veniamus, ed. *ad rem factaque veniamus*.

CAPVT XXVII.

ADolescentes esse, prim. Græv. *adolescentis esse*.

CAPVT XXVIII.

QVæ tantam utilitatem præverteret. Grævii uterque, Ms. & edd. pleræque: *quæ tantam utilitatem perverteret*, al. Ms. *quæ tantam utilitatem præveniret*.

Num igitur tantum mali, Græv. prim. *non igitur tantum mali*,

CAPVT XXIX.

NIsi dolere, Lang. ed. *nisi dolor*.

Nam si hoc sibi sumunt. Ms. *sed si hoc sibi sument*. Manut. ed. *sed si hinc sibi sument*.

Cum hoste servandum. Manut. ed. *hosti servandum*.

Id si non feceris, Græv. primus; *id si non fecerit*.

Pactum pro capite pretium non attuleris. Sic Græv. prim. edd. & Mss. *pactum pro capite non attuleris*.

Non est perduellionum numero definitus. Sic Pith. excerpta & Græv. secundus. Sed primus cum aliis Mss. & edd. *non est ex perduellionum numero definitus*.

Perjurare est. Vulgg. *pejurare est*.

Bellicas & hostiles. Non extant hæ voces in Pal. prim.

CAPVT XXX.

T. Minucius & Q. Mælius. Mss. & edd. *T. Minucius, & Q. Æmilius*, vid. not.

CAPVT XXXI.

INdicant notiones. Vulgg. *indicant notationes*.

Cum prima luce, al. *prima luce*.

Adolescens filius, negotium exhiberi patri. Pal. *adolescens filius, negotium exhibere patri*. Ms. *adolescens filii negotium exhibere patri*.

Qui illum iratum. Mss. & edd. *quod illum iratum*.

Vt ingressus est. Pal. prim. *ut congressus est*.

Caussa desistere, edd. *a caussa desistere*.

Ad veserim, al. *ad verserim*.

Qui perindulgens, ed. Manut. *qui nuper indulgens*.

Idem acerbe severus, edd. *idem acerbus & severus*.

CAPVT XXXII.

IVratos ad Senatum misit Hannibal, in castra redituros ea, quorum potiti erant Pœni, nisi. Palat. prim. *juratos ad senatum missos in castra redituros ea, quorum Pœni, nisi*. Pal. sec. *juratos ad senatum in castra redituros ea, quorum erant sui Pœni, nisi*. edit. Rom. anni 469. *juratos in castra redituros a senatu, ea quorum erant ipsi Peni, nisi*. Moguntin. *juratos ad senatum misit Hannibal in castra redituros, ea quorum erant Pœni, nisi*.

Fraus enim adstringit, al. *fraus enim distringit*.

Qui periculo mortis diffugissent. Pal. prim. *qui periculum mortis effugissent*.

Fieri posset, edd. *fieri potuisset*.

multi & nonnulli MSS. *demoliri eas, quarum altitudo*.

Quorsum hæc. MSS. & ed. Lang. *quorsus hæc*.

Majoribus nostris astutos, edd. Vulgg. *majoribus nostris astus*.

CAPVT XVII.

NAturæ lege sanctum est. Sic MS. sec. Græv. Alii *naturæ lege sancitum est*.

Ex optimis naturæ & veritatis. Alii; *ex optimis naturæ principiis, & veritatis*.

Pugnare videantur. Quidam MSS. *pugnare dicantur*.

CAPVT XVIII.

HOmines ejusdem ætatis. Vulg. *homines ejusdem civitatis*.

M. Satrium, al. *M. Satirium*.

Basilus, al. *Basilius*.

Simulatione quæsitæ, al. *simulatione acquisitæ*.

Fons est fraudium. Vulg. *fons est fraudum*.

CAPVT XIX.

AT dares. Vulg. *at si dares*.

Hic non noceat. Pal. & edd. vett. *hic non nocet*.

Qui quodam quasi veneno perficiat. Pal. *qui quodam quasi veneno perficit*.

M. Lutatio Pinthiæ, al. *M. Lutatio Pythiæ*.

Posse convertere. Alii; *posse convertere*.

CAPVT XX.

BEllum ducere. Manut. Grut. alii: *bellum producere*:

Ne noster quidem Gratidianus, al. *ne noster quidem Gratidianus Marius*.

Omnibus vicis statuæ. Vulgg. *omnibus vicis statuæ factæ sunt*.

Quæ sit ea species, forma. Nonnulli MSS. & ed. Lang. *quæ sit ea specie, forma*.

Se quis conferat in beluam, edd. & MSS. multi: *se quis convertat in beluam*.

An hominis figura, edd. *an in hominis figura*.

CAPVT XXI.

VTile ei videbatur, edd. *utile enim videbatur*.

Versus de Phœnissis, edd. *versus Euripidis de Phœnissis*.

Qui id unum, MSS. & edd. Manut. *qui id unum solum*, alii aliter, vide Manut.

Gloriosam putant. MS. *gloriam putant*.

Coner avellere. MSS. *coner evellere*, al. *divellere*, al. cum edd. *avertere*.

Re tamen unum sonare. MSS. & edd. multi: *sed tamen unum sonare*, al. *sed unum sonare*.

Non habeo, ad vulgi opinionem. Sic MSS. sed Vulg. *nunc abeo ad vulgi opinionem*, al. *nunc adeo ad vulgi opinionem*.

CAPVT XXII.

VTrum igitur utilius. MSS. & ed. Victor. *visum igitur utilius*.

Armis cum hoste certare an venenis, ed. Victor, & MSS. *armis cum hoste certare non venenis*, al. *armis cum hoste certare aut venenis*.

Quo illa ordinum, edd. *quod illa ordinum*.

Potius diceret. MS. *potius doceret*.

Ejicere de navi, quia sua sit. Alii: *ejicere de navi, quia sua non sit*.

CAPVT XXIII.

QVid si in una tabula sint duo naufragi. Vulgg. *quid si una tabula sit, duo naufragi*.

Sibi ne uter rapiat, edd. *sibi ne uterque rapiat*.

Quasi sorte aut micando, edd. *quasi in sorte aut micando*, ed. Gruteri: *quasi forte, aut micando*, al. *quasi in sorte, aut dimicando*.

Hæc sunt quasi controversa Iura Stoicorum. Vulgg. *hæ sunt quasi controversiæ in jure Stoicorum*.

Quod sit mille denarium, edit. nonnullæ: *quod sit millenarium*.

CA-

CAPUT XXIV.

QVod promiserit. MSS. & edd. nonnulli; *quod promiserit illi*, al. *quod promiserit ille*.

Promisisse nollem. MS. *promissionem nollem*.

CAPUT XXV.

ATque insanus antequam consistit, edd. *atque insanus qua consistit*.

Quo optato impetrato, MS. *quo impetrato*.

CAPUT XXVI.

NAm apud Homerum, optimum, ed. Lang. *nam apud optimum auctorem*.

Tamen hæc audiat, edd. *tamen hæc audivit*.

Furere assimulavit, ed. *furere se simulavit*.

Ne coiret, edd. *quo iret*.

Ad rem factam nostramque veniamus, ed. *ad rem factaque veniamus*.

CAPUT XXVII.

ADolescentes esse, prim. Græv. *adolescentis esse*.

CAPUT XXVIII.

QVæ tantam utilitatem præverteret. Grævii uterque, MS. & edd. pleræque: *quæ tantam utilitatem perverteret*, al. MS. *quæ tantam utilitatem præveniret*.

Num igitur tantum mali, Græv. prim. *non igitur tantum mali*.

CAPUT XXIX.

NIsi dolere, Lang. ed. *nisi dolor*.

Nam si hoc sibi sumunt. MS. *sed si hoc sibi sument*. Manut. ed. *sed si hinc sibi sument*.

Cum hoste servandum. Manut. ed. *hosti servandum*.

Id si non feceris, Græv. primus; *id si non fecerit*.

Pactum pro capite pretium non attuleris. Sic Græv. prim. edd. & MSS. *pactum pro capite non attuleris*.

Non est perduellionum numero definitus. Sic Pith. excerpta & Græv. secundus. Sed primus cum aliis MSS. & edd. *non est ex perduellionum numero definitus*.

Perjurare est. Vulgg. *pejurare est*.

Bellicas & hostiles. Non extant hæ voces in Pal. prim.

CAPUT XXX.

T. Minucius & Q. Mælius. MSS. & edd. *T. Minucius, & Q. Æmilius*, vid. not.

CAPUT XXXI.

INdicant notiones. Vulgg. *indicant notationes*.

Cum prima luce, al. *prima luce*.

Adolescens filius, negotium exhiberi patri. Pal. *adolescens filius, negotium exhibere patri*. MS. *adolescens filii negotium exhibere patri*.

Qui illum iratum. MSS. & edd. *quod illum iratum*.

Vt ingressus est. Pal. prim. *ut congressus est*.

Caussa desistere, edd. *a caussa desistere*.

Ad veserim, al. *ad verserim*.

Qui perindulgens, ed. Manut. *qui nuper indulgens*.

Idem acerbe severus, edd. *idem acerbus & severus*.

CAPUT XXXII.

IVratos ad Senatum misit Hannibal, in castra redituros ea, quorum potiti erant Pœni, nisi. Palat. prim. *juratos ad senatum missos in castra redituros ea, quorum Pœni, nisi*. Pal. sec. *juratos ad senatum in castra redituros ea, quorum erant sui Pœni, nisi*. edit. Rom. anni 469. *juratos in castra redituros a senatu, ea quorum erant ipsi Peni, nisi*. Moguntin. *juratos ad senatum misit Hannibal in castra redituros, ea quorum erant Pœni, nisi*.

Fraus enim adstringit, al. *fraus enim distringit*.

Qui periculo mortis diffugissent. Pal. prim. *qui periculum mortis effugissent*.

Fieri posset, edd. *fieri potuisset*.

Si

Sit jam loci hujus finis. Pal. prim. *sed jam hujus loci finis sit.*

Quod si ipsi opus esse. Pal. *quod si sibi opus esse.*

CAPUT XXXIII.

CUm his viris equisque. Vulgg. *cum his velis equisque.*

Intelligenter legere. Grav. prim. *intellegenter legere.*


Dolorum, laborumque contemtio. Grav. *dolorum laborumque contemptio.*

Perpetiendique doloris, Grav. prim. & alii: *perpetiendi doloris.*


Sicut hic dicit. M. *sicut id dicit satis fortiter.*

Doloris detractione finiri, al. *doloris detractione fieri.*

Si talibus monimentis præceptisque. Lambin. ed. *si talibus monitis preceptisque.*



M. TUL-





CAPUT IV.

FAbricius, Aristidesve justus. Sic Pal. prim. edd. & Mss. *Fabricius aut Aristides*.

Sapientes habiti & nominati. Sic Pall. Pith. editiones primæ Mogunt. & Romana. Vulg. *sapientes habiti & nominati*.

Cum utilitatis repugnantia. Mss. & edd. *cum utilis repugnantia*, unus Ms. *cum utilitatis ratione*.

Nec id quidem, quod communiter. Sic Ms. Vulgg. *nec id, quod communiter*.

In his addubitare. Sic Mss. sed Vulgg. *in his dubitare*.

Nonnumquam dubitationem. Mss. & edd. *nonnumquam addubitationem*.

Se adstrinxit scelere, al. *se obstrinxit scelere*.

Si qui tyrannum. Sic Mss. Vulgg. *si quis tyrannum*.

Sed etiam familiarem hominem, edd. *sed etiam familiarem occidere*.

Iidem erant qui Academici. In duobus Mss. non habetur, *qui Academici*.

Quibus honestum aliquod non utile, edd. *quibus est honestum aliquod non utile*, al. *quibus aut honestum aliquod non utile*.

CAPUT V.

UT posset putare. Pith. *ut posset jactare*.

Facultates, copias, opes augeamus. Pith. *facultates, copias, opesque exaugeamus*.

Exsilio, vinclis, damno. Sic Mss. edd. *exsilio, vinculis, damno*.

Hoc multo magis exigit. Mss. *atque hoc multo magis exigit*.

Excelsitas animi, edd. *celsitas animi*.

Detrahere autem alteri. Mss. *detrahere autem de altero*.

Aliquid commodi consequatur. Pith. *aliquid commodi assequatur*.

Quid cum eo disseras, tres Mss. *quid cum eo edisseras*.

CAPUT VI.

OMnis humana consortio. Sic Mss. & edd. optimæ. Vulgatæ: *omnis humana consociatio*.

Quæ vacent justitia. Pith. exc. *quæ vacet justitia*. Duo Manut. Mss. *quæ vacant justitia*. Unus: *quæ non vacet justitia*. Unus: *quæ vacent injustitia*.

Si quid homini homo. Mss. & edd. *si quid ab homine*.

Semper officio fungetur. edd. *semper officio fungatur*.

CAPUT VII.

NIsi aliqui casus, edd. *nisi aliquis casus*.

Inchoato & prope jam absoluto. Sic Mss. aliquot, sed edd. & Mss. *inchoato, prope tamen absoluto*. Pal. prim. *inchoato jam quasi fastigium*.

Nihil præter id quod honestum sit, propter se expetendum. Ms. F. Ursin. *quod honestum sit, id esse maxime propter se expetendum*.

Vitam hominum invasisse. Alii edd. & Mss. *in vitam hominum invasisse*.

CAPUT VIII.

NOn utilitas relinquenda est. Vulgg. *non utilitas requirenda est*.

Arripuit id continuo secernit. Mss. tres *arripiunt & continuo secernunt*.

Fallacibus judiciis vident. Pith. *fallacibus indiciis vident*.

Quas sæpe perrumpunt. Aliquot Mss. *quam sæpe perrumpunt*.

Nihil tamen avare. Pal. prim. *nihil tamen nobis avare*.

CAPUT IX.

CUm terra discessisset. Sic Mss. & edd. optimæ, al. *cum terra decessisset*, al. *cum terra desedisset*.

Cum in locum annulum. Sic Mss. & edd. sed nonnullæ editiones: *cum in lucem annulum*.

Quamquam potest id quidem. Sic omnes Mss. sed Manut. & Lambin. *quamquam non potest id quidem*.

Id si posset. Pal. prim. *id si possent*. Sic & ed. Victor.

Si possint celare. Vox postrema non est in Pal. prim.

CAPUT X.

CUm Collatino Tarquinio placere. Mss. & edd. meliores: *cum Collatino placere*.

Quod

Quod erat utile, patriæ consulere, id. Lang. & Lambin. edd. *quod erat utile patriæ, id.* invitis Mss.

Aut manu depellere. Apud Non. legitur *aut manu pellere*.

Alteri deripere. Sic Mss. edd. *alteri diripere*, al. *alteri surripere*.

Orandæ liti, edd. *perorandæ liti*.

Adhibere testem, nonnulli Mss. & edd. Victor. *habere testem*.

Damonem & Phintiam. Pal. prim. *Damonem & Pinthiam*; al. *Damonem & Pythiam*.

Non revertisset, moriendum, edd. *non revertisset ad diem, moriendum.*

Moriendum esset ipsi, edd. *moriendum esset sibi ipsi*.

CAPUT XI.

QUi classe valebant Mss. *quia classe valebant*.

Pennus, alii *Petronius*, alii aliter vid. not. Lang. & Manut.

CAPUT XII.

VIr bonus Alexandria Rhodum. Mss. nonnulli, & edd. *vir bonus ab Alexandria Rhodum profectus*.

Alexandria solvisse. Nonnulli Mss. & edd. *ab Alexandria solvisse*.

CAPUT XIII.

IN omnibus cubiculis. Mss. & edd. aliquot: *in omnibus cubilibus*.

Num id injuste an improbe. Nonnulli Mss. *num id injuste aut improbe*. Pith. *non id injuste, & improbe fecerit*.

Sic ergo in quibusdam causis dubiis. Langii & Lambini edd. non agnoscunt *dubiis*.

Frumentarius Rhodios. Sic Mss. & ed. Victor. Vulgg. *frumentarius Rhodius*.

Quod tu scias id ignorare, Pith. exc. *quod scias ignorare*.

Non simplicis, non ingenui, edd. *non simplicis est, non ingenui*.

Versuti potius, edd. *sed versuti potius*.

CAPUT XIV.

C. Canius, al. *Caius Cannius*.

Sine interpellatoribus. Lang. ed. *sine interpellationibus*.

Syracusis, venales, al. edd. *Syracusis, dixit venales*.

Hominem in hortos invitavit, al. *hominem invitavit*.

Qui esset, ut argentarius. Manut. ed. *ut argentarius qui esset*.

Tempore venit Canius. Mss. & edd. quidam *tempori venit Canius*, & sic ed. Lang.

Cymbarum ante oculos multitudo. Vict. ed. *cymbarum ante hortulos multitudo*.

Quod eos nullos videret. Pith. exc. *eo quod nullos videret*.

Cum ex eo quæreretur, edd. Victor. & Manut. & nonnulli Mss. *cum ex eo quærerem*.

Luculenter. Mss. Græv. & aliorum, *luculente*.

CAPUT XV.

LEge Lætoria, al. *lege Lectoria, Pletoria, Plectoria*.

Et sine lege judiciis, al. *& sine lege, judiciis*.

Simulatione continetur. Sic Mss. & ed. Victor. Langii, Fabric. Grut. sed aliæ: *simulatione & dissimulatione continetur*.

Licitatorem venditorem. Pal. prim. *illicitorem venditor*. Pith. exc. *non liciatorem venditor*.

Nec qui contra. Pall. *non qui contra*.

Contra se liceatur. Pith. exc. *contra se liciatur*.

Emtor apponet. Sic Pall. & al. Mss. sed Vulg. *emtor opponet*.

CAPUT XVI.

SAncitum est. Mss. aliquot *sanctum est*.

Dupli pœnam. Vulgg. *duplicem pœnam*, al. *duplici pœnam*, Pal. prim. *dupli subire*, omisso τῷ *pœnam*.

Quidquid enim esset in prædio vitii. Sic Mss. Vulgg. *quidquid enim inest in prædio vitii*, edd. Vict. *quidquid est in prædio vitii*.

Demoliri ea, quorum altitudo, edd. multi

CAPUT IV.

FAbricius, Aristidesve justus. Sic Pal. prim. edd. & Mss. *Fabricius aut Aristides*.

Sapientes habiti & nominati. Sic Pall. Pith. editiones primæ, Mogunt. & Romana. Vulg. *sapientes habiti & nominati*.

Cum utilitatis repugnantia. Mss. & edd. *cum utilis repugnantia*, unus Ms. *cum utilitatis ratione*.

Nec id quidem, quod communiter. Sic Ms. Vulgg. *nec id, quod communiter*.

In his addubitare. Sic Mss. sed Vulgg. *in his dubitare*.

Nonnumquam dubitationem. Mss. & edd. *nonnumquam addubitationem*.

Se adstrinxit scelere, al. *se obstrinxit scelere*.

Si qui tyrannum. Sic Mss. Vulgg. *si quis tyrannum*.

Sed etiam familiarem hominem, edd. *sed etiam familiarem occidere*.

Iidem erant qui Academici. In duobus Mss. non habetur, *qui Academici*.

Quibus honestum aliquod non utile, edd. *quibus est honestum aliquod non utile*, al. *quibus aut honestum aliquod non utile*.

CAPUT V.

UT posset putare. Pith. *ut posset jactare*.

Facultates, copias, opes augeamus. Pith. *facultates, copias, opesque exaugeamus*.

Exsilio, vinclis, damno. Sic Mss. edd. *exsilio, vinculis, damno*.

Hoc multo magis exigit. Mss. *atque hoc multo magis exigit*.

Excelsitas animi, edd. *celsitas animi*.

Detrahere autem alteri. Mss. *detrahere autem de altero*.

Aliquid commodi consequatur. Pith. *aliquid commodi assequatur*.

Quid cum eo differas, tres Mss. *quid cum eo edifferas*.

CAPUT VI.

OMnis humana consortio. Sic Mss. & edd. optimæ. Vulgatæ: *omnis humana consociatio*.

Quæ vacent justitia. Pith. exc. *quæ vacet justitia*. Duo Manut. [illegible] *cant justitia*. Unus: *quæ n*[illegible] *stitia*. Unus: *quæ vacent inju*[illegible]

Si quid homini homo. M[illegible] *si quid ab homine*.

Semper officio fungetur [illegible] *per officio fungatur*.

CAPUT VII

NIsi aliqui casus, edd. [illegible] *casus*.

Inchoato & prope jam ab[illegible] Mss. aliquot, sed edd. & [illegible] *to, prope tamen absoluto*. Pal.[illegible] *choato jam quasi fastigium*.

Nihil præter id quod hones[illegible] propter se expetendum. M[illegible] *quod honestum sit, id esse ma*[illegible] *se expetendum*.

Vitam hominum invasisse [illegible] & Mss. *in vitam hominum inva*[illegible]

CAPUT VIII.

NOn utilitas relinquenda [illegible] *non utilitas requirenda*.

Arripuit id continuo sec[illegible] tres *arripiunt & continuo se*[illegible]

Fallacibus judiciis vident. [illegible] *lacibus indiciis vident*.

Quas sæpe perrumpunt. A[illegible] *quam sæpe perrumpunt*.

Nihil tamen avare. Pal. [illegible] *tamen nobis avare*.

CAPUT IX.

CUm terra discessisset. S[illegible] edd. optimæ, al. *cum t*[illegible] *sisset*, al. *cum terra desedisset*

Cum in locum annulum. [illegible] & edd. sed nonnullæ edition[illegible] *lucem annulum*.

Quamquam potest id quid[illegible] omnes Mss. sed Manut. & [illegible] *quamquam non potest id quidem*

Id si posset. Pal. prim. *id* [illegible] Sic & ed. Victor.

Si possint celare. Vox poss[illegible] est in Pal. prim.

CAPUT X.

CUm Collatino Tarquinio [illegible] Mss. & edd. meliores: [illegible] *latino placere*.

multi & nonnulli Mff. *demoliri eas*, *quarum altitudo*.

Quorsum hæc. Mff. & ed. Lang. *quorsus hæ:*.

Majoribus nostris astutos, edd.Vulgg. *majoribus nostris astus*.

CAPVT XVII.

NAturæ lege sanctum est. Sic Mf. sec. Græv. Alii *naturæ lege sancitum est*.

Ex optimis naturæ & veritatis. Alii; *ex optimis naturæ principiis, & veritatis*.

Pugnare videantur. Quidam Mff. *pugnare dicantur*.

CAPVT XVIIJ.

HOmines ejusdem ætatis. Vulg. *homines ejusdem civitatis*.

M. Satrium, al. *M. Satirium*.

Basilus, al. *Basilius*.

Simulatione quæsitæ, al. *simulatione acquisitæ*.

Fons est fraudium. Vulg. *fons est fraudum*.

CAPVT XIX.

AT dares. Vulg. *at si dares*.

Hic non noceat. Pal. & edd. vett. *hic non nocet*.

Qui quodam quasi veneno perficiat. Pal. *qui quodam quasi veneno perficit*.

M. Lutatio Pinthiæ, al. *M. Lutatio Pythiæ*.

Posse convertere. Alii; *posse convertere*.

CAPVT XX.

BEllum ducere. Manut. Grut. alii; *bellum producere*:

Ne noster quidem Gratidianus, al. *ne noster quidem Gratidianus Marius*.

Omnibus vicis statuæ. Vulgg. *omnibus vicis statuæ factæ sunt*.

Quæ sit ea species, forma. Nonnulli Mff. & ed. Lang. *quæ sit ea specie, forma*.

Se quis conferat in beluam, edd. & Mff. multi: *se quis convertat in beluam*.

An hominis figura, edd. *an in hominis figura*.

CAPVT XXI.

VTile ei videbatur, edd. *utile enim videbatur*.

Versus de Phœnissis, edd. *versus Euripidis de Phœnissis*.

Qui id unum, Mff. & edd. Manut. *qui id unum solum*, alii aliter, vide Manut.

Gloriosam putant. Mf. *gloriam putant*.

Coner avellere. Mff. *coner evellere*, al. *divellere*, al. cum edd. *avertere*.

Re tamen unum sonare. Mff. & edd. multi; *sed tamen unum sonare*, al. *sed unum sonare*.

Non habeo, ad vulgi opinionem. Sic Mff. sed Vulg. *nunc abeo ad vulgi opinionem*, al. *nunc adeo ad vulgi opinionem*.

CAPVT XXII.

VTrum igitur utilius. Mff. & ed. Victor. *visum igitur utilius*.

Armis cum hoste certare an venenis, ed. Victor, & Mff. *armis cum hoste certare non venenis*, al. *armis cum hoste certare aut venenis*.

Quo illa ordinum, edd. *quod illa ordinum*.

Potius diceret. Mf. *potius doceret*.

Ejicere de navi, quia sua sit. Alii: *ejicere de navi, quia sua non sit*.

CAPVT XXIII.

QVid si in una tabula sint duo naufragi. Vulgg. *quid si una tabula sit, duo naufragi*.

Sibi ne uter rapiat, edd. *sibi ne uterque rapiat*.

Quasi sorte aut micando, edd. *quasi in sorte aut micando*, ed. Gruteri: *quasi forte, aut micando*, al. *quasi in sorte, aut dimicando*.

Hæc sunt quasi controversa Iura Stoicorum. Vulgg. *hæ sunt quasi controversiæ in jure Stoicorum*.

Quod sit mille denarium, edit. nonnullæ: *quod sit millenarium*.

CA-

CAPVT XXIV.

QVod promiserit. Mſſ. & edd. nonnulli; *quod promiserit illi*, al. *quod promiserit ille*.

Promisisse nollem. Mſ. *promissionem nollem*.

CAPVT XXV.

ATque insanus antequam consistit, edd. *atque insanus qua consistit*.

Quo optato impetrato. Mſ. *quo impetrato*.

CAPVT XXVI.

NAm apud Homerum, optimum, ed. Lang. *nam apud optimum auctorem*.

Tamen hæc audiat, edd. *tamen hæc audivit*.

Furere assimulavit, ed. *furere se simulavit*.

Ne coiret, edd. *quo iret*.

Ad rem factam nostramque veniamus, ed. *ad rem factaque veniamus*.

CAPVT XXVII.

ADolescentes esse, prim. Græv. *adolescentis esse*.

CAPVT XXVIII.

QVæ tantam utilitatem præverteret. Grævii uterque, Mſ. & edd. pleræque: *quæ tantam utilitatem perverteret*, al. Mſ. *quæ tantam utilitatem præveniret*.

Num igitur tantum mali, Græv. prim. *non igitur tantum mali*.

CAPVT XXIX.

NIsi dolere, Lang. ed. *nisi dolor*.

Nam si hoc sibi sumunt. Mſ. *sed si hoc sibi sument*. Manut. ed. *sed si hinc sibi sument*.

Cum hoste servandum. Manut. ed. *hosti servandum*.

Id si non feceris, Græv. primus; *id si non fecerit*.

Pactum pro capite pretium non attuleris. Sic Græv. prim. edd. & Mſſ. *pactum pro capite non attuleris*.

Non est perduellionum numero definitus. Sic Pith. excerpta & Græv. secundus. Sed primus cum aliis Mſſ. & edd. *non est ex perduellionum numero definitus*.

Perjurare est. Vulgg. *pejurare est*.

Bellicas & hostiles. Non extant hæ voces in Pal. prim.

CAPVT XXX.

T. Minucius & Q. Mælius. Mſſ. & edd. *T. Minucius, & Q. Æmilius*, vid. not.

CAPVT XXXI.

INdicant notiones. Vulgg. *indicant notationes*.

Cum prima luce, al. *prima luce*.

Adolescens filius, negotium exhiberi patri. Pal. *adolescens filius, negotium exhibere patri*. Mſ. *adolescens filii negotium exhibere patri*.

Qui illum iratum. Mſſ. & edd. *quod illum iratum*.

Vt ingressus est. Pal. prim. *ut congressus est*.

Caussa desistere, edd. *a caussa desistere*.

Ad veserim, al. *ad verserim*.

Qui perindulgens, ed. Manut. *qui nuper indulgens*.

Idem acerbe severus, edd. *idem acerbus & severus*.

CAPVT XXXII.

IVratos ad Senatum misit Hannibal, in castra redituros ea, quorum potiti erant Pœni, nisi. Palat. prim. *juratos ad senatum missos in castra redituros ea, quorum Pœni, nisi*. Pal. sec. *juratos ad senatum in castra redituros ea, quorum erant tui Pœni, nisi*. edit. Rom. anni 469. *juratos in castra redituros a senatu, ea quorum erant usi Peni, nisi*. Moguntin. *juratos ad senatum misit Hannibal in castra redituros, ea quorum erant Pœni, nisi*.

Fraus enim adstringit, al. *fraus enim distringit*.

Qui periculo mortis diffugissent. Pal. prim. *qui periculum mortis effugissent*.

Fieri posset, edd. *fieri potuisset*.

Si

Sit jam loci hujus finis. Pal. prim. *sed jam hujus loci finis sit*.

Quod si ipsi opus esse. Pal. *quod si sibi opus esse*.

CAPUT XXXIII.

CUm his viris equisque. Vulgg. *cum his velis equisque*.

Intelligenter legere. Græv. prim. *intellegenter legere*.


Dolorum, laborumque contemtio. Græv. *dolorum laborumque contemptio*.

Perpetiendique doloris. Græv. prim. & alii: *perpetiendi doloris*.

Sicut hic dicit. M. *sicut id dicit satis fortiter*.

Doloris detractione finiri, al. *doloris detractione fieri*.

Si talibus monimentis præceptisque. Lambin. ad. *si talibus monitis preceptisque*.



M. TUL-

CAPUT IV.

FAbricius, Aristidesve justus. Sic Pal. prim. edd. & Mss. *Fabricius aut Aristides*.

Sapientes habiti & nominati. Sic Pall. Pith. editiones primæ, Mogunt. & Romana. Vulg. *sapientes habiti & nominati*.

Cum utilitatis repugnantia. Mss. & edd. *cum utilis repugnantia*, unus Ms. *cum utilitatis ratione*.

Nec id quidem, quod communiter. Sic Ms. Vulgg. *nec id, quod communiter*.

In his addubitare. Sic Mss. sed Vulgg. *in his dubitare*.

Nonnumquam dubitationem. Mss. & edd. *nonnumquam addubitationem*.

Se adstrinxit scelere, al. *se obstrinxit scelere*.

Si qui tyrannum. Sic Mss. Vulgg. *si quis tyrannum*.

Sed etiam familiarem hominem, edd. *sed etiam familiarem occidere*.

Iidem erant qui Academici. In duobus Mss. non habetur, *qui Academici*.

Quibus honestum aliquod non utile, edd. *quibus est honestum aliquod non utile*, al. *quibus aut honestum aliquod non utile*.

CAPUT V.

UT posset putare. Pith. *ut posset jactare*.

Facultates, copias, opes augeamus. Pith. *facultates, copias, opesque exaugeamus*.

Exsilio, vinclis, damno. Sic Mss. edd. *exsilio, vinculis, damno*.

Hoc multo magis exigit. Mss. *atque hoc multo magis exigit*.

Excelsitas animi, edd. *celsitas animi*.

Detrahere autem alteri. Mss. *detrahere autem de altero*.

Aliquid commodi consequatur. Pith. *aliquid commodi assequatur*.

Quid cum eo differas, tres Mss. *quid cum eo edisseras*.

CAPUT VI.

OMnis humana consortio. Sic Mss. & edd. optimæ. Vulgatæ: *omnis humana consociatio*.

Quæ vacent justitia. Pith. exc. *quæ vacet justitia*. Duo Manut. Mss. *quæ vacant justitia*. Unus: *quæ non vacet justitia*. Unus: *quæ vacent injustitia*.

Si quid homini homo. Mss. & edd. *si quid ab homine*.

Semper officio fungetur. edd. *semper officio fungatur*.

CAPUT VII.

NIsi aliqui casus, edd. *nisi aliquis casus*.

Inchoato & prope jam absoluto. Sic Mss. aliquot, sed edd. & Mss. *inchoato, prope tamen absoluto*. Pal. prim. *inchoato jam quasi fastigium*.

Nihil præter id quod honestum sit, propter se expetendum. Ms. F. Ursin. *quod honestum sit, id esse maxime propter se expetendum*.

Vitam hominum invasisse. Alii edd. & Mss. *in vitam hominum invasisse*.

CAPUT VIII.

NOn utilitas relinquenda est. Vulgg. *non utilitas requirenda est*.

Arripuit id continuo secernit. Mss. tres *arripiunt & continuo secernunt*.

Fallacibus judiciis vident. Pith. *fallacibus indiciis vident*.

Quas sæpe perrumpunt. Aliquot Mss. *quam sæpe perrumpunt*.

Nihil tamen avare. Pal. prim. *nihil tamen nobis avare*.

CAPUT IX.

CUm terra discessisset. Sic Mss. & edd. optimæ, al. *cum terra decessisset*, al. *cum terra desedisset*.

Cum in locum annulum. Sic Mss. & edd. sed nonnullæ editiones: *cum in lucem annulum*.

Quamquam potest id quidem. Sic omnes Mss. sed Manut. & Lambin. *quamquam non potest id quidem*.

Id si posset. Pal. prim. *id si possent*. Sic & ed. Victor.

Si possint celare. Vox postrema non est in Pal. prim.

CAPUT X.

CUm Collatino Tarquinio placere. Mss. & edd. meliores: *cum Collatino placere*.

Quod

Quod erat utile, patriæ consulere, id. Lang. & Lambin. edd. *quod erat utile patriæ*, *id.* invitis MSS.

Aut manu depellere. Apud Non. legitur *aut manu pellere*.

Alteri deripere. Sic MSS. edd. *alteri diripere*, al. *alteri surripere*.

Orandæ liti, edd. *perorandæ liti*.

Adhibere testem, nonnulli MSS. & edd. Victor. *habere testem*.

Damonem & Phintiam. Pal. prim. *Damonem & Pinthiam*; al. *Damonem & Pythiam*.

Non revertisset, moriendum, edd. *non revertisset ad diem*, *moriendum*.

Moriendum esset ipsi, edd. *moriendum esset sibi ipsi*.

CAPUT XI.

QVi classe valebant MS. *quia classe valebant*.

Pennus, alii *Petronius*, alii aliter vid. not. Lang. & Manut.

CAPUT XII.

VIr bonus Alexandria Rhodum. MSS. nonnulli, & edd. *vir bonus ab Alexandria Rhodum profectus*.

Alexandria solvisse. Nonnulli MSS. & edd. *ab Alexandria solvisse*.

CAPUT XIII.

IN omnibus cubiculis. MSS. & edd. aliquot: *in omnibus cubilibus*.

Num id injuste an improbe. Nonnulli MSS. *num id injuste aut improbe*. Pith. *non id injuste, & improbe fecerit*.

Sic ergo in quibusdam causis dubiis. Langii & Lambini edd. non agnoscunt *dubiis*.

Frumentarius Rhodios. Sic MSS. & ed. Victor. Vulgg. *frumentarius Rhodius*.

Quod tu scias id ignorare, Pith. exc. *quod scias ignorare*.

Non simplicis, non ingenui, edd. *non simplicis est*, *non ingenui*.

Versuti potius, edd. *sed versuti potius*.

CAPUT XIV.

C. Canius, al. *Caius Cannius*.

Sine interpellatoribus. Lang. ed. *sine interpellationibus*.

Syracusis, venales, al. edd. *Syracusis*, *dixit venales*.

Hominem in hortos invitavit, al. *hominem invitavit*.

Qui esset, ut argentarius. Manut. ed. *ut argentarius qui esset*.

Tempore venit Canius. MSS. & edd. quidam *tempori venit Canius*, & sic ed. Lang.

Cymbarum ante oculos multitudo. Vict. ed. *cymbarum ante hortulos multitudo*.

Quod eos nullos videret. Pith. exc. *eo quod nullos videret*.

Cum ex eo quæreretur, edd. Victor. & Manut. & nonnulli MSS. *cum ex eo quærerem*.

Luculenter. MSS. Græv. & aliorum, *luculente*.

CAPUT XV.

LEge Lætoria, al. *lege Lectoria*, *Pletoria*, *Plectoria*.

Et sine lege judiciis, al. *& sine lege, judiciis*.

Simulatione continetur. Sic MSS. & ed. Victor. Langii, Fabric. Grut. sed aliæ: *simulatione & dissimulatione continetur*.

Licitatorem venditorem. Pal. prim. *illicitorem venditor*. Pith. exc. *non liciatorem venditor*.

Nec qui contra. Pall. *non qui contra*.

Contra se liceatur. Pith. exc. *contra se liciatur*.

Emtor apponet. Sic Pall. & al. MSS. sed Vulg. *emtor opponet*.

CAPUT XVI.

SAncitum est. MSS. aliquot *sanctum est*.

Dupli pœnam. Vulgg. *duplicem pœnam*, al. *duplici pœnam*, Pal. prim. *dupli subire*, omisso τῷ *pœnam*.

Quidquid enim esset in prædio vitii. Sic MSS. Vulgg. *quidquid enim inest in prædio vitii*, edd. Vict. *quidquid est in prædio vitii*.

Demoliri ea, quorum altitudo, edd. multi

multi & nonnulli MSS. *demoliri eas*, *quarum altitudo*.

Quorsum hæc. MSS. & ed. Lang. *quorsus hæc*.

Majoribus nostris astutos, edd. Vulgg. *majoribus nostris astus*.

CAPUT XVII.

NAturæ lege sanctum est. Sic MS. sec. Græv. Alii *naturæ lege sancitum est*.

Ex optimis naturæ & veritatis. Alii; *ex optimis naturæ principiis*, *& veritatis*.

Pugnare videantur. Quidam MSS. *pugnare dicantur*.

CAPUT XVIII.

HOmines ejusdem ætatis. Vulg. *homines ejusdem civitatis*.

M. Satrium, al. *M. Satirium*.

Basilus, al. *Basilius*.

Simulatione quæsitæ, al. *simulatione acquisitæ*.

Fons est fraudium. Vulg. *fons est fraudum*,

CAPUT XIX.

AT dares. Vulg. *at si dares*.

Hic non noceat. Pal. & edd. vett. *hic non nocet*,

Qui quodam quasi veneno perficiat. Pal. *qui quodam quasi veneno perficit*.

M. Lutatio Pinthiæ, al. *M. Lutatio Pythiæ*.

Posse convertere. Alii; *posse convertere*.

CAPUT XX.

BEllum ducere. Manut. Grut. alii; *bellum producere*:

Ne noster quidem Gratidianus, al. *ne noster quidem Gratidianus Marius*.

Omnibus vicis statuæ. Vulgg. *omnibus vicis statuæ factæ sunt*.

Quæ sit ea species, forma. Nonnulli MSS. & ed. Lang. *quæ sit ea specie, forma*.

Se quis conferat in beluam, edd. & MSS. multi: *se quis convertat in beluam*.

An hominis figura, edd. *an in hominis figura*.

CAPUT XXI.

UTile ei videbatur, edd. *utile enim videbatur*.

Versus de Phœnissis, edd. *versus Euripidis de Phœnissis*.

Qui id unum, MSS. & edd. Manut. *qui id unum solum*, alii aliter, vide Manut.

Gloriosam putant. MS. *gloriam putant*.

Coner avellere. MSS. *coner evellere*, al. *divellere*, al. cum edd. *avertere*.

Re tamen unum sonare. MSS. & edd. multi; *sed tamen unum sonare*, al. *sed unum sonare*.

Non habeo, ad vulgi opinionem. Sic MSS. sed Vulg. *nunc abeo ad vulgi opinionem*, al. *nunc adeo ad vulgi opinionem*,

CAPUT XXII.

UTrum igitur utilius. MSS. & ed. Victor. *visum igitur utilius*.

Armis cum hoste certare an venenis, ed. Victor, & MSS. *armis cum hoste certare non venenis*, al. *armis cum hoste certare aut venenis*.

Quo illa ordinum, edd. *quod illa ordinum*.

Potius diceret. MS. *potius doceret*.

Ejicere de navi, quia sua sit. Alii: *ejicere de navi*, *quia sua non sit*.

CAPUT XXIII.

QUid si in una tabula sint duo naufragi. Vulgg. *quid si una tabula sit*, *duo naufragi*.

Sibi ne uter rapiat, edd. *sibi ne uterque rapiat*,

Quasi sorte aut micando, edd. *quasi in sorte aut micando*, ed. Gruteri: *quasi forte*, *aut micando*, al. *quasi in sorte*, *aut dimicando*,

Hæc sunt quasi controversa Iura Stoicorum. Vulgg. *hæ sunt quasi controversiæ in jure Stoicorum*.

Quod sit mille denarium, edit. nonnullæ: *quod sit millenarium*.

CAPUT XXIV.

QVod promiserit. Mss. & edd. nonnulli: *quod promiserit illi*, al. *quod promiserit ille*.

Promisisse nollem. Ms. *promissionem nollem*.

CAPUT XXV.

ATque insanus antequam consistit, edd. *atque insanus qua consistit*.

Quo optato impetrato, Ms. *quo impetrato*.

CAPUT XXVI.

NAm apud Homerum, optimum, ed. Lang. *nam apud optimum auctorem*.

Tamen hæc audiat, edd. *tamen hæc audivit*.

Furere assimulavit, ed. *furere se simulavit*.

Ne coiret, edd. *quo iret*.

Ad rem factam nostramque veniamus, ed. *ad rem factaque veniamus*.

CAPUT XXVII.

ADolescentes esse, prim. Græv. *adolescentis esse*.

CAPUT XXVIII.

QVæ tantam utilitatem præverteret. Grævii uterque, Ms. & edd. pleræque: *quæ tantam utilitatem perverteret*, al. Ms. *quæ tantam utilitatem præveniret*.

Num igitur tantum mali, Græv. prim. *non igitur tantum mali*.

CAPUT XXIX.

NIsi dolere, Lang. ed. *nisi dolor*.

Nam si hoc sibi sumunt. Ms. *sed si hoc sibi sument*. Manut. ed. *sed si hinc sibi sument*.

Cum hoste servandum. Manut. ed. *hosti servandum*.

Id si non feceris, Græv. primus; *id si non fecerit*.

Pactum pro capite pretium non attuleris. Sic Græv. prim. edd. & Mss. *pactum pro capite non attuleris*.

Non est perduellionum numero definitus. Sic Pith. excerpta & Græv. secundus. Sed primus cum aliis Mss. & edd. *non est ex perduellionum numero definitus*.

Perjurare est. Vulgg. *pejurare est*.

Bellicas & hostiles. Non extant hæ voces in Pal. prim.

CAPUT XXX.

T. Minucius & Q. Mælius. Mss. & edd. *T. Minucius, & Q. Æmilius*, vid. not.

CAPUT XXXI.

INdicant notiones. Vulgg. *indicant notationes*.

Cum prima luce, al. *prima luce*.

Adolescens filius, negotium exhiberi patri. Pal. *adolescens filius, negotium exhibere patri*. Ms. *adolescens filii negotium exhibere patri*.

Qui illum iratum. Mss. & edd. *quod illum iratum*.

Vt ingressus est. Pal. prim. *ut congressus est*.

Caussa desistere, edd. *a caussa desistere*.

Ad veserim, al. *ad verserim*.

Qui perindulgens, ed. Manut. *qui nuper indulgens*.

Idem acerbe severus, edd. *idem acerbus & severus*.

CAPUT XXXII.

IVratos ad Senatum misit Hannibal, in castra redituros ea, quorum potiti erant Pœni, nisi. Palat. prim. *juratos ad senatum missos in castra redituros ea, quorum Pœni, nisi*. Pal. sec. *juratos ad senatum in castra redituros ea, quorum erant tui Pœni, nisi*. edit. Rom. anni 469. *juratos in castra redituros a senatu, ea quorum erant usi Peni, nisi*. Moguntin. *juratos ad senatum misit Hannibal in castra redituros, ea quorum erant Pœni, nisi*.

Fraus enim adstringit, al. *fraus enim distringit*.

Qui periculo mortis diffugissent. Pal. prim. *qui periculum mortis effugissent*.

Fieri posset, edd. *fieri potuisset*.

Si

Sit jam loci hujus finis. Pal. prim. *sed jam hujus loci finis sit*.

Quod si ipsi opus esse. Pal. *quod si sibi opus esse*.

CAPVT XXXIII.

CVm his viris equisque. Vulgg. *cum his velis equisque*.

Intelligenter legere. Græv. prim. *intellegenter legere*.


Dolorum, laborumque contemtio. Græv. *dolorum laborumque contemptio*.

Perpetiendique doloris. Græv. prim. & alii: *perpetiendi doloris*.

Sicut hic dicit. M. *sicut id dicit satis fortiter*.

Doloris detractione finiri, al. *doloris detractione fieri*.

Si talibus monimentis præceptisque. Lambin. ed. *si talibus monitis preceptisque*.



M. TVL-



